Rosignolio de actionibus

102.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 18
Tabla
Número 10

19. a. 2

18

N°

11-104

A 61423

102.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante G 18
Tabla
Número 10

19 a 2

18

Nº

11 - 104

R 1218

j 11861423

Del Collegio de la Compañia de Jhs de Granada Lib. B 4
R.7216

DE ACTIONIBVS VIRTVTIS

EX SANCTIS SCRIPTVRIS ET PATRIBVS

Libri Duo.

Auctore BERNARDINO ROSIGNOLIO *Vlmetano,*
Societatis IESV *Theologo.*

CVM PRIVILEGIIS.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

VENETIIS, M.DCIII.

Apud Ioannem Baptistam Ciottum Senensem.

Claudius Aquauiua, Societatis Iesu
Præpositus Generalis.

CVm opus hoc De actionibus Virtutis, a P. Bernardino Rosignolio nostræ Societatis Theologo compositum, quatuor eiusdem Societatis Theologi, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinebit, videbitur. In quorum fidem has manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ. xxi. Decembri. 1602.

Claudius Aq.

Copia Gli Eccellentiss. Sig. Capi dell'Illustr. Cons. di X. infrascritti, Hauuta fede dalli Sig. Riformatori del studio di Padoua per relation delli tre a ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquisitor del circ. Secretario del Senato Zuanne Maruegia, & di D. Lucio Scarano Lettor publico, che nel Libro intitolato de Actionibus Virtutis, & Sanctis Scripturis, & Patribus, Auctore Bernardino Rosignolio, non si troua cosa contra le leggi, & è degno di stampa, concedeno licentia, che possi esser stampato in questa Città.
Dat. die 16. Martij. 1603.

D. Andrea Minoto
D. Lunardo Mocenigo } Capi dell'Illustr.
D. Zuane da Leze } Cons. di X.

Illustr. Cons. X. Secret.
Leonardus Otthobonus.

CLAVDIO AQVAVIVÆ

PRAEPOSITO GENERALI SOCIETATIS IESV

BERNARDINVS ROSIGNOLIVS. S.

DVm tu nauim Societatis, quam pro tua prudentia, & fortitudine rectam tenes, Spiritus sancti vt speramus, impulsu in salutis ac perfectionis portum prospero cursu dirigis. Ego bonarum actionum, quibus eadem quasi remis impellitur, hanc veluti remigij materiam offero, rudem quidem, vt mea, sed preciosam, vt arbitror, vtpote ex

Sacrarum literarum, & Sanctorum Patrum thesauris erutam. Erit hæc additamentum ad eam perfectionis, seu spiritualis nauigationis disciplinam, quam tu pro tua humanitate non ita multo ante hilari excepisti vultu: erit & testis meæ in te perpetuæ obseruantiæ, quæ ad Diuinum mihi placandum numen tuam in me pietatem vicissim prouocet, opto.

Vale Venetijs Kalendis Quinctilis, 1603.

INDEX LIBRORVM ET CAPITVM.

Liber Primus.

In quo post generales Actionis studiosæ proprietates, de Theologicarum Virtutum Actionibus præcepta traduntur.

Cap. i. *Virtus in Actione consistit.*

ij. *Qualis esse debeat Virtutis Actio.*

iij. *Quæ Actiones Virtutis frequentari debent, & quatenus.*

iv. *Qua ratione veræ Virtutis Actiones a falsis dijudicandæ sint.*

v. *Quam bonam voluntatem ad Virtutis exercitationem adferri oporteat.*

vi. *Quibus cogitationibus imbuta mens eius esse debeat, qui in Actiones Virtutis incumbit.*

vij. *Quænam sanctos viros adiuuerint ad mentem in boni cogi-*

cogitationibus occupandam.

viij. Quàm præstet proficienti nullam exercendæ Virtutis oblatam occasionem prætermittere.

ix. A Deo donum exercendæ Virtutis postulandum esse, & quis deinceps ordo seruandus.

x. De Virtutis Fidei Actionibus Internis.
Primum fidei beneficium, & fructus Actionis internæ spiritualis quinque qui ex eo existunt.

xi. Ponuntur alia tria fidei beneficia cum Actionis internæ fructibus spiritualibus, qui ex singulis colliguntur.

xij. Quintum & Sextum fidei beneficium, & ex eis Actiones, vtilitatesue.

xiij. De Fidei Externis Actionibus.
De Confessione Fidei, & de Fidei Doctrina tradenda rudioribus hominibus, & pueris.

xiv. De Nobilitate Actionis tradendi Doctrinam Christianam, & de difficultatibus incidentibus superandis.

xv. Occasiones exercendæ fidei.

xvi. Indicia firmæ fidei, Actionumque eius exempla nonnulla.

xvij. De Dei timoris Actionibus, occasionibus, Indicijs.

xviij. De Actionibns & exercitatione Spei.

xix. De præcipuis Actionibus, & occasionibus charitatis in Deum.

xx. Amoris in Deum & Christum Dominum exercendi occasiones, Indicia, & exempla.

xxi. Actiones charitatis erga proximum. Occasio eas obeundi fraternè

fraternè corrigendo, atque sublata omni excusatione rectæ correctionis ratio.

xxij. Occasiones Christianæ charitatis in iuuandis in spiritu excolendisque hominibus, præsertim in disciplina Christiana, & sacris Confessionibus.

xxiij. Indicia & exempla Christianæ charitatis in proximum.

Liber Secundus.

In quo de Moralium Virtutem Actionibus agitur.

Cap. i. DE *Prudentiæ Christianæ & Spiritualis Actione potissima.*

ij. *Occasiones & exempla prudentiæ in Actionibus Virtutum charitatis erga Deum, & Orationis.*

iij. *Occasiones & exempla prudentiæ in Actionibus charitatis erga proximum, & fraterna correctione.*

iv. *Occasiones & exempla prudentiæ in Actionibus multarum Virtutum moralium.*

v. *Indicia Prudentiæ & reliqua exempla quædam.*

vi. *De Religionis Virtute, eiusq; Actionibus & Occasionibus præsertim de Adoratione.*

vij. *De Deuotionis Actione, Occasionibus, Indicijs.*

viij. *De Actione & Occasionibus obseruantiæ præsertim erga Ecclesiasticos patres.*

ix. *De obedientiæ Actione eiusq; præcipuis Indicijs.*

De

x De Actione Simplicitatis.
xi. Actiones, Occasiones, & Indicia Fortitudinis.
xij. De propria Patientiæ Actione, eiusque exercitatione.
xiij. Actio & Exercitatio Mansuetudinis.
xiv. De Actionibus Humilitatis, earumque continuo vsu.

DE ACTIONIBVS VIRTVTIS EX SANCTIS SCRIPTVRIS ET PATRIBVS.

LIBER PRIMVS.

In quo post generales Actionis studiosæ proprietates, de Theologicarum virtutum Actionibus præcepta traduntur.

Virtus in Actione consistit. Cap. primum.

VT doctrina de Virtutibus ad spiritus profectum vtilior, & ad usum sit accommodatior, necessarium videtur de actionibus earum propriam accuratamq; tractationem instituere. Quæ enim de virtutibus duobus libris in opere de disciplina perfectionis tradita sunt præcepta ex sanctis fratribus eruta, actus earum explicant quidem, non ita tamen enucleatè & presè, quemadmodum proficiētis studium & utilitas postulat fuerit igitur illa generalis quædam uirtutum singularum descriptio, nunc sigillatim actiones ipsæ plenius & subtilius dispiciendæ. Verùm priusquam aggrediar ad virtutis cuiusq; actiones singulas, præmittam quædam, quæ ad rem propositam explicandam faciliorem nobis aditum faciant, & hoc primum. Quàm propriè virtus spectet actionem.

Duo quippe sunt Virtutis officia. Vnum est, animam vestire, & ornare. ob quam causam Anima sic exornata nominatur in Psalmis Regina assistens a dextris Regis in vestitu deaurato circundata varietate. & S. Gregorius Nyssenus affirmat, Virtutes esse quasi viuos colores, quibus in nobis natiua Dei forma exprimitur, & idem cum Regiam hanc Dei imaginem in homine describit, sceptro comparat beatitudinis spem, diadema coronam iustitiæ, amictum verò cultumue purpureum Virtutem esse dicit, qua nihil asserit esse magis Regium. Alterum est, Virtutem Actionis bonæ ac studiosæ fontem esse & parentem. idcirco Virtutes Christi domini præstantissimæ & fœcundissimæ in Cantico fluenta plenissima appellantur. & sponsæ charitas miseratioq; similes esse dicuntur piscinis quæ sunt in Esebon. Dominus ipse in Euangelio clamat ex fide credẽtium promanatura flumina virtutum videlicet & donorum Spiritus Sancti, & Sãctus Ambrosius & S. Augustinus quattuor Cardinales Virtutes expressas esse affirmant quattuor paradisi fluminibus. ob eam certe rationem; quia vt ex fontibus flumina, & ex fluminibus riuos deriuari necesse est, sic ex virtutibus fluere Actiones bonas.

Psal. 44.

Lib. de opificio hominis. Cap. 5.

Cap. 4.

Cant. 5.

Cant. 7.

Ioan. 7.

lib. de paradiso c. 3

lib. 2. de Gen. contra Manichæos, ca. 10.

Quamquam verò primum illud Virtutis munus præclarum sit, vt ob id etiam Virtutibus exutam Animam non minus velit S. Hieronymus esse deflendam, quàm nobilissimi & locupletissimi Hierosolymorũ templi spoliationem; nihilominus virtus Actionem spectat. nam habitus finis est Actio, & S. Augustino vt omittã philosophos, habitus est id quo agimus, cum opus est.

Proœmio lamentat. Ieremiæ.

lib. de bono coniugali c. 21.

Vir-

Virtus porrò habitus est actuosus, siue mauis operatiuus, cuius vis omnis & laus propterea in Actione consistit. Quod sanè a Deo sapientissimè institutum est. Primũ quidem, vt homo qui ad imaginem Dei conditus est, ipsa virtutis Actione referat Deũ qui Actus purissimus est, actione ipse sua beatissimus. Deinde vt idem actionibus bonis continuatis æternæ felicitatis merita continuet, augeatq́; semper: non enim coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. & esto fidelis vsq; ad mortem habitu quidem, sed magis actu fidei. nam ad habitum non est adhortatio propriè. Deniq; vt Deus ipse semper præsto sit nobis, adeoq; præsens in cordibus nostris. Siquidem quamuis is adsit habentibus gratiam & virtutes; adest tamen maximè virtutem pietatemq́; exercentibus. harum quippe odore allicitur spõsus, qui pascitur inter lilia. hoc est candore & odore virtutum delectatur, ait S. Bernardus, pascituրq́; profectibus nostris. etenim gaudium Dñi fortitudo nostra.

2. Tim. 2. Apoc. 2. Cant. 2. Ser. in Cã. 71. 2. Esdrę, 8

Actio autem ex omnibus virtutibus nostris siue supernaturalibus, siue acquisitis quasi fructus exigitur a Deo. propterea enim de fide dicitur, Accedentem ad Deum oportet credere. & de spe scriptum est, Spe gaudentes, & Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo. de charitate erga Deum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. de charitate erga proximum, Diligamus non verbo neq; lingua, sed opere & veritate. de prudentia, Ambulate per vias prudentiæ, & idem de alijs. deniq; Dominus, Negotiamini, dum venio. vbi ait S. Ambrosius, Dominus suę pecunię quęrit vsuram, vt intelligamus Dominum donorum suorũ exer-

Heb. 11. Rom. 12. Prou. 3. Math. 22. 1. Ioan. 3. Prou. 9. Luc. 19.

citationem postulare, & bonarum actionum tributum a suis exigere. immo (vt hoc etiam obiter dicamus) cum reprobos æternis supplicijs addicit, non tam illos accu
Math. 25. sat, quod malè egerint, quàm quod nihil egerint. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. adeoq; si non aliæ subessent causæ, (vt vtinam non subessent innumeræ) sola omissa actio alioquin debita causa etiam esset damnationis & mortis æternæ. quod similiter in
Math. 25. parabola de Talentis obseruat Auctor Imperfecti in Matthęum ille enim ait: qui fodit gratiam suam in terrā, non peccare proponit, sed iustitiam non facere.

Ceterum, non solum Deus Actionem ex virtutibus exigit, sed ipsamet virtus ex seipsa, cuius nimirum natura per se, & vt aiunt, essentialiter ad Actionem dirigi
1.2.qu.55. artic. 2. tur, vt S. Thomas explicat, & ante ipsum scribunt Patres. nam S. Basilius virtutem quæ ex Deo est, dicit esRe. fusius disp. Inter. 2. se vsum earum Animæ facultatum, quæ boni causa datæ sunt, bona adhibita mente. qui vsus præceptis Domini sit conueniens. & S. Augustinus acriter inuehitur
Lib. 4. contra Iul. in cap. 4. in Iulianum Pelagianum, qui virtutem interdum infęcundam esse videbatur asserere. Quapropter inquit, dici non potest, quantum te fallat ista opinio, qua dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus fieri autem non potest, vt steriliter boni simus. Arbor enim bona bonos fru-
Matth. 3. ctus facit. absit autem vt Deus bonus a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum bonum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Seneca Si-
Ep. 95. mul Actio inquit virtuti necessaria est. & ab optimo
Claudianus. Poeta dictum est, virtutem otiosam esse similem taci-

turnæ

turnæ lyræ, aut naui ad profectionem adornatæ semper in portu consistenti. S. Anselmus deniq;, Virtus inquit sine exercitio quasi plumbea lancea est. Lib. de uita Moysis.

Porro virtuti Actio necessaria est, non solum orationes antedictas, similitudinem inquam Dei, meritum nostrum, & Dei præsentiam in nobis, sed multo maximè, quia solis suis actionibus se virtus sustentat, & locupletat. sicut suis deriuationibus fons, suo feruore ignis. Sola inquit S. Gregorius Nyssenus, virtutis Actio nutrit laborem, viresq; auget. & probat exemplo Mosis, qui ait, cum semel per scalam, in qua Deus innixus erat, vt Iacob dicit, ascendere cœpisset, nunquam stetit, nunquam terminum motus nouit, sed semper de gradu in gradum ascendebat. nec enim deficere vnquam potest altior gradus. & post enumerata præclara eius facinora, eaq; dona, quæ cumulatè in eum contulerat Deus, tot tantisq; inquit sublimationibus elatus, adhuc ardet desiderio, adhuc tanquam famescens & sitiens, tanquam eo carẽs quo semper fruebatur, orat vt videat, non vt ipse capere potest, sed vt se habet, qui desideratur. Id verò quod ait, non potest deficere altior gradus, intelligitur primò, vt altior gradus est gradus enim altioris nõ est deficere, sed proficere. Deinde, quia in altiore gradu ea uis est, vt si ipsi uelimus, possimus facile per illũ, et Dei opem quę sẽper præsto est & præcipua, resistere tentationibus contrapugnantibus, ac progredi in virtute. in quã sentẽtiam scripta etiã illa sunt: Aquæ multæ non potuerunt extingue re charitatẽ, neq; creatura alia poterit nos separare a charitate Christi. Consentaneum tandem est actiones auge Lib. de similitud. cap. 194. Cant. 8. Rom. 8.

re

re virtutes, quòd virtutes (vt diximus) habitus sint, qui vt actionibus gignuntur, sic actionibus conseruantur, corroborantur, crescunt. quod etiam Theologicis virtutibus suo modo conuenire Theologi asserunt. quamuis enim & habitus illarum & incremẽta a Deo efficiantur, incrementa certè Deus non efficit, nisi virtutum actionibus antecedentibus, & præparantibus animum in quo incrementum det Deus.

1. Cor. 3.

Qualis esse debeat virtutis Actio.
Cap. II.

ACtionis studiosę proprietates multę sunt, prȩcipuas numerabimus maximèq; ad vsum spectantes.

Actio virtutis actio est humana, loquimur enim hic de hominis virtute. Est autẽ actio humana quæ ex ratione deliberante proficiscitur. vt idcirco nõ omnis actio hominis humana sit, nõ enim humanã dicimus quãuis hominis sit, actionẽ Animæ vegetãtis; omnis tamẽ actio humana hominis simul est actio. Vt autem hæc virtutis actio sit, bona sit, oportet, hoc est de re bona, & rectum ob finem. quod idem simul est ac rationem humanam voluntariam esse, & sponte nascentem, ratione præeunte & prudentia per iudicium, & imperium, qui eius actus præcipui sunt, moderante. immo eandem rationem Dominam, & Reginam esse omnium humanorum actuum pro vniuscuiusq; ratione. cum scriptum sit: Subtus te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. adeo, vt præesse nos debere etiam

Gen. 4.
Ad Tit. 3.

operi-

operibus bonis significet Apostolus, vt nimirum ijs ita ratione prudentiaq; superiores simus, vt nullo quantumlibet pio feruore in eorum exercitatione abripiamur a recto. Talem actionem deniq; circunstantię omnes comitentur & muniant, nihil vt desit, quo minus integra planè perfectaq; sit.

Tria autem sunt quæ huiusmodi Actioni Seneca tribuit. Primum est inquit, ut quantum quidq; sit, iudices. Secundum, vt impetum ad illa capias ordinatum, temperatumq;. Tertium, vt inter impetum tuum actionemq; conueniat vt in omnibus istis tibi ipsi consentias. quicquid ex his tribus defuerit, turbat & cetera. Quid enim prodest intus æstimata habere omnia, si sis impetu nimius? Quid prodest impetus repressisse, & habere cupiditates in tua potestate, si in ipsa rerum actione tempora ignores, nescias quando, quidq;, & vbi, & quemadmodum agi debeat? aliud est enim dignitates & precia rerum nosse, aliud articulos, aliud impetus refrenare, & ad agenda ire, non ruere. Tunc ergo vita sibi concors est, vbi actio non destituit impetum. Impetus ex dignitate rei cuiusq; concipitur, perinde remissus acriorq; prout illa digna est perpeti: hæc Seneca. qui planè exprimit prudentiam, non solum quæ passiones sustinet, ne præcipitent, sed eam etiam quę actionem ad exitum perducit, ne inchoata flacceſcat. utrunq; enim necessarium est; Primum quidem aduersus illos, qui quicquid volunt, uehementer uolunt. Secundum autem aduersus illos qui multa quidem agitant animo, ac uolunt, nihil tamen, aut ualde pauca prestant. illi sunt qui cogitationem quidem ad res agendas adhibent, Ep. 90.

sed

sed subitam, ac ferè nulla præparatione operosa magnaq; aggrediuntur negotia, multis actionibus semper implicati: hi contra multa comprehendunt animo, de ijs copiosè disserunt cum audientium etiam admiratione, quæ agenda sunt inquirunt diligenter, acutè dispiciunt, ad agendum tamen tardi, remissi, minimè efficaces; illi rationis frœno coercendi, hi timoris ac conscientiæ stimulis concitandi. neutri uirtute prediti, nisi illi senilem prudentiam, & hi magnam efficacitatem ascisscant. II. Actio virtutis præsertim Christiana, non semper in semine, aut infans est, sed vegeta, crescens q; quotidie magis: similis igni illi, quẽ Dominus misit in terram, & uoluit uehementer accendi. Nolite inquit Apostolus, pueri effici sensibus, malitia autem paruuli estote, sensibus autem perfecti: propterea S. Gregorius cũ retulisset illud Iob, per singulos gradus meos pronunciabo illum, omnipotentem inquit Dominum per suos gradus pronunciat, qui per incrementa virtutum quæ cœpit, ei semper laudem suę pietatis reddit. & paulo post: & ascendit super gradus eius, quia nobis proficiẽtibus eo amplius nobis exaltatur Dominus. Hortatur idcirco S. Hieronymus, crescat cũ annis gratia, crescat cũ ætate iustitia. quod quanti a nobis fieri debeat, intelligitur ex dicto illo S. Gregorij, quo indicat sẽtire se signũ diuinæ electionis esse in uirtute progressum facere. Electis inquit, cum foris ætas corporis, intus (si dici liceat) crescit ætas uirtutis; Nullus tamen ait idem, qui ad bonum propositum adhuc in mentis teneritudine esse conspicitur, despiciatur, quia frumentum Dei ab herba incipit, ut granum fiat. quare infantes in uirtute fouendi

Luc. 12.

1. Cor. 14.

Homil. 15 in Ezech.

Iob. 31.

Ep. 14.

Lib. 21. Mor. c. 12.

Homil. 15 in Ezech.

uendi sunt, ac promouendi, dum Christus formatur in illis. ne sibi relicti de minimo etiam illo Virtutis gradu deiecti retrolabantur. accidatq; illis quod idem de non perseuerantibus scripsit, qui bona non consumant, dū proposita non perficiunt, etiam quę fuerunt cępta con uellunt. III. Actio Virtutis feruens esse debet. Iccirco Apostolus: Spiritu feruentes ait, Domino seruientes. ac si dicat, quia Domino seruimus, spiritu efferuescamus. hic porro feruor si adulta virtute nitatur, nō extra neus ille erit ac peregrinus, qualem S. Petrus vituperat, vt inconstantem ac minimè diuturnum, sed solidus ac robustus. mouere autem debent ad hunc feruorē multa, illud in primis quod a S. Thoma traditum est. Quilibet ait Actus charitatis meretur charitatis augmentum: non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum. quanquam in hominibus probis, animisq; Dei gratia bene munitis, sperandum est, non permissurum Deum tantum malum: effecturū potius, vt quando diligentibus Deum omnia cooperā-tur in bonum, Actibus etiā remissis charitatis mereantur eius incrementum: tunc adfuturum, vt S. Thomas sentit, cum ad illos accesserit vehementior actus. quare in ardentiores actiones incumbēdum, quatenus prudē tia docet, & vires suppetunt: remissioribus autē non ex industria, sed cum aliarum occupationum necessitate astricti sumus, ita, vix vt locus sit ad alios virtutis actus attendendi, quàm ad hosce exiles, & tenues. non negarim tamen hos. ipsos tenues actus interdum etiam sponte eligendos esse: cum nimirum remissi multi ardentem vnum æquant: nec in his sicut in vehementio-

3. pa psal. cap. 1. Ad mouit 35.

Rom. 16.

1. Pet. 4.

2. 2. q. 24. art. 6 ad. 1.

Rom 8.

Ibid.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

ribus excitandis periculum ullum valetudini creatur? quem vsum accommodatum esse meditationi docui-
Cap. 21. mus libro quarto de Disciplina. IIII. Actionem Virtutis frequentem esse oportet, & vt crescat, ex frequentatis enim actibus augescit habitus, & vt actionibus studio sis continēter perficiatur homo interior, qui habitibus imbuitur, vt actionibus occupetur. vt superiore, capite explicatum est. Quo igitur crebriores sunt actiones, eo maiora suscipit incrementa perfectio. quod quāquam actionibus externis conuenit; quadrat tamen magis in
1. Tim. 4. actiones internas. propterea enim Apostolus Timotheo præcipit, exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est. quem locum
Col. 1. Cap. 10. Cassianus exponēs. Afflictio ait, corporalis initia quędam profectus, non ipsam perfectionem parit charitatis. pietas autem quę sine dubio charitas intelligitur, ad omnia vtilis est. hæc ille. Idem S. Anselmus, & alij. Ad hanc igitur exercitationem inuitat Apostolus, nō quod externæ actiones bonæ obeundæ non sint, sunt enim ad salutem necessariæ; sed quoniam insistendum prius & maximè sit in internis actibus tanquam excellentioribus, & à quibus externa perfectio vniuersa promanat; in quibus demiq; Deus maximè delectatur. Exterio
Homil. 5. in Euang. ra etenim nostra (ait S. Gregorius) Domino quamlibet parua sufficiunt, cor namq; & non substantiā pensat: quod ita verum est, vt nihilo minus Actionibus externis bonis magno sit insudādum studio, si non ob alias causas (quę tamen aliæ multæ sunt) ob perfectionē certè ipsarummet actionum internarum. nam vt S. Hieronymus obiter hac de re differens ait, Ratio operibus, &
De ueste Sacerdotali.

opera

opera ratione indigent. & S. Gregorius cum attuliſſet dictum Salomonis: Prępara foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, vt poſt ædifices domum tuam, & quid eſt inquit, poſt agri exercitium ad ædificium domus redire, niſi quod plerumq; ex bonis operibus diſcimus, quantam vitæ munditiam in cogitatione conſtruamus. penè cuncta namq; bona opera ex cogitatione prodeunt. Sed ſunt nonnulla cogitationis acumina, quæ ex opere naſcuntur. nam ſicut ab animo opus ſumitur, ita rurſus ab opere animus eruditur. Mens quippe diuini amoris exordia capiens imperat bona, quæ fiant, ſed poſtquã fieri imperata cęperint ipſis ſuis exercitata actionibus diſcit, cum imperare bona inchoauerat, quanto minus videbat. Foris ergo ager excolitur, quia plerumque ab exteriori opere videmus quantam ſubtilitatem rectitudinis in corde teneamus. hæc ille. Et quod is de fructu cognitionis ac ſcientiæ diſſerit, affirmandum nobis eſt de acceſſione incrementi, meriti atq; feruoris, quæ ex actione externa ſaltem per occaſionem redundant, & refluunt in internam. Verum quia magni refert intelligere quomodo, & quatenus frequentari debent ſtudioſæ actiones, in hac re explicanda eſt nobis aliquantisper immorandum.

Lib 10. Mor. c 16. Prou. 24.

Quæ Actiones Virtutis frequentari debent, & quatenus. Cap. III.

ACtiones porrò ſtudioſę quæ frequentari poſſunt, & ſolent, multę ſunt, nec vnius generis, & de nonnullis quid tradiderint Patres,

explicare, magnam vtilitatem proficientibus adfert.

Intentio in Deum. Primò igitur loco ponatur Intētio recta, quę si nō uirtus per se, actus certè aut sine actu virtutis non est. quam oculum appellat Dominus, oculum nempe cordis, non quod sit actus intellectus, sed cum sit actus voluntatis, qua homo vult finem aliquem, ad quem seipsum, & actiones suas dirigit, eo proficiens tanquam itineris huius oculo, & duce vtitur. Vniuersè sic à S. Augustino Intentio bona describitur: Hunc talem oculum inquit habet ille, qui finem bonorum operum suorum, vt verè bona opera sint, non in eo constituit, vt hominibus placeat, sed etiam si prouenerit, vt eis placeat, ad eorum salutem potius hæc refert, & ad gloriam Dei, non ad inanem iactantiam suam. Neque propterea boni aliquid ad salutem proximi operatur, vt ex eo comparet ea, quæ huic vitæ transigendæ sunt necessaria: neq; temerè animum hominis volūtatemq; contemnit in eo facto, in quo non apparet, quo animo, & voluntate sit factum: & quiquid officiorum exhibet homini, hac intentione exhibet, qua sibi exhiberi vult: id est non vt ab eo aliquid commodi temporalis expectet. Ita erit cor simplex, & mundum in quo quæritur Deus. hæc ille. S. Bernardus omnes Intentionis partes, & genera sic distinxit. cum enim explicasset Intentionem à sponso in Cantico genis similem affirmari,

Lib. 2. de ser. dñi in monte uersus finem.

Genera Intentionis sex.

Serm. 40. in Cant.

quòd in ea requiratur res & causa, quid intendas, & propter quid, ex quibus duabus partibus animæ decor vel deformitas iudicatur, addēs genera sex, id totum fiet inquit planius exemplis. a Si verbi gratia intendat quis animum inquirendę Veritati, atq; id solo Veritatis amo-

a 1.

re,

re, nonne is tibi videtur & rem & cauſam habere ho-
neſtam, meritoq; ſibi vendicare quod dicitur: Pulchræ
ſunt genæ tuæ ſicut turturis, quippe, cum in neutra ge-
narum næuus reprehenſionis appareat? [b] Quod ſi mini b 2.
mè quidem Veritatis deſiderio, ſed aut inanis gloriæ,
aut alterius qualiſcunq; commodi temporalis obten-
tu in Veritatem intenderit, iam & ſi vnam genarum
videatur habere formoſam, non tamen vt arbitror, du-
bitabis iudicare vel ex parte deformem, cuius alteram
faciem cauſæ turpitudo fœdauerit. [c] Si autem uideris c 3.
hominem nullis honeſtis ſtudijs intendentem, ſed car
nis illecebris irretitum, ventri & luxuriæ deditum, qua
les ſunt illi, quorum Deus venter eſt, & gloria in confu Philip. 3.
ſione ipſorum, qui terrena ſapiunt, quid? iſtum non ex
vtraq; parte fœdiſſimum iudicabis, in cuius vtiq; inten
tione & res & cauſa reproba inuenitur? Ergo intende-
re non in Deũ, ſed in ſeculũ, ſecularis animæ eſt, nec
vllam prorſus genarum ſpecioſam habentis. Intendere
autem quaſi in Deum, ſed non propter Deum, hypocri
tæ planè animæ eſt. cuius & ſi vna facies decora uide-
tur, quòd ad Deum qualicunq; intentione reſpiciat:
ipſa tamen ſimulatio omne decorum in ea extermi-
nat, & magis per totum ingerit fœditatem. [d] Si au- d 4.
tem vel ſolum uel maximè ob uitæ præſentis neceſſa-
ria ad Deum conuerterit intentionem, non quidem fę
ce hypocriſis putidam, puſillanimitatis tamen uitio di-
cimus ſuboſcuram, & minus acceptam. [e] Porrò è con e 5.
trario intendere in aliud quàm in Deum, tamen pro-
pter Deum, non ocium Mariæ, ſed Marthæ negotium
eſt. Abſit autem ut quæ huiuſmodi eſt, quicquam illã

dixe-

„ dixerim habere deforme. non tamen ad perfectum ad
„ firmauerim peruenisse decoris, quippe, quæ adhuc so-
„ licita est, & turbatur erga plurima: & non potest terre-
„ norum vel tenui puluere non respergi. quem tamen
„ citò facileq; deterget, vel in hora sãctę dormitionis ca-
„ sta intentio, & bonę cõscientiæ interrogatio in Deum
f 6. f Ergo solum inquirere Deum propter ipsum solum,
„ hoc planè est vtranq; bipertitæ intenrionis faciem ha-
„ bere pulcherrimã, atq; id proprium & speciale sponsę,
„ cui meritò singulari prærogatiua audire conueniat: Pul
„ chræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Proficientis propria
sunt duo posteriora genera, immò perfectorum etiam,
vix enim purior aut perfectior intentio excogitari po-
test, quàm quæ hisce generibus continetur. neq; verò
à negotijs ex charitate susceptis extimescẽdum est pro
ficienti aut perfecto terreni pulueris periculum. nam
& has sordes facile eluit charitas, cuius est operire multi
tudinem peccatorum, nec perfecto viro deest fa-
cultas eas facilè præuertendi, vt docuimus libro de
Perfectis.

Cum igitur Intentionis oculum in vnam Dei glo-
1. Cor. 10. riam figendum nobis esse certũ sit, præcipit enim Apo-
stolus, siue manducatis, siue bibitis, siue aliud facitis,
Col. 3. omnia in gloriam Dei facite. & omne quodcunq; fa-
citis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini
Iesu Christi, gratias agentes Deo & patri per ipsum: de
codemq; Patres omnes vna & mente & voce consen-
tiant; meritò quæritur quàm sępe Intentionis actus pro
ficienti iterandus sit, aut renouandus, præsertim cum
ad meritum æternæ gloriæ actiones bonas huiusmodi

in-

intentione formari oportere asserãt graues Theologi. Et Respondeo. Intentio bona quo modo iteranda.

Primum. Et si Apostoli verbis quæ producta sunt vis legis ac præcepti subsit, fit tamen huic legi satis, si obeantur bonæ actiones; ex sese etiam si præsenti intẽtione in Deum non dirigantur. sic habet S. Thomas, & ante eũ S. Augustinus: Cum Deus inquit laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum, sicut cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum, & cum hortatus esset ad varias actiones bonas, eas breuiter colligens sic concludit: Laudas cum agis negotium, laudas cum cibũ & potum capis, laudas cum in lecto requiescis, laudas cum dormis. ad illam perfectissimam laudem (nempe Angelorum) exerceamus nos laudatione ista in bonis operibus. explicans idem verba illa: Tota die laudem tuam. Et cuius ait lingua durat meditari tota die laudem Dei? suggero remedium, vnde tota die laudes Deum si vis, quicquid egeris bene age, & laudasti Deum. & hoc ait S. Thomas, est, actiones habitu referri in Deum non actu.

1. Dictũ.

Ad Col. lect. 3.

In Psal. 146.

In Psal. 34 cõcione 2.

Deinde quod ad meritũ sempiternę beatitudinis attinet, vt extra controuersiã est, debere hominem vt mereatur, esse in Dei gratia & charitate constitutum; sic cõsentaneum est, & S. Thomæ doctrinę cõsonum, oportere eundem nonnunquam actiones suas vniuersè saltem in Deum retulisse. meriti quippe radix est charitas erga Deum. ac vt similiter certum est, hominem qui vt diximus, est gratia & charitate præditus, non necesse habere singulas actiones suas bonas in Dei gloriam referre; sic ad meritum ipsum etiam satius & tutius est,

2. Dictum

1. 2. q. 21 art. 4.

si

si semper, aut quo potest crebrius, eas in Deum dirigat. tum ad scrupulum omnem eximendum ex animo, tū quia vt scribit S. Bonauentura, intentio actualis est perfectior & magis meritoria habituali, quia inquit addit aliquam bonitatem supra habitualem.

1.i. de septē Itineribus Æternitatis.ca. de 1.Itinere dist.1.

3.Dictum Sed propius ad rem nostram accedamus. Proficienti ratio profectus est habenda maximè. ideo is officio suo rectè fungitur, si cuiuslibet Actionis initio secum statuat, eam diuinæ gloriæ omnino dicare. hoc sanè cōsilium esse Apostoli Pauli cum vt ante diximus, hac de re monita scribit Corinthijs & Colossēsibus, nemo negat. & S. Gregorius: Vigilanti inquit cura, per cuncta opera intentio nobis nostra pensanda est, vt nil temporale in his quæ agit, appetat, totam se in æternitatis soliditate figat, ne si extra fundamentum actionis nostrę fabrica ponitur, terra dehiscēte soluatur. & postea. Bases vnicuiusq; sunt animæ intentiones suæ. Nam sicut fabrica columnis, columnæ autem basibus innitur; ita vita nostra in virtutibus, virtutes verò in intima intentione subsistunt. Cassianus autem eandem normam & adhuc seueriorem præscribit in hunc modum. Hac itaq; nobis destinatione proposita, (scilicet secundum æternam vitam cordis puritate) semper actus nostri & cogitationes ad eam obtinendam rectissimè dirigentur. Quæ si oculis nostris iugiter statuta non fuerit, non solum cunctos labores nostros varios pariter atq; instabiles reddens, in cassum eos ac sine vllo emolumēto compellet effundi, sed etiam cogitationes omnes diuersas sibique contrarias suscitabit. Quæ porro emolumēta ex hac cōtinuata aut sæpe repetita intētione

Lib. 28. Mor.c.13.

Col.1.c.5

nc

ne in Deum oriantur, non est huius loci enumerare omnia. illa non omittam quæ S. Bernardus attigit cum hac de re suo more præclarissimè differit. Da mihi ait, animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est: cui viuere Christus non tantum sit, sed & diu iam fuerit: cui studij & otij sit, pro uidere Deum in conspectu suo semper: cui solicitè ambulare cum domino Deo suo, non dico magna, sed vna voluntas sit, & facultas non desit: da inquam talem animam, & ego non nego dignam sponsi cura, maiestatis respectu, dominantis fauore, solicitudine gubernantis. & si uoluerit gloriari, non erit insipiens. tantum ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Explicat paulo post aduentum patris & filij in huiusmodi animam cum admiranda illa copia donorum cęlestium spiritualiumq; diuitiarum: quibus destitui necesse est illos, quos in rebus omnibus continuandę purę intentionis in Deum par solicitudo non stimulat, aut par Dei gratia non accendit. Sed de hac re postea nonnulla.

Serm. 69. in Cant.

1. Cor. 1.

Nunc quod ad intentionem in Deum frequẽtandã quod quærebamus, spectat, sit hęc Clausula. Ad spiritus profectũ maximè pertinet, ad singulas actiones, quas ex virtute inimus, nouam afferre intentionem diuinę gloriæ. Si verò actio diuturna sit, eiusdem studij proficiendi est, in ipso actionis cursu eandem renouare intẽtionem, ac demum in actionis exitu Deo à quo est omne bonum, gratias agere. hoc est sine dubio Patrũ placitum, in primis S. Gregorij, qui (vt retulimus secundo libro de Disciplina,) propterea initia, progressus & fines Actionum nostrarum obseruari præcipit, quod in

4 Dictũ.

Li. 1. Mor. cap. 38.

ijs maximè Intentioni rectæ insidias struere diabolus consueuit.

Mortificatio sui. Post Intentionem discutienda nobis est Actio per necessaria Proficienti, quæ Mortificatio aut Abnegatio est hanc enim primam obimus cum manum mittimus ad aratrũ, hac media insistimus, & procurrimus in virtute. hæc finis & terminus est nostrarum omnium in pietate concertationum. immò & vitę ipsius, quę vt ait Iob non nisi militia est super terram. Hanc à nobis frequentari oportere significat dominus cum apud S. Lucam dicit: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. quem locum S. Hieronymus scribens in Matthæum, sic intelligit; ne putemus ardorem fidei posse sufficere, semper crux portanda est, vt semper nos Christum amare doceamus. portatur autem semper crux per continuam mortificationem, ad eum modum quo de S. Luca Ecclesia canit, qui crucis mortificationẽ iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit. Perpetuitatem hanc vt significet Apostolus, similem facit crucifixioni. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs. quam etiam similitudinem prosequitur Cassianus, tanquam inter Ægyptios monachos tritã suo tempore, & tyronibus ipsis insinuari solitam. Ad idem spectat illa S. Augustini uox. Hoc est opus vestrum in hac uita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frenare, interimere. Hęc est actio nostra. Hęc est militia nostra; quam etiam alibi bellum intestinum nominat. Inter multas autem, duas ex eodem S. Augusti-

Iob. 7.

Luc. 9.

Matth. 10.

Gal. 5.

Lib. 4. ca. 34. & 35.

Ser. 13. de verbis Apostoli.

no

no huius rei rationes colligimus. prior est Virtutis peregrinitas; etsi enim insita nobis natura sunt virtutum semina; primò non omnium: nam supernaturalium non; ideo enim sunt supernaturales, quia naturam longè superant. deinde cognata magis proculdubio sunt naturæ depravatæ primi parentis culpa vitia, quàm virtutes. quare perpetuò pugnãdũ est animo in domãdis ita vitijs, vt aliquando in eius possessionem veniat Virtus? Porrò ipsa Virtus ait S. Augustinus, quæ non est inter prima naturæ, quoniam eis postea doctrina interueniente superuenit (quod multo maxime in virtutes infusas quadret, oportet) cum sibi bonorum culmen vindicet humanorum, quid hic agit nisi perpetua bella cum vitijs, nec exterioribus, sed interioribus, nec alienis, sed planè nostris & proprijs, & maximè illa, quæ Græcè σωφροσύνη, dicitur, Latinè temperantia nominatur, qua carnales frœnantur libidines, ne in quęq; flagitia mentem consentientẽ trahant. quod etiam postostendit S. Pater de alijs virtutibus. Posterior ratio est. quia vitiorum tãta est multitudo & vis, vt vno auulso, aut ex parte compresso, non deficiat alterum. quare animo in perpetua manendum vigilia, luctandumq; cum vitijs semper. Calca mortuum (inquit S. Augustinus), transi ad viuum, à mortificato nempe vitio ad mortificandum. Calca iacentem, conflige cùm resistente, mortua est enim vna delectatio, sed viuit altera. Quod si dicas quantuncunq; cõtinuus acerq; sit conflictus cum vitijs, ea tamen expugnari nunquam, quòd viuat sẽper in nobis membrorum lex, quam vocat Apostolus, fomesq; peccati, ac concupiscentia, quæ nos continen

Lib. 59. de ciuit. Dei cap. 4.

De verbis Apostoli ibid.

Rom. 7.

ter vexat ac colaphizat. Primum quidem dico, multa vitia vt actionibus malis progignuntur, sic actionibus contrarijs bonis extinguuntur. Deinde alia si non radicitus conuelluntur, quòd maneat concupiscentia semper, certè minuuntur & extenuantur ita, vt vix, ac ne vix quidem noceant. Continua instantia ait S. Anselmus, si non delentur, minuuntur.

Lib. de Similitudinibus, ca. 120.

Victricis huius mortificationis indiciũ adfert S. Augustinus. Iam non delectat, mortificatum est. Item: Deum non consentis, mortificas. cum cœperit omnino non delectare, mortificasti.

Ibid.

Ergo inquis ita continenter pugnandum est, vtà pugna desistamus numquam? Respondeo.

Primum.

Primùm, Dubium nullum est. dum somni tempus est, vigilandum nobis non esse ad pugnam aduersus uitia. possumus nihilominus habitibus vigilando partis ita composito animo decumbere, vt tunc etiam titillationibus sensus, & vitiorum illecebris phantasiam commouentibus interdum resistamus. quod sibi accidisse S. Augustinus est auctor. & quotidiana experientia compertum est. Aliquid amplius asserit S. Basilius. Somni inquit ipsi pietatis exercendę meditationes quę dam sint. quæ enim nobis sopore depressis ac solutis occursant obuersanturue imaginationes, consuerunt nescio quo pacto plurimum contingere ceu extremus quidam tenor susurri lenis, aut soni editi, idq; ex curis, quas tecum agitaueris interdiu tantisper enim dum viuitur, cuiusmodi fuerint studia, exercitationesue nostræ, istiusmodi necesse sit insomnia se dormientibus nobis ingerant. Hæc ille. Ego id consilij do, non tam

An animus etiam in somno bene occupari possit.

Lib. 10. cõfes. ca. 30. Homil. in martyrem Iulitam.

nobis

nobis laborandum esse, vt bonas cogitationes in somnis animo versemus, quam vt ijs uigilantes simulq; pietatis exercitationibus operam demus assiduè & serio. illud enim huius consequens est, & si id non cito, nec semper consequatur, non tam nos angat, quæ nam inter dormiendum virtutis reliquiæ moueantur in animis, quàm quas virtutis cogitationes vigilando suscipiamus, & quàm vtiliter in virtutis palæstra ipsi versemur interdiu.

Secundò. certum etiam est, teneri nos lege Dei nostros vitiosos affectus, carnemq; coercendi, quotiescunque ea tentatione nos pulsant, quæ cùm mortalis peccati periculo probabili, & magis si certo, coniuncta sit. hoc est enim, si facta carnis mortificaueritis, viuetis. & si secundum carnem uixeritis, moriemini. & mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Huiusmodi autem tentatio experimento potius, & opportuno magistri spiritualis consilio cognoscitur, quàm doctrina. quo tempore monent docti uiri, necesse non esse, quamuis utile, actione contrariæ uirtutis uitiò præsenti repugnare. Sat esse, si consensus tentationi nullo modo præbeatur, ac ideo hoc utpotè illius generis quæ negantia præcepta dicuntur, ligat nos ut aiunt, semper, & pro semper. & hoc ipsum mortificari est. nam si non consentis, ait S. Augustinus, mortificas.

Secundũ. Rom. 8. Colos. 3. Caiet. in Sum. verb. Contritio. Ser. 13. de verb. Ap. Tertium.

Ad extremum, extra grauium tentationum pericula vtilissimum est, et ad uirtutes, perfectionemq; consequendã apprimè necessarium, vt quæcunq; sese offert ad passiones uitiosas debellandas & seipsũ planè peruincendũ occasio, ea auidè arripiatur. id maximè clarũ

& te-

& testatum est ex Scripturis, & Patribus ego confirmo
Psalm. 17. in præsentia sensu mystico quidem Dauidis ad rem no
In Psalm. eundem. strum tamen à Sancto Augustino accommodato. Persequar inimicos meos, ait Propheta, & comprehendã illos. Augustinus: Persequar affectus carnales meos, nec ab eis comprehendar, sed comprehendam illos, vt absumantur. Et non conuertar, donec deficiant. & ab ista intentione non conuertar ad quietem, donec deficiant, qui obstrepunt mihi. comfringam illos, nec poterunt stare. confringam illos, nec durabunt aduersum me. cadent subtus pedes meos. Deiectis illis prę ponam amores, quibus ambulo in æternum. Et præcinxisti me virtute ad bellum. & constrinxisti fluenta desideria carnis meæ uirtute, ne in tali pugna præpedirer. Hæc ille. Ex quibus etiam perspicuum est, adesse Dei gratiam sic dimicantibus, illam ipsam, quam in si-
Rom. 7. mili pugna sibi pollicetur Apostolus. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Hic nihil de pęnitentiæ, reliquarumq; actionum quæ ad uexandum corpus suscipiuntur, frequentatione dicitur, quòd de ea tractatum iam sit primo & secundo libro de Disciplina.

Oratio. quatenus frequentã da. Tentationi nullum medicamentum præsto magis est quàm mortificatio & oratio, ut suo loco dictum est. quare postquam de mortificatione, de oratione frequentanda agendum nunc est. Habet enim id propriã
Luc. 18. dubitationem. quia scriptum est: Oportet semper orare, & non deficere. Latissimè autem hic orationis nomine utimur, ut complectitur & Dei perpetuam memoriam,

riam, de qua Dauid: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. & cęleſtem cum Deo eiusq; domeſticis ſanctis Angelis & hominibus familiaritatem, prout Apoſtolus ſcribit: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt. & voluptatem deniq; ex præſentia Dei in viri juſti animum ſuauiſſimè vt ſolet illabentis. quam itidem Dauid commemorat: Lætẽtur in te omnes, qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis. hoc eſt ut alij vertunt, te in eis habitante, lætis vocibus perpetuò perſtrepent. in his enim omnibus Scriptura ſacra non frequentationem modò, ſed continuationem & perpetuitatem quandam apertè deſignat. Pſalm. 15. Phil. 3. Pſalm. 5.

Et quidem de orationis frequenti vſu quid ſentiendum ſit, facilè Theologi expediunt.

Aiunt primò obligari nos orandi lege, cum imminet nobis grauis aliqua tentatio; qua vt eripiamur, diuina ope ſit opus. Similiter, cum opus arduum & periculi plenum aggreſſuri ſumus. Deniq; quandocunq; cõparamus nos quia ſic oportet vitandi aut propulſandi peccati cauſa, ad Dei gratiam recipiendã. Legatur P. Vaſquez in tertio ſuæ Theologię Tomo. Aiunt deinde, certos homines quales ſunt Eccleſiaſtici & Religioſi, ſtatis horis ab Eccleſia aut inſtituto præſcriptis, ſtatutas preces ac ceremonias, ritusque religioſos Deo ac ſuperis perſoluere ex lege debere. nec his de capitibus eſſe cõtrouerſiam ullam. Aiunt tertio, quanquam varia eſt apud Sacros ſcriptores interpretatio ſententiæ Domini: Oportet ſemper orare; clariſſimè tamen ac ſimpliciſſimè ſic exponi. Cum petimus aliquid à Domino, ſi nõ ſtatim conſequimur quod poſtulamus, animum ne Diſp. 6. q. 2. p. 3.

abijcia-

abijciamus, perſeueremus potius etiam cum labore quærendo & pulſando, hoc eſt enim Græcis illud, non deficere, ideſt labori non ſucumbere. donec ſaltem propter importunitatem annuat optatis Deus. ad quā regulam explicanda & illa ſunt: Sine intermiſſione orate. Orationi inſtantes. Legatur etiam S. Thomas.

Quæ ſit apud Patres oratio perpetua. 1. Theſ. 5. Rom. 12. 22. qu. 83. artic. 14.

Difficilius explicatu eſt, quid ſit apud Patres oratio perpetua. Siquidem Caſſianus non ſolum orationem perpetuam probat, ſed ad eam monachum inſtituit. ſic enim habet: Ideo frequens lectio, & iugis adhibetur meditatio Scripturarum, vt exinde nobis ſpiritualis memoriæ tribuatur occaſio. iccirco decantatio crebra Pſalmorum, vt aſſidua nobis exinde compunctio miniſtretur. iccirco vigliarum omnium, ieiuniorumq; ſedulitas, ut extenuata mens, non terrena ſapiat, ſed cæleſtia meditetur. Et alio loco: Ad perpetuam Dei memoriam poſſidendam erit hæc inſeparabiliter propoſita formula pietatis. Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me feſtina. idq; inculcat adeo, vt tandem addat. Hunc verſiculum meditanti tibi ſomnus obrepat, donec inceſſabili eius exercitatione formatus, etiam per ſoporem eum decantare cōſueſcas. Climacus etiam ſic breuius: Ille tranquillus, qui carnem ab omni labe purgauit: mentem uerò ſuper omnem creaturam eleuans, illi ſubijcit ſenſus, atq; vultui Dei animam ſiſtens, ſupra virium ſuarum modum in illum ſe ſemper extendit. Sed huius ſententiæ ac doctrinę parens eſt S. Baſilius, qui inter cetera ait, nobis mentis habitu cōmigrandum in alium ueluti mundum, quia ſcriptum ſit: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt.

Col. 1. ca. 17. Col. 10. cap. 9. Cap. 29. Reg. fuſ. cap. 5. Phil. 3.

Hæc

Hæc planè constat perfectionis studiosis à patribus tradi; in quem tamen numerum conijcit omnes Christianos S. Basilius. Quoniam vero perfectio in eo potissimũ posita est, vt Deo animus hominis hæreat, arctissimeq; copuletur non solum habitu, sed magis actu, intellectus nimirum & voluntatis actionibus; iccirco patres vtranq; animi facultatem informant, & instruũt ad proximã cum Deo coniunctionem, quàm possunt accuratè. Postquam enim S. Basilius multa de mortificatione affectionum, memorię quoq; ipsius expiatione, alijsq; præparationibus disseruisset, addit: His pręstitis, omni custodia Cor custodiendum; neq; patiẽ dum, vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris unquam elabatur, neue eorum, quæ mirabiliter ab eo acta sunt memoria contaminetur per inutiles, & euanidas cogitationes; contraq; illud agendum assiduè, vt ex perpetua ac purissima recordatione, impressam in animis nostris piam de Deo cogitationem velut indelebile aliquod signum circumferamus; siquidem hæc est ratio, per quam acquiri erga Deum charitas consueuit. Post alia adiungit, vt Dei perpetua memoria conseruetur, in Deum assiduè in rebus omnibus intentionem esse dirigẽdam. Hæc ille. Ad vtranq; prædictarum actionum quantum maximè fieri potest continuandã, nihil aptius Patres existimarunt, quàm orationem; eamq; si non perpetuam, certè frequentissimam, & frequentatam potius quàm perpetuam, quòd perpetua esse non posset, frequens crebraq; esse posset. Sic habet S. Augustinus. Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim

Ser. de abdicat.

Ibid.

Ep. 121. cap. 10.

quodammodo iaculatas; ne illa vigilanter erecta quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras euanescat, atq; hebetetur intentio. Cassianus de ijs Ægyptijs scribens: Vtilius inquit censent, breues quidem orationes, sed creberrimas fieri; illud quidem, vt frequentius Dominum deprecantes iugiter eidem cohærere possimus: hoc verò, vt insidiantis diaboli iacula quę infligere nobis tunc precipuè cum oramus, insistit, succincta breuitate vitemus. Sanctissimus P. Benedictus præscribens orandi formam: Non in multiloquio ait, sed in puritate cordis & compunctione lachrymarum nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis debet esse & pura oratio; nisi forte ex affectu inspiratione diuinæ gratiæ protendatur.

Lib. 2. ca. 10.

In Regula cap. 20.

Ceterum Cassianus & alij non obscurè significant præcepta illa de perpetua Dei commemoratione, & ad eũ precatione data fuisse ijs maximè qui ab omni actuo sæ vitæ occupatione longè positi toti sunt in contemplationis studijs. Quod si ijs ipsis propriè precationem perpetuam nec concedunt, & suadent frequentem; quis non intelligit, eos qui in actione præterea uersantur, multò magis ad frequentem orationem, ad perpetuam nullo modo inuitandos esse, & informandos? Et sanè S. Bernardus postquã retulisset debere nos exemplo Christi orationis tempore etiam corpore secedere: Ceterùm ait, sola indicitur tibi mentis & corporis solitudo; solus es si non communia cogites, si non affectes præsentia; solus es in quantacunq; hominum verseris frequentia: tantum caue alienæ conuersationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius iudex. Sic ille.

Col. 10. cap. 6.

Ser. 40. in Cant.

le. Crebrò igitur ij etiam qui negotijs implicãtur, Deũ vti præsentem intueantur, ad eius gloriã actiones suas dirigant, ad eum crebrò suspirent, eum frequenter & quoad possunt frequentius, & si non nisi raptim rogẽt, obsecrent, obtestentur, gratias deniq; agant illi; sicq; ab eiusmodi cum Deo consuetudine quàm minimè fieri potest sese distrahi patiantur.

Porrò orationis longius proferendæ rationem non alia Patres metiuntur regula, quàm interno eoq; diuinitus immisso feruore deuotionis. Sic S. Benedictus vti nunc dicebamus; sic S. Augustinus his verbis: Ac per hoc etiam ipsi (nempe Ægyptij) satis ostendunt, hanc intentionem sicut non est obtundenda, si perdurare non potest, ita si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Explicat S. Thomas: Vniuscuiusq; rei quantitas debet esse proportionata fini; sicut quantitas potionis sanitati. Vnde & conueniens est, vt oratio tantum duret, quantum est vtile ad excitandum interioris desiderij feruorem; Cum verò hanc mensuram excedit, ita quod sine tædio durare non possit, nõ est vlterius protendenda. Hæc S. Thomas. Is autem feruor non semper industria nostra excitatur, sed à Deo viris bonis plerumq; immittitur, hoc est enim spiritum postulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quare cum adest, est magnopere fouendus, cum abest, humiliter & ardenter accersendus. Hęc est S. Bernardo dignatio & præsentia Verbi; hæc per antonomasiam gratia, quam tantopere absentem expetendam, præsentem arctissimè com-

Ep. 121. cap. 10.

2. 2. q. 83. artic. 14.

Serm. in Cant. 74. & 54.

Lib.3.Cõfes. ca.21. plectendam prædicat. Hæ S. Augustino puri cordis vitales; delicię; hęc prægustatio futuræ beatitudinis. Huic idem tantum tribuit, vt repente cum ex Deo adest, nos eum sequi iubeat, ad eiusq; ductum omnes vires animi applicare. Sic enim scribit Simpliciano: Cum autem non quæritur, sed infertur appetitus orandi, hoc est, cũ aliquid repente venit in mentem, quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocunq; modo inuenerit hominem, non est vtiq; differenda Oratio, vt quæramus, quò sedeamus, aut vbi stemus, aut vbi prosternamur; gignit enim sibi mentis intentio solicitudinem, & sæpè etiam obliuiscitur se vel ad quam cęli partem, vel in qua positione corporis membra illud tempus inuenerit. Hæc ille. hęc deniq; est interna Dei vocatio, qua animam sibi despon sam ducit in solitudinem cordis, vt ibi loquatur ad Cor eius. Hac cum se pulsari intelligunt viri sancti, quales fuerunt prędicti Patres, & pręterea alij quàmplurimi, inter quos excelluit S. Ephren Syrus, statim vocantem Dominũ attendentes, eius instinctum studiosissimè sequebantur, paulisper etiam si opus esset, à turbis secedentes, ita tamen, vt quod iam haberent, secedendo tenerent. Sic consueuerat Thomas ille Kempensis egregius contemplator: date veniam fratres aiebat, nescio quis me præstolatur in cęlla; in quam cum esset ingressus, iucundo perfusus horrore, assistẽs Domino, aut adeius mysticos pedes venerabundus accidens, sic ordiebatur. Loquere Domine, quia audit seruus tuus.

Lib.2.qq. ad Simplicianum. quest. 4.

Demum vt res tota concludatur, quando occupatis etiam viris vtilis admodum est frequens, iaculatrix saltem

tem oratio; ad eius habitum comparandum incumbere debet perfectionis ſtudioſus; Quod multis rationibus conſequetur; vna illa potiſſima, & cui tanquam radici nititur tota creberrimę orationis huius induſtria, ſi diebus ſingulis ſtatis horis ſeſe ſacræ meditationi rerum diuinarum, vitæ præſertim ac mortis Chriſti Domini, ſerio conſtanterq; tradiderit. Scit inquit S. Bernardus, quicunq; ſenſum Chriſti habet, quantum pietati Chriſtianæ expediat, quantum Chriſti ſeruum, & ſeruũ redemptionis Chriſti deceat, & vtile ei ſit, vna ſaltem aliqua diei hora paſſionis & redemptionis ipſius attentè recolere beneficia, ad fruendum ſuauiter in conſciẽtia, & recondendum fideliter in memoria, quod eſt ſpiritualiter manducare corpus Chriſti, & bibere eius ſanguinem, in memoriã eius, qui omnibus in ſe credentibus præcepit dicens: Hoc facite in meam commemorationem Hæc ille. Hæc meditatio eſt principium perſeuerantis deuotionis, hæc quaſi ſeminarium diurnarũ orationum, hæc deniq; actionum omnium bonarum ac ſeruoris ipſius non ſolum ſeges, ſed regula eſt quotidiana atq; continua; ea ſiquidem vt idem S. Pater alibi tradit, bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem, humectat interiora arentis cõſcientię, eſcas bonorum actuum digerit, & deducit per quędam animæ membra, fidem roborans, ſpem confortans, vegetans ordinansq; charitatem, & impinguans mores. Hæc ille. Quæ vt ita ſint, vberem nihilominus materiam præbent huiuſmodi orationibus opera ipſa, quæ quisq; ex vocationis ſuæ inſtituto interdiu tractat. Le-

Ep. ad Fratres de Mõte Dei

Serm. 18. in Cant.

gatur

Reg. fusius disp. cap. 37. gatur S. Basilius, qui id ut cetera egregiè docet.

Ac ne nimis longum faciam Virtutum species percurrendo, expeditis ijs quę ad Actiones uirtutis pręcipuas, eas inquam quę duces sunt & comites aliarum omniũ, pertinere uisa sunt, de reliquis Virtutum Actionibus breuiter sic statuendum uidetur; eas nempe quo crebrius possumus frequentare nos oportere: tum, ut alia nunc omittam, quia Virtus, ut ante diximus, quasi hospes domi nostrę cum sit, hisce repetitis officijs uelu ti quibusdam retinaculis religanda est, ne dilabatur, aut euanescat: tum, quia nisi crescat Virtus, ferè decrescit; crescit autem iteratis actionibus. Vtranq; rationem attigit S. Bernardus. Cũ enim attulisset ex Cãtico tribus locis florem illum mysticum reperiri, in campo, in horto, in thalamo; in campo quidem & in horto oriri florem, in thalamo autem redolere quidem, sed iacere dejectum tanquam illatum, non innatum, addit, propterea & necesse est sanè reparare frequenter, & semper recentiores apponere flores, quod diu odorem suum minimè retineant, nec decorem. Quod si (ut alio sermone prefatus sum) lectulus respersus floribus, conscientia est bonis referta operibus, vides certè vt similitudo seruetur, nequaquam sufficere semel uel secundò operari quod bonũ est, nisi incessanter addas noua prioribus, quatenus seminans in benedictionibus, de benedictionibus & metas; alioquin iacet, & marcet flos boni operis, atq; in breui omnis ex eo & nitor exterminatur & vigor, si non alijs atq; alijs superiectis pietatis actibus reparetur. Hęc ille.

Setm. 47 in Cant.

2. Cor. 9.

Vitanda nimia re-

Hęc deniq; quę de bonarum actionum exercitatione

ne

ne præscribunt Patres, sic in usum deducenda sunt à proficiente, vt quanquam is sese, actionesq; suas dum eas obit, circunspicere omninò debeat, vt rectè fiant, non ita tamen in ijs recognoscendis dum agit, immorari debet, ut in singulis exquisitius quàm par est discutiendis uersandisq; hæreat; tum, quia ut ait S. Gregorius: si diu mens rebus discussis inuoluitur, peruenire ad indiscussa prępeditur; tum, quia dum cogitationem in actionem eiusq; circunstantias diutius figit, scrupulis irretitus, dum se ab eis expedit, Virtutum studia interim cogitur intermittere; quę tentatio diaboli maxima est, in eum finem excitata, vt quemadmodum S. Gregorius loquitur, quem superare non potest, saltem occupare conetur; efficiatq; tandem, ut prorsus à nobilissima, omniumq; utilissima uirtutis exercitatione deficiat. Quare magno animo ad rem tantam aggredi nos oportet, ope nimirum Dei præsente animatos ac roboratos, cogitandumq; subinde dum actiones bonas inimus, seruire nos illi, ac militare, cuius spiritus suauis est, & qui in primis spirituum ponderator est, nouitque figmentum nostrum; illiq; nos abundè facturos satis, si quę eius instinctu & munere ad eiusmet gloriam inchoauimus, prudenter quidem & circunspectè, animosè tamen & fortiter ad finem usq; prosequemur.

flexio mẽtis.

Li. 3. Mor. cap. 11.

Lib. 31. Mor. c. 29.

Sed & alter scopulus declinandus simul est; ut non ita frequentemus actus uirtutis internos, ut sibi succedentibus mentis cogitationibus, affectionibusq; volũtatis, simus continenter in perpetua quadam continuataq; cõiugatione cogitationũ actionumq; (Actuationẽ nunc vocant) id enim quanquam optimum sit, si alicui

Fugienda Actuatio.

diuini-

diuinitus detur, paucorum tamen est, & patriæ potius quàm viæ; in qua uanitati creatura subiecta est non uolens, & in qua dum detinemur peregrinantes à domino, si non alterna requies procuranda, suum certè tempus ponendum in ijs operibus, quæ institutam continuationem illam interrumpant; qualis est somnus, cibus, munera vitę actuosę, & mixtæ, vocationis denique officia multa, quæ sine culpa ab homine prętermitti, cum illa porrò semper cohęrente nec unquam intercisa cogitationum serie, actionumue nexu nisi cũ incurię culpa obiri possunt; prętерquàm quòd hinc etiam magnum certumq; periculum corporis valetudini pręsertim capitis ac cerebri creat Satanas, vt ita nos tandẽ exhabefactos aut victos tædio, ex uirtutis palęstra extrudat; quare magna prudentia Virtutis iter dirigendum est; ac semper ante mentis oculos habenda illa duo: ad frænandum vehementiorem copulandarum actionum currendiq; cupiditatem, Ne quid nimis; ad seriò voluntatem concitandam ad officium, Age quod agis. Suum deinde tempus Actionibus examinandis dabitur, sed certum, & statis horis, atq; ab ipsis de quibus nunc agimus, actibus separatum; hocque illud est quod S. Gregorius scribit, post uirtutis sensum, intentionem cordis dirigere, & omne quod agitur districta retractationis discussione mundare.

3. Mor. ca. 35.

Quo

Qua Ratione veræ Virtutis Actiones à falsis dijudicandæ sint. Cap. 4.

FAlsas fictasq; Virtutes ac proinde ijs similes Virtutis Actiones interdum reperiri, & scriptura & vsus ipse satis superq; demonstrant. Religionem & obedientiam simulauit Saul coram populo & Samuele. Absalon humanitatem, charitatem, iustitiæ zelum erga Israelitas, qui Patris tribunal adirent. ut nihil dicam de ipsiusmet Dauid in Vriam Ethæum ementita beneuolentia. Innocentiam & diuinę glorię studium insolens Pharisęus ille, in proximè adstantem & contritum Publicanum contumelioſus: Iudas pietatem, Simon Magus etiam fidem. Deniq; Dæmon ipse, quid aliud facit cum se trãs figurat in Angelum lucis, quàm simulare virtutem, Sanctosq; viros? & Hypocrisis quid est aliud quàm flagitij larua, Virtutis fucus? Contrà, verè Israelitas, & in quibus dolus non est, laudat Dominus in Nathanaele. & Apostolus hortatur ad sanctitatem veritatis, hoc est ad veram sanctitatem, ad succingendos lumbos in veritate, vera nimirum castitate coërcendos, falsos fratres nempè simulatores accusat, & charitatem fundat in fide non ficta, affirmatq; aliquos ex occasione, quærendo quæ sua sunt, Christum annunciare, ex veritate & studio diuinæ gloriæ amplificandæ, alios.

Ioan. 1. Eph. 4. Eph. 6. 2. Cor. 11. 2. Tim. 1. Phil. 1.

Vtile ergo fuerit, veræ Virtutis indicia explicare, vt agnita diligatur, colaturq;, ijsdemq; deprehensa quæ falsa est, repudietur.

Li. 1. Mor. cap. 35. Ac primum obseruandum est ex S. Gregorio, Virtutum sensus, hoc est pondera, & quanti quæq; sit Virtutis Actio ac qualis, melius preces quàm discussiones inueniunt. nam ea quæ perscrutari in nobismetipsis plenius nitimur, sæpè verius orando, quàm inuestigando penetramus; cum enim mens per quandam compunctionis machinam ad alta sustollitur, omne quod ei de seipsa occurrerit, subseipsa dijudicando certius contẽplatur. cap. 36. & paulo post; Sed hæc inquit agere nesciunt, ni si hi, qui priusquam cogitationes ad opus prodeant, internos suos motus sollicitè circũspicientes frẽnant. Hæc cauere nesciunt, nisi hi qui virili custodia munire mentem nouerunt. Quare ex S. Gregorio duas diiudicandę Virtutis Actiones rationes habemus, orationem & mortificationem. oratione quippe circunspecta (de qua loquitur S. Gregorius) illuminat Deus tenebras nostras, & gressus dirigit; quæ sine dubio causa est, cur plerunq; viri illiterati, sed pij, valde perspicuè magis & plura de virtutum officijs ac momentis intelligant, harumq; rerum meliores arbitri iudicesue sint, quàm viri alioquin lõgè doctiores, nec ita probi aut mortificationi dediti. nam dum exercitatione Virtutis consuescit quis, non eo trahi, quo eum rapit cupiditas, sed frẽnare potius ac comprimere prauas animi affectiones, necesse est, vt expertus probet, quid sit esse in sua potestate, seq; ipsum planè peruincere, quod est maximum Virtutis officium. idq; multo magis, cum ad mortificationem accedit pia ac frequens consuetudo cum Deo, à quo tãquam à fonte deriuatur lux vera, hominiq; ad seipsum dispiciendum maximè necessaria. quanquam

ista duo

ista duo nec planè satis sunt ad iudicandam Virtutem. Propterea & illud ex S. Augustino animaduertendum est, in Actione virtutis præcipuam habendam esse rationem Intentionis boni. quod consonum est doctrinæ Domini de cordis oculo illustrando, vt Actionis corpus totum eluceſcat. Noueris ait, non officijs, sed finibus à vitijs discernendas esse Virtutes. officium est autem, quod faciendum est: finis verò propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. & paulo post. Quales Virtutes Epicurus induxit uoluptatis ancillas, quæ omninò quicquid facerent, propter illam uel adipiscendam facerent, vel tenendam. Absit autem ut Virtutes verę cuiquam seruiant, nisi illi uel propter illum cui dicimus: Deus virtutum conuerte nos. Proinde Virtutes quæ carnalibus delectationibus vel commodis & emolumētis temporalibus seruiunt, verę prorsus esse non possunt. Quę autem nulli rei seruire volunt, nec ipsę verę sunt. Verę quippe Virtutes Deo seruiunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Hęc ille. Hęc porrò Intentio Deo seruiendi quāquā precipua pars est Actionis studioſę, adiunctam tamen habeat oportet materiam bonam, ut S. Augustinus ponit, & præterea circunstantias omnes, quibus Actio humana bona completur. est enim omnium consensu comprobata S. Dionysij sententia, Bonum ex integra causa.

Lib. 4 cō tra Iulianum ca. 3. circamed.

Matth. 6.

Psal. 79.

His ita constitutis, his potissimum Indicijs discernitur à falsa Virtus uera, eiusq; Actio.

Primum Indicium. Verę Virtutis Actio illa est, qua homo conformatur ad uoluntatem, exempla, dicta, factaue D. N. Iesu Christi: quę ille nobis ut imitaremur proposuit. Nam Christus Dominus non solum maximarum Virtutum omnium ornamentis excultus fuit, sed etiam factus nobis à Deo Virtutum omnium perfectissimum exemplar: immò Virtus ipsa atque perfectio: ideo omnis Actionis rectę norma & mensura. Mẽ
Apoc. 21. sura hominis quæ est Angeli dicitur in Apocalypsi, quod Glossa Christo accommodat tanquam Ecclesię militantis, & triumphantis mensuræ. & in Cantico Salo
Cant. 1. monis, quo loco editio vulgata habet, Recti diligunt te, Septuaginta Interpretes legunt, Rectitudo. hoc est
Ibid. Psal. 2. Christus, ait S. Gregorius Nyssenus Certè Christus à Dauid disciplina nominatur, ibi: Apprehendite disciplinam, &
Zachar. 1. ab Zacharia perpendiculum extendetur super
Io. 8. 14. Hierusalem, hoc est Christus. Quin ipsemet se mũdi lucem, & viam, veritatem, & vitam nominat. & auctor est
Lib. 1. Stromatum. Clemens Alexandrinus, à S. Petro Apostolorum principe appellari solitum legem, & rationem, quam ille regiam & animatam prædicat. Hanc diuini huius exem-
Lib. 1. de consensu Euangelistarum, cap. 35. plaris rationem ita dilatandam putauit S. Augustinus, ut usque ad Angelos uim eius, & potestatem extulerit? Consultum inquit est diuina prouidentia mortalibus, quorum temporalis vita in rebus orientibus & occidẽtibus occupata tenebatur, ut eadem ipsa Dei Sapientia ad unitatem personæ suæ homine assumpto, in quo temporaliter nasceretur, uiueret, moreretur, resurgeret: congrua saluti nostrę dicendo & faciendo, patiendo & sustinendo, fieret & deorsum hominibus exem-

plo

plo redeundi,& eis qui ſurſum ſunt Angelis exemplum manendi. Hæc S. Auguſtinus.

Quoniam verò & ſi omnes, maximè tamen proprię & natiuæ Chriſti Domini Virtutes ſunt Charitas, & Humilitas; illa demum Virtus uera eſt, quæ charitatem & humilitatem redolet, quæ hominem ad uitam ipſam pro Dei gloria & animarum ſalute ſi opus ſit, profundendam, ad rerum humanarum altiſſimum contemptum vſq; ad Crucis Chriſti ignominiam & probrū amplectendum inuitet & trahat. quare Chriſtianæ virtutis cultor zelo diuinę glorię & ſalutis hominum feruet, nec ſolum longius quàm par eſt, aura populari prouehitur, ſed occultat ipſe potius ſeſe, amans, ut ille ait neſciri, ſola conſcientia & Deo teſte contentus, niſi diuinæ glorię ſtudium aliud imperet.

Alterum Indicium eſt Sanctorum Virorum imitatio, in ijs in quibus imitationis propriè, non admirationis ſolum exempla edidere. Iccirco enim S. Paulus prouocat ad fidem Sanctorum veteris teſtamenti; quorum propterea integrum catalogum texit, eorum ſimul virtutes aliàs commemorans, imitandasq; proponens. S. Petrus ad obedientiam Sarę, ad iuſtitiam Loth. S. Iacobus ad ſufferentiam Iob, ad Elię orandi rationem & ſtudium. Huc ſpectabant uerba Tobię: Filij Sanctorum ſumus, & Helię, neq; enim melior ſum quàm patres mei. Dominus ipſe: Si inquit filij Abrahę eſtis, opera Abrahę facite. & Apoſtolus: Mementote prępoſitorum veſtrorum, qui uobis locuti ſunt Verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem; quę cauſa eſt, cur Eccleſia dies feſtos Sanctorum hominum

Heb. 11.
1. Pet. 3.
2. Pet. 2.
Iacob. 5.
Tob. 2.
3. Reg. 19.
Io. 8.
Heb. 13.

&in-

& instituerit, & agat. Verum nos, omnes quidem imitari oportet, præcipuè uerò ad sequenda vestigia Sanctorum noui testamenti vocati sumus, quod ij perfectissimam Virtutis Ideam Christum actionibus suis & moribus quàm proximè exprimere conati sunt. Imitatores inquit Apostolus, mei estote, sicut & ego Christi, quẽ sicut in seipso referebat ipse, sic ad eum alios etiam conformare omninò nitebatur; quare eam ueræ Virtutis actionem Patres asserunt, quę formam habeat similitudinemq; perfectam sanctitatis Apostolorum, virorum que Apostolicorum: quales tam multos seculis omnibus aluit Ecclesia Catholica vniuersa. id affirmat Cassianus, sed plenè explicat S. Gregorius. qui sic primum scribit: Electorum mens quanto magis supernę luci inhæret, tanto subtilius quomodo Virtutes à uitijs discernere debeat, uidet. post addit: Ad similitudinem numulariorum actiones humanas examinandas, in duobus præsertim, sit ne aurum, an quid auro simile quod habetur in manibus; aurum quippe Virtutis purum est, si puritate sanctæ intentionis collustratur. cuius item nummus ille imaginem gerat; & addit Intentionis qualitas si approbatur, impressæ mox formula quærenda est, si à probatis monetarijs, idest ab antiquis Patribus ducitur, & ab eorum vitæ similitudine nullo errore uitiatur. hincq; concludit, zelum iustitiæ quem profitentur persecutores proborum hominum, Virtutem nullo modo esse. quomodo enim ait à monetæ figura nõ discrepant, qui ab omni pietate iustorum iustos persequendo discordant? Hanc ratiouem dijudicandarum mortalium Actiones plerasq; secuti sunt in Ecclesia

1. Cor. 11.

Col. 2. cap. 4.

Lib. 33. Mor. c. 37.

Chri-

Christiana Maiores nostri, sceleris condemnantes instituta, mores, facinora quædam, quæ alioquin probitatis & perfectionis specimen præseferre uidebantur; ut Origenis præ castitatis amore præcipitatam sui castrationem; Euagrij Pontici passionum mortificationem & sensus alacritatē, quæ nihil differret ab Stoica ἀπαθεία. Priscillianistarum abstinentiam, Nouatianorum seueram puritatem, Pauperum Lugdunensium rerum omnium abdicationem; & alia complura similia, quæ quāquā speciem Virtutis haberent, quia tamen longè aberant ab antiqua Apostolicaq; sanctitate, multis erroribus maximisq; uitijs implicabantur. Ob eandem causam, mores nimirum antiquos, Patrumq; Sanctorum studia neglecta, castigat acriter S. Hieronymus quosdam sui temporis homines, qui se piscatorum discipulos asserentes, scientiam etiam scripturarum contemnebant, solamq; crassam rusticitatem pro sanctitate habebāt; quasi inquit, iccirco sancti, si nihil scierint. quos vtinam non imitentur aliqui nostri temporis homines Catholici, ut certē faciunt in Germania Anabaptistæ hæretici, qui studio sanctorum scriptorum posthabito, una vulgarium Bibliorum lectione contēti, transuersi suis quibusdam commentationibus acti, formam quidem externæ modestiæ & pietatis repræsentant, uerā tamen pietatem, & Matrem Ecclesiam abnegantes, uitam viuunt innumeris erroribus plenam; non aliam ob causam magis, quam quia quod semel placuit, adhuc placet, de trita Maiorum uia deflexisse. Hac aurea trutina, sanctorum scilicet Patrum exemplis, probat Ecclesia nouarum doctrinarum, si quæ adferuntur momenta Ep. 101. ad Marcel

menta, noua item uiuendi instituta, nouos mores, visa ipsa, & reuelationes hominibus factas: se demum ab omni suspicionis errore liberam tutamq; fore existimans, si eos rebus in omnibus in consilium adhibuerit, quibus optimorum consiliorum sanctissimæq; uiuendi rationis auctorem fuisse Spiritum Sanctum non dubitat; & quibus in primis dux tanti itineris vnus Christus fuerit, cuius doctrinam uitamq; Patres summo consensu secuti sunt; cum illo vnicè concordarunt, illiq; intimè hæserunt tanquam (vt S. Augustinus, loquitur) voci præmissæ concinens chorus.

In Ps. 87.

Quod si quæ in sanctis viris ut olim accidit, etiam nunc deprehendantur noua facinora, quę Spiritus sancti quidem instinctu, sed singulari & proprio edita sint; hoc ipsum Magistra ac Mater Ecclesia eadem examinatum statera nobis ut admirandum minimè tamen imitandum proponit, exempla non desunt; sed res est per se perspicua.

Lib. 2. Mor. c. 33.

Tertium Indicium est Prudentia; Nisi inquit S. Gregorius Virtutes reliquæ sapientiæ epulis repletę, ea quę appetunt, prudenter agant, Virtutes esse nequaquam possunt. Hanc appellat Cassianus & alij discretionem; cui tantum tribuendum censet, vt affirmet eam in virtutis exercitatione esse lucernam illam Euangelicam, Solem, quem Apostolus deprecatur ne occidat super iracundiam, Salomoni gubernationem uitę; consilium, sapientiam: eidem Apostolo solidum cibum, ipsi deniq; Verbo Dei comparandam, quandoquidem de eo scribitur: Discretor cogitationum, & intentionum cordis; ex quibus & ex S. Antonij, & aliorum Patrum sententia

Col. 21. cap. 4.
Eph. 4.
Prou. 11. & 31.
Sap. 24. secundū 70.
Heb. 5.
Heb. 4.

tia concludit, manifestissimè declaratur sine discretione nullam vel perfici, vel stare posse Virtutem; id quod adeo verùm est, ut etiam virtutibus Theologicis suo modo conueniat, & nos alio loco docuimus.

Quartum Indicium est societas ac colligatio reliquarum Virtutum omnium; non quippe verè humilis quispiam est, qui patiens, mitis, temperans, alijsq; similiter virtutibus præditus non sit. neq; enim scribit S. Gregorius, vnaquæq; verè Virtus est, si mixta alijs Virtutibus non est. Vnde rectè ad Moysem dicitur: Sume tibi aromata, & stactem, & onycham, galbanum quoq; boni odoris, & thus lucidissimum, faciesq; thymiama compositum opere vnguentarj mixtum diligenter & purũ. Thymiama quippe ex aromatibus compositum facimus, cum in altari boni operis virtutum multiplicitate redolemus. Quod mixtum & purum sit, quia quanto Virtus Virtuti iungitur, tanto incensum boni operis syncerius exhibetur. Hęc ille. Atq; hæc dicta sufficiant de natura, & proprietatibus Actionis bonæ. Nunc ex quibusnam quasi principijs ac fontibus emanet eadem, breuiter exponendum est; ijs enim perspectis, simul intelligitur, quid nobis præstandum sit, vt ea quoad à nobis pendent, quàm commodissimè virtutis exercitationem iuuent, promoueant, perficiant.

Lib. 1. Mor. c. 33.

Exod. 30.

Quam bonam Voluntatem ad Virtutis exercitationem adferri oporteat. Cap. V.

AVctor Virtutis Christus Dominus, & ut supra ostendimus, absolutissimum simul Virtutis exemplar, cum primùm Orbi nouus Sol illuxit, e Cœlis Angelos aduocauit ad iucundissimum Diuinum hymnum concinendum: Gloria in altissimis Deo, & in terra Pax hominibus bonæ voluntatis; vt intelligeremus, (quod significat S. Hieronymus) Christum pacem adferre hominibus Virtutis studiosis; hos namq; bonæ voluntatis homines appellat. Virtus enim quamuis donum Dei sit, exercetur tamẽ ab homine non nisi opera bonę voluntatis. Quare S Bernardus sic habet: Quid est Virtus? filia rationis, sed magis Gratiæ. Vis enim quædam est ex natura; vt autem Virtus sit, habet ex gratia. Vis est ex iudicio approbantis rationis. Virtus autem ex appetitu illuminantis voluntatis; denique non est aliud virtus quàm ad iudicium rationis vsus liberæ voluntatis. Bona enim voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium Mater Virtutum. Hęc ille.

Luc. 2.

Ep. 29. ad Theodorum.

Ep. ad fratres de Mõte Dei.

Quare ad excolendam Virtutem adferre in primis oportet voluntatem bonam. Voluntatem quidem, quia Virtutis actio libera est; quare Virtus inquit S. Basilius, perficitur ex voluntate, non ex necessitate libera enim non esset, si non esset voluntaria idq; à Deo iccirco institutum est, quia ut scribit S. Augustinus, tales seruos suos Deus meliores esse iudicauit, si ei seruirent libe-

Homil. quod Deus non sit auctor malorum.

Lib. de vera relig. cap. 14.

liberaliter; quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate seruirent. Bonam verò, quia Virtus maximum hominis bonum est, bonam igitur necesse est radicem habeat, quæ secundum Dei gratiam alia nõ est, quam bona Voluntas. Atq; in hac bonitate tantum est momenti, ut si opera desint, quòd ea intercedant impedimenta, quę non possint à nobis superari, ita sibi satisfactum putet, uelitq; optimus parens Deus, ac si omnia Virtutis officia prolixè cumulatèq; pręstarentur. si enim ait Apostolus: Voluntas prompta est, accepta est, secundum id quod habet, non secundum id quod non habet, vt propterea S. Hieronymus de Apostolis scribens, dicat: Nemo Apostolis pauperior fuit, & nemo tantum pro Domino dereliquit. Christus quippe pro animi uoluntate omnia in acceptum refert. Idem etiam audet aliquid amplius; exponens enim illud: Omni habenti dabitur, & abundabit. Potest inquit, & sic intelligi; ei qui fidem habet, & bonam in Domino volũtatem, etiamsi quid minus ut homo, in opere habuerit, dabitur à bono iudice. Qui autem fidem non habuerit, etiam ceteras virtutes quas videbatur naturaliter habere, perdet; quę causa est, cur infideles alioquin non malè educati, & alicuius ad virtutem indolis, fidei pręsidio destituti, progressu temporis in immania scelera, fœdamq; barbariem qualis inter Christianos nulla facilè reperitur, pręcipites ruant.

2. Cor. 8.

Ep. 35. ad Exuperantiam.

Matth. 25.

Sed Theologi qui more suo rem hanc accuratè contemplati sunt, cur ad Virtutis exercitationem bona voluntas in primis requiratur, hac ratione confirmant. Primum inquit S. Thomas, Mouens in uiribus animæ ad

1. 2. q. 17. ar. 1.

q.9.ar.1. exercitium actus est voluntas. rationem suprà reddiderat sic; Finis voluntatis est bonum in communi, sub quo continentur omnia bona particularia aliarum potentiarum, ideo uoluntas mouet alias potentias ad actus suos. Quod si obijcias S. Thomæ, ab intellectu etiam voluntatem moueri, respondet: cum ergo secundum Mouens non moueat nisi in virtute primi Mouentis, sequitur, quod hoc ipsum quod Ratio mouet imperando, sit ei ex virtute voluntatis. Hęc S. Thomas. ut propterea dubitandum non sit, quin eorum quę honestam actionem conficiunt, ac complent, magnam partem parens effectrixq; sit bona uoluntas: quanquã enim præcurrit mens, multaq; præstat, longè tamen princeps est ipsa uoluntas; apprehendit, iudicat ipsum finem & bonum mens, & id vt bonum obijcit voluntati, sed hic nulla adhuc Virtus; appetit bonum uoluntas, & ecce tibi Virtutis initium, & conceptionem. Rursus, idem bonum recognoscitur à ratione acquiri posse, nec hic Virtus; sic cognitum intendit & optat illud uoluntas, & illico quasi grandescit Virtutis fœtus in utero uoluntatis, ac ne sequatur abortus, eadem utpotè dux, aciem reliquã instruit uniuersam; imperat mẽti, ut rationes boni cõsequẽdi disquirat, disquisitas dijudicet, adferat in medium ad finem adipiscendum opportuniorem: hanc cum probat, & eligit uoluntas, ceterisq; facultatibus omnibus executionem indicit, ecce tibi aureum Virtutis partum; ut perspicuum planè sit, quantas vires habeat voluntas, ad tantam sobolem progignendam, quantamq; illi supernaturali Dei lumine auxilioq; sit opus ad fugandas mentis tenebras, ad obsistentes

sistentes appetitus motiones reprimendas, ad seipsam concitandam & peruincendam, ad externas quasq; difficultares arcendas, deniq; ad tantam tam multorum actuum molem comparandam, & sustinendam, sed de Dei concursu postea; Nunc Virtutis, vt a nobis est, naturam explicamus. Ex his porrò quæ hactenus dicta sunt hæc conficiuntur.

Primum. Bonam voluntatem hoc est hoc ipsum quod est Virtutem à nobis esse, qua parte à nobis est, Donum Dei esse permagnum. Est hoc sanctorum omnium placitum, & ex Sacris literis erutum; in quibus scribitur: Sine me nihil potestis facere; & Deum operari velle & perficere; sed egregiè id Vgo de S. Victore: Inter omnia Dei dona quæ ad salutem hominis spectare videntur, primum & principale bonum voluntas hominis bona esse cognoscitur, per quam imago similitudinis Dei in nobis reparatur. Primum est, quia à bona voluntate bonum omne inchoatur. Principale est, quoniam bona voluntate nihil hominibus vtilius datur. Quicquid homo facit, bonum esse non potest, nisi à bona volũtate procedat. Sine bona uolũtate omninò saluari quispiam non potest. Cõcludit tandem: Voluntas tamen bona non est, si non operatur quod potest. Quam clausulam libenter adijcimus, quod ita & nos bonam uoluntatem commendamus, vt nolimus quicquam de bonis operibus esse detractum, quæ & opportuna maximè sunt ad virtutis incrementa, & simpliciter sunt ad salutem necessaria.

Io. 15. Phil. 2. Lib. 3. de anima siue de Interiore domo cap. 2.

Secundum est. Quanquam interdum necesse sit Virtutum actiones intermittere, quia ut ait S. Gregorius, in

Lib 18. Mor. c. 12.

in exercitatione aliquando virtus, cũ per discretionem intermittitur, reseruatur, ut tantò post vitia ualenter feriat, quanto à percussione interim prudenter cessat; voluntas bona tamen intermittenda nunquam est, quin saltem habitu ipso ac firma animi deliberatione retineatur. tum, quia si intermittitur, habitus mutatur; mutari autem non potest, nisi sese conuertat ad uitium; tum, quia si uoluntas bona constans est, & perseuerans, instaurandæ actionis seges est; si quando (ut accidit) ea quacunque ex causa cessat, siue, quia impeditur, siue etiam quia refrigescit, tum deniq; quia bona uoluntas vti donum Dei est, sic si verè bona est, Deo gratissima est & (ut ait S. Augustinus) sola sufficit, si adsit. intellige, cum cetera nulla tua culpa desunt.

Lib. 50. Hom. h. 8.

Tertium est. Ita feruescere debet bonæ voluntatis propositum in proficiente, ut boni sui & diuinę glorię desiderandæ nullus sit finis; plusq; (vt ait S. Gregorius) studeat agere, quàm sit ei Dominus iubere dignatus; ea tamen lege, ut si quod uotis optat, re minimè possit assequi, in una Dei voluntate libens acquiescat; si quidẽ, (ut idẽ S. Doctor alibi scribit) plerunque uirtutes dum plusquàm necesse est, exuberant, exhalant. Vnde & electorum suorum Dominus vel ante tempus desideria renuit; uel rursum in tempore ultra mensuram profectus premit, ne si antequàm debent, aut plusquam debent, proficiant, per profectus sui magnitudinem, in elationis defectum cadant; & hoc esse ait, quod Dominus se prius Patrem pluuiæ asserit, hoc est bonorum desideriorum ac uoluntatum, post uerò dicit de utero suo glaciem exire, hoc est frigus mortificationis, quo bona

Lib. 15. Mor. c. 9.

Lib. 29. Mor. c. 25.

etiam

etiam desideria ob nostrum bonum maius retardat, ac differt.

Indicia bonæ voluntatis duplicia sunt; Interna, & externa. Interna illa sunt, quæ in ea Ezechielis verba vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, numerat S. Gregorius: & ut contraria carnis stimulis Impetus cum Propheta nominat; & sanè Impetus sunt, quia uehemẽtia desideria, qualia plena voluntas edere solet, ac etiam foras emittere. Sic autem scribit: In electis & reprobis diuersi sunt impetus. In electis uidelicet impetus spiritus, in reprobis impetus carnis. Impetus quippe carnis ad odium, ad elationem, ad immunditiam, ad rapinam, ad exteriorem gloriam, ad crudelitatem, ad perfidiam, ad desperationem, ad iram, ad iurgia, ad uoluptates animum impellit. Impetus verò spiritus ad charitatem, ad humilitatem, ad continentiam, ad largitatem misericordiæ, ad interiorem profectum, ad pietatis opera, ad æternorum fidem, ad spem sequentis gaudij, ad patientiam, ad pacem, ad considerationem uitæ immortalis, ad lachrymas mentem pertrahit. Vnde necesse est, ut magna semper cura cogitare debeamus, in omne quod agimus, qui nos impetus ducat. Hęc S. Gregorius. Accedant ad hæc duo illa S. Bernardi: Ego inquit, ut interior oculus uerè simplex sit, duo illi arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione ueritatẽ; & infrà. Est qui bonum & libenter agit, & prudenter intelligit. Istius reuera oculum non immerito simplicem dixerim, utpotè cui neutrum horum desit, nec zelus scilicet bonus, nec scientia.

Ezech. 1. Homil. 5. in Ezech.

Lib. de præcepto & dispẽs.

Externa porrò bonæ voluntatis Indicia numeran-

tur

Cant. 7. Citat San Bon. de 7. Itiner. ca. 1. d. 3. nã in quattuor editis homil. Orig. & in duab. à S. Hiero. versis non inuenio.

tur ab Origene in Verba Cantici Canticorum. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceneo (sic ille legit) filia principis. Si inquit, in operibus quæ agis, laudem humanam uitas, si sobriè exultas, si primò te corripias, si alijs benignitatẽ exhibeas, si patientiam in aduersis ostẽdas.

Quibus cogitationibus imbuta mens eius esse debeat qui in Actiones Virtutis incumbit. Caput VI.

QVoniam uerò ad rectè agendum Voluntatem iuuat mens, illiq; notitiæ ac scientiæ facem præferre solet, quàm bene instructam mentem ad Virtutis exercitationem comparare opus sit, est hoc loco explicandum. Et quidem quibus eam cogitationibus spoliatam esse oporteat suo loco expositum est; Nunc quibusnam eadem imbui debeat, persequamur; idq; eorum hominum gratia, qui in uirtute processerint, ac si non doctrina, studio certè & ingenio ualeant: nam alijs uiris bonis, sed alioquin idiotis, aut nec feracis nec acris ingenij, sat est, si intentionem dirigant ad eam normam, quam suprà tradidimus, mortificationem suo tempore subinde cõtra passiones excusitent, & abigendis prauis & inutilibus cogitationibus inuigilent ad suę uocationis munera pro diuinę gratiæ mensura simpliciter intenti. Quod idem dicendum uidetur de quibusdam adolescentibus, alijsq; quibusdam hominibus, qui certo uocationis genere adhuc adstricti sunt nullo.

Ceterum, reliqui sunt duo hominum status. Prior est

est eorum, qui mundani uocatione sua sunt, e uirtute tamen ac Dei legibus uiuunt, ac uiuere decernunt. Posterior eorum, qui mundo aut omninò aut aliqua ex parte renunciantes, perfectiorem uiuendi regulam assecuti, Deo ex illius præscripto hoc est consilijs Euangelicis nobiliter seruiunt. quales sunt Ecclesiastici omnes ac religiosi, nonnulli etiam adhuc seculares sed perfectionis peramanentes.

Cogitationes præterea non prauæ nec inutiles, aliæ sunt nec bonę sed indifferentes, ut quæ suscipiuntur de negotijs aut negotiationibus, de artificijs opificum, de agricolarum, militum, Iurisconsultorum Medicorum, cuiusq; deniq; generis hominum muneribus proprijs. Aliæ bonæ sũt, ut de actuosæ aut mixtæ vitæ operibus, quæ uocamus misericordiæ, tam spiritualibus, quàm corporalibus, virtutum item, quæ ad salutem necessariæ sunt, siue internis siue externis vsibus. Aliæ denique meliores & optimæ, ut quæ habentur de Consiliorum Euangelicorum officijs, contemplatione Dei, amore item Dei ac proximi perfecto, Diuinę gloriæ propagandæ, salutisq; animarum studio, & similibus.

Mundanis hominibus quanquam necesse est cogitare de mundanis officijs, quia scriptum est: Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi; & quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi; Consultissimum tamen est, si cogitationes huiusmodi indifferentes studeant in bonas conuertere; ad unam Dei gloriam primum, deinde ad iustitiæ cui addicti sunt bonum, mentis oculos candidè dirigentes, sic enim ex luculenta terrę vena prodit pretiosissimum aurum meriti æternæ vitæ: & lauadbili in- 1. Cor. 7.

dustria materia ex se libera in Virtutis deditionem redi
gitur; atq; hoc est primum præceptum quod huius gene
ris hominibus proponit Apostolus; quibus adiungi
possunt ex eodem alia sex siue præcepta, siue monita.
Primum. Primum est, vt præcaueant diligenter duas tentatio-
1. Tim. 6. nes, Auaritiæ unam: Nam qui uolunt ait, diuites fieri, in-
cidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria
multa inutilia & nociua, quæ mergunt hominem in in-
Ibid. teritum & perditionem; Alteram superbiæ: Diuitibus
huius seculi præcipe, non sublime sapere, neque spera-
re in incerto diuitiarum, siquidem propterea auaritiam
uocat idolorum seruitutem, quòd ea spes quæ in solo
Deo ponenda est, collocatur quasi in altero Deo, in pe-
Secundū. cunię tacitis policitationibus & adiumentis. Secundum
Ibid. est benignitatis in alios: Sperate inquit in Deo uiuo,
qui præstat abundè ad fruendum, bene agere, diuites
fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare,
thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt
Tertium. apprehendant veram vitam. Tertium est familiæ cura-
1. Tim. 5. tio sedula: Si quis suorum maximè domesticorum curá
Quartum. non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Quar
tum est, honestus matrimonij vsus; iccirco enim vo
Heb. cat thorum Christianorum immaculatum; & intermis-
1. Cor. 7. sionem aliquam eius suadet orationis gratia saltem ad
Ibid. tempus. Quintum est constantia in uocatione: Vnus-
Quintū. quisque in qua uocatione vocatus est, in ea permaneat.
& postea: Vnusquisq; in quo uocatus est fratres, in hoc
Sextum. permaneat apud Deum. Sextum est, mundi contem-
ptus, & animum seuocatum habere à rebus mundanis,
Ibid. à vitæq; voluptatibus: Tempus ait breue est, reliquum

est

est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtantur; præterit enim figura huius mundi. Et quoniam mysterijs perfectionis initiatos vult suo modo etiam seculares, postquam illos hortatus est prolixè ad actiones virtutum internas externasque, erigit ad altiora cogitata sapientiæ secretioris ac nobilissimæ cum Deo cõ suetudinis. Verbum Christi habitet in uobis abundanter, (assiduè videlicet recogitatum) in omni sapientia, docentes, & commonentes uosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo Quare debent etiam ij qui mũdo vocationis lege adstricti sunt, ea quæ mox dicturi sumus in spiritu prouectioribus, ad suos etiam vsus opportunè transferre, & æmulari (vt idem Apostolus monet) charismata meliora. Col. 3. 1. Cor. 12.

Ij igitur qui seriò perfectioni operam nauant, siue sponte, siue instituti quod sequuntur, legibus, tum ante dicta omnia accuratius obeunda sunt, tum multò adhuc maiora præstanda, vt mentem adornent ad omnem Virtutis exercitationem.

In primis autem illud, ut sese abducant à cogitationibus secularibus; Nemo enim (ait Apostolus) militans Deo, implicat se negotijs secularibus. Implicat, inquit, ita ut ijs irretitus impediatur, quo minus uacare ac placere possit Deo, cui se probauit, & dedidit. Locum hũc sæpius tractat S. Gregorius ex quo duobus cogitationum generibus sese munire proficientem debere in- 2. Tim. 2.

 telligimus,

telligimus, si quando quidpiam negotij secularis retractandum sit. Prima cogitatio est de dæmonis occulta fraude, quam scilicet struit, dum specie boni repetendam seculi curâ aliquam persuadet. Hæc ait blandiens suggerit, seorsum uerò in eisdem rebus quas retinere admonet, ante retinentis oculos delectationes pestiferas decipiens apponit, quatenus seductum cor ad blandimenta exteriora pertrahat, & intima perfectionis vota peruertat. Altera cogitatio est, quandoquidem sæpe numero ad huiuscemodi curas reditur consanguineorum & amicorum gratia, easdem ipsas curas aditum aperire viamq; sternere ad refricandum ac redintegrandum illum carnis amorem, cui vt Deo placeremus adeo alacriter nuncium remiseramus. Solerti ergo cura ait, prouidendum est, ne carnis gratia surrepat, atque à recto itinere cordis gressum deflectat, nec vim superni amoris impediat, & surgentem mentem superimposito pondere deorsum primat.

Lib. 3. Mor. c. 21.

Lib. 7. Mor. c. 18.

Alterum studium proficientium est, ad eas cogitationes consultò ac seriò animum intendere, quæ proprijssimæ sint vocationis suæ; & has quidem parere debent res illæ, quibus lege uocationis danda opera est, ordine prius certo distributis temporibus ad vnamquamq; accommodatis. Quo loco non necesse est, de huiusmodi dispositione præcepta tradere, neq; enim id facile est tam multis uarijsq; omnis generis Christianis instituis, nec admodum utile, cum accuratè ordinata iam sint Ecclesiastica officia, disciplinæ religiosæ munera, certi etiam agendi, & feriandi dies, & horæ ad usum uniuscuiusque uitæ hominum generis; Et sunt

omnibus

omnibus in promptu egregia huius rei documenta apud Christianos Historicos, sacrosq; scriptores. Habent Episcopi quo exemplo suas occupationes distribuant in ea viuendi ratione quam institutam primùm ac deinceps continuè retentam ab sanctissimo Ambrosio scribit S. Augustinus. Habent qui curam animarum gerant, siue iure, siue sponte, quid scire & sequi debeãt in eo munere ex rebus scriptis à S. Gregorio in vniuerso suo Pastorali, & in plerisq; sui Registri Epistolis. Sunt in manibus religiosis omnibus Constitutiones ac regulæ instituti quod profitentur, quibus si quid addendũ sit, non desunt illis quorum imitentur actiones, præsertim apud sanctum Basilium in Cõstitutionibus & Regulis apud S. Augustinum de moribus Ecclesiæ, & apud Cassianum in omnibus eius libris, maximè uerò quod ad rem præsentem facit in Tertio institutionum. Patent etiam laicis perfectionis amantibus historiæ sanctorũ virorum sui ordinis innumerabilium, quales sunt plerique omnes antiquiores Martyres & Virgines, milites Imperatoribus ac Regibus in Ecclesiam tyrannis militantes, coniuges etiam liberis operam dantes, ut SS. Ludouicus, Leopoldus, Stephanus & alij, è quibus tanquã è fontibus hauriant qui uolunt exempla virtutum, & domesticæ disciplinæ.

Lib. 6. Cõfes. cap. 3.

Præsertim Ep. 46. lib. 4.

Lib. 1. cap. 31. & 32. cap. 2. 3. & sequentibus.

Quare vobis in hoc tam laborãdum non est, quàm in explicando, qua ratione qui ijs rebus operam dare coguntur, quæ ex sese animum seuocant à diuinis & spiritualibus cogitationibus, siue illę indifferentes sint, siue etiam bonæ, se in medijs occupationibus colligãt, ac Deum in rebus etiam à Deo alienis inueniãt. Quod

quàm

quàm difficile factu sit, ostendit & quidem sub pontifi
Lib. 1. Regist. Ep. 24 catus pondere gemens S. Gregorius Papa, qui propterea aliorum sanctorũ virorum orationes ad Deũ postulat, vicissim ipse pro illis Dominum rogaturus, quia inquit: Dum nos vobis per orationis opem cõiungimus, quasi ambulantes per lubricum, uicissim nobis manum tenemus, fitq; ex magna prouisione charitatis, ut eò singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur. Hæc ille.

Porrò ut quærat homo Deum, ac huic inquisitioni diligenter insistat, antiquissimum Dei consilium est, ne
Act. 17. dicam iussio; sic enim prædicat S. Paulus coram Athenensibus. Fecitque ait, ex uno omne genus hominum inhabitare super vniuersam faciem terræ, definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si fortè attrectent eum, aut inueniant, quia non longe est ab unoquoq; nostrum in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Ad hoc ipsum per Prophe-
Is. 55. tam hortatur: Quærite dominum dum inueniri potest, quærite faciem eius semper. Hoc se præstare Dauid in-
Psal. 104. Psal. 15. dicat, cum ait: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.

Rationes inueniẽdi Deũ duæ. Dei autem in rebus & actionibus omnibus inueniendi duplex ratio est apud SS. Patres. Prior ab ipso Domino accepta, cui familiare fuit ex quibuslibet rebus occasionem captare de rebus diuinis agendi; ut cũ
Io. 4. Io. 6. Luc. 5. Matth. 4. Philosophatur cum fœmina Samaritana ad puteum Iacob de cælestibus aquis, in conuiuio de pane, aut cibo non pereunte, cum piscatore de capiendis hominibus; Quod etiam antiquissimum fuisse Apostolis nemo dubitat,

bitat, qui Apostolorum Acta repetit, aut qui intelligit eos toto conatu id studuisse, quandiu cum hominibus salutis hominum causa agerent, omnibus omnia fieri, vt omnes Christo lucrifacerent. Et quidem rei huius proferri ex Patribus exempla multa possent, sufficiet tamen, ne longum faciamus, vnus S. Basilius, qui quomodo id fieri soleat docet in hunc modum: Accumbens mensæ ora; esitans panem largitori gratiam rependito; suffulciens firmansq; infirmas corporis vires, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit ad inserendam cordi tuo lætitiam, & ad multiplicium infirmitatum non mediocre solamen; nulla tibi est sumendi edulij necessitas? caue te prætereat eius memoria cuius liberali beneficio uentrem explesti; tunica indueris? gratias agito benigno datori; amiciris pallio? fac in te augescat intentior erga Deum charitas, qui integumenta gratuitò largitus est hyemi æstatiq; accommoda, ut vita conseruetur, & obueletur turpitudo; Tibi ne dies expletus abijt? illi referto gratiam, qui Solem quidem nobis nihil tale commeritis indulsit in Diuinę operationis ministerium; ignem uerò contulit illustrandæ nocti, & ut seruiat reliquis uitę commoditatibus. Ipsa rursus nox alias ad orationem suggerere possit, conciliareque occasiones; Etenim, si quando in Cælum suspexeris, cum in eximiam syderum pulchritudinem oculorum aciem defixeris pressius, horum visibilium supplica Domino vniuersorum long è optimo artifici, procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit; Vbi omnigenum animãtium naturam in somnum resolutã, ac depressam perspexeris, supplex procidens adora rursus

Homil. in Mart. Iulitam.

sus eum, qui nos nec cogitantes, aut certè inuitos indul gentia soporis à continenti laborum assiduitate rela- xat, perq; exiguæ quietis refocillationem uigorem ad- dit corpori, viresq; instaurat; ipsam tibi dispertitor no- ctem, in somnum & orationem. Et paulo post: Si quæ nos adorientur rerum apprimè tristium afflictiones, di
Psal. 115. camus: Bonũ mihi quia humiliasti me. Dicamus: Quia
Rom. 8. non sunt condignæ passiones huius temporis ad futu- ram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Si quando splẽ- didior ac lętior arridet ratio, ac institutum uitæ, illam de
Psal. 115. promamus Dauidis vocem: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi. Numerat deinde S. Pater Dei beneficia vniuersa collata nobis liberalissi- mè, creationem ex nihilo, inuenta artium, adiumenta vitæ, alimenta è terræ visceribus, ministerium omnium animantium, imbres, Solem, cultum agrorum, pratorũ pulchritudinem, perfugia montium, amnium fluuios, fontium riuos, mare ad negotia, opes è fodinis, omniũ rerum creatarum copiosam amœnitatem, & munimen tum. Quid plura? Deus ipse Verbum caro factum pro- pter hominum salutem, in terris visus est, & cum homi nibus conuersatus est, ingratis beneficentissimus, inter seruos libertatis asserror, Sol iustitiæ in medijs tene- bris; venit ad Crucem Cruci non obnoxius, ad mortem vita, lux ad tenebras inferorũ, ad mortuos resurrectio, adoptionis spiritus dilargitor, coronæ sponsor. Quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit no- bis? Hæc ex S. Basilio. Ex quo perspicuum est, quàm non difficile fuerit sanctis viris ex oblatis occasionibus quibuscunq; sese in Deum erigere infinitis propè ra-

tionibus,

tionibus, quando ex creatis rebus omnibus, ex omnibus diuinis beneficijs, quorum vnumquodq; sibi consentaneam cogitationem & motionem in animum hominis illico ac obijcitur, inijcit, vnum eundemq; gratiarum actionis affectum in seipso perpetuò concitauit Basilius. Quod fieri à nobis potest circa eadem ipsa Dei munera omnia alijs similiter cogitationibus & affectibus prout libuerit exsuscitatis, aut compunctionis, quod fuerimus eorum immemores, quod ijs usi adeò peruersè semper: aut odij nostrimet, quod cum omnia Deo seruiant, nos uilissima mancipia tantis bonis etiam cumulati, ab eius cultu insolenter ac ptoteruè recesserimus: aut timoris, ne culpa nostra tantis aliquando bonis exuti, eorum in numero simus, quibus dicitur: Noluit benedictionẽ, & elongabitur ab ea: aut deniq; amoris in Deum benignissimum Dominum, ac Parentem optimum, qui nihil non molitur, experitur, tentat, efficit, vt quacunq; demum ratione id fieri possit, nos sibi subiectos, deditos ac planè deuinctos, non seruos emptitios & inutiles quales reuera sumus, sed charissimos & amantissimos filios reddat.

Atq; ut res creatæ ad Deum interdum excitant hominis animum ad prædictas rationes, sic contrà eædem hunc ipsum interdum abalienant, & ad mundi contemptum prouocant. exemplum adfero ex eodem S. Basilio alio loco. Rosa hic inquit, spinis est coniuncta, externa gratia molestiam tegens, & tanquam non aperta nos voce contestans, ac dicens: Quæ iucunda vobis sunt, o homines, tristibus permixta sunt; Nam verè in humanis bonis ita comparatum est, vt nullum eorum Homil. de Paradiso.

syncerum sit, sed confestim lætitiæ & hilaritati conglutinetur mœstitia, coniugio viduitas, puerorum educationi cura & solicitudo, fœcunditati aborsus, vitę splendori ignominia, prosperis successibus dispendia, delitijs satietas, sanitati infirmitas; florida quidem est rosa, sed mihi tristitiam infligit: nam quotiescunq; florem hunc video, peccati mei admoneor, propter quod terra ut spinas ac tribulos proferret, condemnata est. Et hic quidem vernorum florum gratia in manibus nostris marcescit; in Paradiso verò splendor non est momentaneus, sed constantem habet iucunditatem, gratiosum & amabilem aspectum, nunquâ desiturum oblectamentum, insatiabilem fragrantiam, & colorum elegantiam refulgentem; & multa alia quæ in hanc sententiam elegantissimè subijcit

Ac ne quis existimet, exercitationem hanc eorum esse propriam solum, qui sese à turba, negotijsq; secernentes, contemplationi rerum diuinarum, ac Deo vacant, non autem hominum in rebus domesticis occupatorum; aio primum mundanis etiam hominibus huiusmodi industriam vtilissimam esse ad retegendos & præcauendos laqueos in quorum medio eos transire Eccles. 9. Salomon scribit iucundissimam ad leuandas seculi molestias tam multas, continuas, magnas; addo etiam illis magis necessariam, quàm Religiosis, quòd his plura suppetant spiritus adiumenta, vel ex vno sacrorum parietum aspectu, quàm mundanis ex rebus, quas præ oculis habent omnibus, quæ plerumq; sunt maximæ peccandi illecebræ, potius quàm Virtutis incitamenta. Sed vtut sit, pono exemplum hominis secularis, iuncti

coniugio,

coniugio, Patrisfamilias, Principis, iam tum florentis ætatis, in administrandis prouincijs occupati; Is agros & syluas oberrans venationis gratia, feras insectans, & prædam ex auibus agens, admirabundus meditabatur sapientiam Dei, qui hominum generi feras & aues ad rapinam comparatas parere docuerat, etiam cum vinculis solutæ in cælum vsq; subuolant; Laudabat Deum, qui homini tantum tribuerit honoris, vt eius imperio aues & vinculorum, & pristinæ libertatis immemores sibilis fictisq; clamoribus obediant. Pugnantes autem cum spectaret in aëre, illa mentem eius subibat cogitatio; talem videri Dæmonis pugnam, cum piorum animos ex insidijs aggreditur. pudebat autem illum maximæ in Deum ingratitudinis, quod ab eo tantis ornatus beneficijs, illi tamen uocanti minimè responderet. minusq; pareret, cum videbat feram auem, carniuorã, modicæ escæ gratia, agreste ingenium exuere, mansuetam reddi, accitam voce hominis aduolare, adhæc pati velari oculos, quibus nihil in vita charius. Eadem capiebat vtilitates ex canum venatione, illas præsertim, sibi in posterum Deo appellanti dicto audientem fore omninò oportere; quandoquidem videret quotidie canẽ animal famelicum, & in feram actum rabie, prędam tamen iussum illico relinquere, vt hominis imperio obsequatur; patienter Dei amantissimi verbera cum calamitates immittit, sustinenda, cum ex percussione inflictum dolorem adeo toleranter canem ferre quotidie cerneret, & si quaslibet catenas subit canis Domini gratia, cur diuinorum præceptorum vinculis se indies adstringi magis non ipse velle deberet? Is fuit Franciscus

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

Borgia postea Tertius nostræ Societatis Præpositus Ge
P. Petrus Ribadeneira Hispanicè. P. Andreas Scotthus Latinè. neralis, qui his initijs orsus, eam Mũdo reiecto perfectæ sanctitatis gloriam adeptus est, quam duo uitæ eius no biles scriptores explicant copiosè & luculenter.

Quod si ex rebus actionibusq; indifferentibus, quales sunt pleræq; omnes suprà commemoratæ, ij Virtutis fructus colliguntur, quæ emolumenta spiritus existent ex ijs, quæ natura sua spirituales sunt, & quæ tanquam natiuum solum huiusmodi fruges spontè profundunt? Certè, qui ijs addicti sunt, eo impensius in hanc exercitationem incumbendum est, quo maiore à Deo lumine, vberioreq; eius gratia perfundun tur; vt
Psal. 1. quando illi sunt de quibus ait Dauid: In lege Domini meditantur die ac nocte, ij simul sint, qui vtpote transplètati secus decursus aquarum, fructum etiam dent in tempore suo. Atq; hæc dicta sint de priore Ratione quærendi Deum.

Posterior Deum quærẽdi Ratio nobilior est ac difficilior; estq; cum non tam quærimus res spirituales, aut
Rom. 1. Diuinas quàm ipsum Deum; cuius (vt ait Apostolus) sempiterna Virtus & Diuinitas à creatura mundi intellecta conspiciuntur. Ac prior quidem industria ex rebus quæ tractantur, fructum spiritualem quemcunque colligit; posterior autem non in eo sistit, sed ex eo gradum facit ad Deum ipsum ex præsentibus aut rebus, aut actionibus expiscandum. Quod summum studium fuit factorum Patrum omnium, tam antiquorũ, quàm recentiorum. De Sanctissimo Viro Parente nostro B.P.
Lib. 5. Vitæ cap. 1. Ignatio scribit P. Ribadeneira sic: Vidimus frequenter illum ex tenuissimis rebus ad Deum, qui in minimis

etiam

etiam maximus est, ascendentem; ex plantulæ, frondis, floris, fructus vnius aspectu, ex vermiculi alicuius aut bestiolæ consideratione, suprà cælos attollentem se, & ad ea quæ à sensibus remota sunt penetrantem. Et post: Atq; hoc familiare nostris optabat esse, vt Deum in rebus omnibus præsentem cernerent. In hac ipsa exercitatione totus semper fuit S. Augustinus. Exempla plura produximus ex libris Confessionum eius, in libro de perfectis; & adhuc alia ex alijs eius scriptis ferè omnibus hauriri possunt, ex quibus intelligitur, quàm illi cordi fuerit etiã cũ de grauissimis fidei nostræ mysterijs loquitur, ex rebus hisce in Deum assurgere, & illi quantum in ipso fuit diutius adhærere. Hic eius exordia, & quasi infantiam in hac re omittendam non putaui, vt qui summa eius attingere non possumus, in imis saltem consistamus; & qui tantæ disciplinæ fastigium suspicimus, atque appetimus, prius quę sint eius fundamenta discamus. Hac igitur de re S. Augusti nus adhuc iuuenis egit in duobus Soliloquiorum libris, in quorum primo statuit sex quasi gradus ac elementa exercitationis huius, exemplo aliquorum posito, qui cum uehementer expetant videre solem, illius fulgore ita eorum imbecilles oculi ferantur, vt eo non viso, sępè in tenebras cum delectatione redeant. His inquit periculosum est velle ostendere, quod adhuc videre non valent. Quare exercendi sunt prius, & eorum amor vtiliter differendus, atque nutriendus est. c. 13. & 14.

Primò enim quædam illis demonstranda sunt quæ non per se lucent, sed per lucem videri possunt, vt vestis, aut paries, aut aliquid horum. Primum.

Deinde

Secundũ. Tertium. Quartum. Quintũ. Sextum.

Deinde quod non per se quidem, sed tamen per illam lucem pulchrius effulgeat, vt aurum argentum, nec tamen radiatum ut oculos lædat.

Tunc fortasse terrenus iste ignis modestè demonstrandus est. Deinde sydera. Deinde Luna. Deinde Auroræ fulgor, & albescentis cæli nitor, in quibus seu citius, seu tardius, siue pertotum ordinem, siue quibusdam contemptis, pro sua quisque valetudine assuescens sine trepidatione & cum magna voluptate Solem videbit. Hęc S. Augustinus. Quis hic non exspectet ex Augustino intelligere quinam sint illi totidem scientiæ gradus, quos ad hanc similitudinem constituere velle videtur ad cognoscendum Deum? Is tamen ibi ne verbum quidem de his gradibus amplius; quin Rationi quam secum in eo dialogo colloquentem facit, etiam, atque etiam vrgenti vt eos explicet, sic respondet: Vnum est quod tibi possum præcipere, nihil plus noui; penitus esse ista sensibilia fugienda: cauendumq; magnoperè dum hoc corpus agimus, ne quo eorum visco pennæ nostræ impediãtur, quibus integris perfectisq; opus est, vt ad illã lucẽ ab his tenebris euolemus. quæ se ne ostendere quidem dignatur in hac cauea inclusis, nisi tales fuerint, ut ista vel effracta, vel dissoluta, possint in auras suas euadere. Porrò ex his quæ antè tradiderat, haud erit difficile cognoscere quid sensent S. Augustiistinus de his gradibus sex; Sunt .n. illi ijdem, quos S. Basilius & Cassianus ad perfectam & Euangelicam Renuntiationem necessarios esse docuerunt.

Primus. Primus est, exuere omnem diuitiarum affectum.

Secũdus. Secũdus est, Honori mũdano oĩno nũciũ remittere.

Ter-

Tertius est, Aspernari ex animo omnes carnis voluptates, etiam honestas, utpotè vxorias, reliquasque omnes corporis delicias usq; ad ipsas in cibo, potu, balneis, & similibus captari solitas illecebras. Tertius.

Quartus est, reijcere amicorum humana solatia, qua tenus animum auocant à veræ sapientiæ studijs; multo magis consanguineorum affinium, reliquasq; omnes rerum quarumlibet terrenarum curas. Quartus.

Quintus est, ipsum vitæ huius mortalis qua nihil natura charius habet, amorem deponere. Quintus.

Sextus est, corporis doloribus etiam acerbissimis & intolerabilibus animo superiorem esse, illosq; fortiter sustinere ac respuere cum cruciant corpus. Sextus.

Ac nec tunc quidem sic se habentibus animis statim sese obijcit Dei lux, nam quando hæc Dei cognitio benignissimi Domini donum est, cum vult ille miseretur, & vbi vult spirat, nouit ait illa pulchritudo, quando se ostendat. Ipsa enim etiam medici fungitur munere, meliusq; intelligit, qui sint sani, quàm ijdem ipsi, qui sanantur. Nos autem quantum emersérimus, videmur nobis videre, quantum autem mersi eramus, & quo progressi fueramus, nec cogitare, nec sentire permittimur, & in comparatione grauioris morbi sanos esse nos credimus. Hæc ibi.

Ne tamen in hac re animum despondeamus, & minus quàm par est, Diuinæ prouidentiæ confidamus, quando sex istis officijs illud agimus, vt abdicatis rebus terrenis omnibus, etiam nos ipsos radicitus abnegemus, (quæ à quibusdam perfecta expropriatio nominatur,) docet S. Augustinus, summū præparationis ad

Deum

Deum uti hic possumus contuendum, esse, Deo se penitus committere, ad illius voluntatem, suam, seq; totum accommodare, abeiusq; nutu pendere, nihilq; velle aliud, quàm quod ille nos uelle uoluerit. Quæ conformitas cum Deo, magnus diuini amoris gradus est, ut alibi docuimus. Sic igitur idem concludit. Constanter Deo crede, eiq; te totum cõmitte, quantum potes Noli esse uelle quasi proprius, & in tua potestate, sed eius clementissimi & vtilissimi domini te seruum esse profitere. Ita enim se ad te subleuare non desinet, nihilq; tibi euenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiam si nescias.

Quæcunq; autem diuinæ cognitionis lux exoriatur in animis nostris, quandiu corporibus includuntur quasi carceribus, pretiosissima quidem est, & maximum Dei beneficium, rebus mortalibus omnibus meritò anteponendum, exigua tamen est & imperfecta; ut propterea mysticè à Iob S. Gregorio auctore appelletur susurrium.

Li. 5. Mor. cap. 20.

Immò, quia eadem in animis hominum emicat, ita, vt eos ipsos interdum, & vt plurimum fortassis lateat, quibus adest, ac propterea ab Iob etiam furtiuè suscipi dicatur, non desunt qui optent intelligere, quibus seipsa prodat, quibusq; à nobis deprehendatur indicijs; Ac vt tandem planè constaret rem hanc in Virtutum exercitatione constanti, seria, accurataq; positam esse potius, quàm in alia quapiam mentis industria, acieue ingenij, Diuinitus factum est, ut quibus uehiculis diuina lux aut uox animum subit, idem Pater exponeret, ut eadem nobis esse possint eius præsentis indicia. Sic enim

Ibid.

habet:

habet. Quasi furtiuè suscepit aures mea uenas susurrij eius. Susurrium quippe occulti verbi est hæc ipsa locutio aspirationis internæ; Venæ autem susurrij dicuntur causarum origines, quibus hæc ipsa aspiratio ad mentem ducitur. Quasi enim venas susurrij sui aperit, cum nobis Deus latenter insinuat, quibus modis ad nostræ intelligentiæ aurem venit. Aliquando enim nos amore, aliquando terrore compungit; aliquando præsentia quàm nulla sint ostendit, & ad æterna diligenda desiderium erigit; aliquando prius æterna indicat, vt post temporalia vilescant; aliquando nostra nobis mala aperit, & ad nos vsque vt alienis etiã malis condoleamus extendit; aliquando mala aliena nostris obtutubus obijcit, & compunctos mirabiliter à nostra prauitate nos corrigit. Venas itaque Diuini susurrij furtiuè audire, est occultos Diuinæ aspirationis modos tenuiter & latenter cognoscere. Addit postremo idem. Nunc Diuinum susurrium tot ad nos venas habet, quot creatis operibus ipsa Diuinitas præsidet; Dum enim quæ sunt cuncta creata cernimus, in Creatoris admirationem subleuamur: Nam sicut aqua leniter fluens rimata per venas quæritur, vt augeatur, tantoq; se latius fundit, quanto venas apertiores inuenerit, ita nos dum studiosè Diuinitatis notitiam ex creaturę eius consideratione colligimus, quasi susurrij ad nos uenas illius aperimus, quia per hoc quod factum cernimus, virtutem creatoris admiramur, & per ea quæ sunt in publico, illud ad nos emanat, quod latet in occulto. Quasi enim per quendam ad nos sonitum erumpit, dum consideranda nobis sua opera ostendit, in quo se-

metipsum utcunque indicat, dū quàm sit incomprehē-sibilis manifestat. Hæc ille. Quæ quanquam obscura, opportuna tamen sunt ad nos ipsos excutiendos & concitandos, ad mentem excolendam, & animum virtutibus informandum; Hæc enim se mutuo iuuant; mens à rebus externis creatisue abstracta, virtutis exercitationem roborat, & hæc eadem mentem ad Dei lucem contemplandam acuit & accendit. Occultatur inquit S. Gregorius afflata Diuinitus mens vt audiat, & audit ut occultetur: quia & subtracta à visibilibus, inuisibilia conspicit, & repleta inuisibilibus, uisibilia perfectè contemnit. Sed de contēplatione in libro de perfectis alia dicta sunt. Hęc ad rem propositā nūc sint satis.

Quænam sanctos viros adiuuerint ad mentem in bonis cogitationibus occupandam.

Cap. VII.

NOn paruam habet vtilitatem intelligere, quibus rationibus usi sint sancti, vt vel ex re nata, uel habitu ipso assiduis penè commentationibus bonis, aut cogitationibus destinerentur; id nunc explicandum; prius tamen illud quòd sine culpa omitti non potest, ad prædictam tractationem adiungendum est.

Cogitatio de Christo quàm fuerit Sanctis familiaris.

Rationi quærendi Deum in rebus omnibus affinis est illa, quam secuti sunt sancti quique Christianæ perfectionis sectatores, Christum Dominum in rebus omnibus inueniendi. Princeps & exemplar exercitationis huius sanctus Paulus; nihil is animo concipiebat

bat nisi Christum, aut sine Christo nihil. Nihil existimaui me scire inter uos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Nil magis sonabat inter loquendum aut prædicandum, quàm Christum. Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Christo item crucifixo uitam conformatam ducebat. Christo confixus sum cruci. uiuebat in Christo, & Christus in Paulo. Viuo autẽ iam non ego, uiuit uerò in me Christus. Denique Paulo Christus uniuerso mundo potior, quippe Paulus omnia ut stercora arbitratur, ut Christum lucrifaciat, Christus eius lux, desiderium, amor, merces laborum, corona certaminum. Cupio ait dissolui, & esse cum Christo. legatur Homilia S. Io. Chrysostomi 2. de laudibus S. Pauli. In talem hominum numerum ascribendus est S. Bernardus, qui enumeratis & in unum quasi fasciculum cõiectis passionibus & doloribus Christi uniuersis; & ego ait fratres, hunc mihi fasciculum ab ineunte conuersione mea colligare curaui; memoriam abundãtiæ suauitatis horum eructabo quoad uixero; in æternum non obliuiscar miserationes istas Hæc me ditari dixi sapientiam. Hæc me eriguntin aduersis, in prosperis reprimunt. Hæc inter læta tristiaque uitæ prę sentis uia regia incedenti, tutum præbent utrobique ducatum. Et alibi: Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Habitat planè per fidem in cordibus nostris, habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione; quia usque ad ipsam discendit imaginationem. Incomprehensibilis erat, inaccessibilis, inuisibilis, & inexcogitabilis: Nunc uerò comprehendi uoluit, uideri uoluit, cogitari uoluit; quod quam illi facile, familiare

1. Cor. 1. & 2.

Gal. 2.

Philip. 3.

Serm. in Cant 43.

Serm. In Natiuitate B. Mariæ.

ac proprium fuerit, adhuc magis intelliget, qui vitæ
Cap. 1. eius librum tertium euoluerit.

In Vita S. Franciſci, cap. 8. Sed inſtar miraculi nobis eſt in hac re S. Franciſcus; ex multis quæ de eo ſcribit S. Bonauentura pauca delibo. Franciſcum inquit pietas totum transformabat in Chriſtum; Animas peccatorum deplorabat, quod sanguine Chriſti eſſent redemptæ; Prædicatores Verbi maximè venerabatur, quod ſemen fratri ſuo, ideſt Chriſto reſuſcitarent; Benedicebat illos, qui ita loqui didiciſſent, vt verbis ſuis alios ad Chriſti amorem inducerent. Si quid penuriæ aut defectus (extra culpæ crimẽ intellige) in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine regerebat in Chriſtum; Aiebat ſocijs: Dum pauperem vides o frater, ſpeculum tibi proponitur Chriſti. Ipſeque in pauperibus omnibus Chriſti effigiem contemplabatur. Animalcula quælibet ex pietate fratres & ſorores appellans, ea viſceroſius amplexabatur, quæ Chriſti mãſuetudinem referunt; Redemit interdum agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor agni mitiſſimi, qui ad occiſionem duci voluit pro peccatoribus redimendis; Sui agniculum in quo Chriſtum infantem recognoſcebat necanti crudeliter, maledixit, & mortua
Cap. 10. eſt; Nomen Ieſus cum exprimeret, vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacus ſonus, ipſius immutaſſet auditum.

Cap. 13. Tandem concludit S. Bonauentura; Cum Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, & compaſſiua dulcedine transformaretur in eum, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, apparuit illi inter

alas

alas Seraphin effigies hominis crucifixi; obstupuit, mixtumque mœrore gaudium cor eius intrauit; intellexit tandem se per mentis incendium totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum.

Christi exempla ac personam vt in actionibus nostris quasi præ oculis habere studeamus, suadet B. P. Ignatius sæpè. In Exer. Reg. 5. de temperando victu; & in cõtemplatione Regni.

Sed ponamus iam Rationes eas, quibus in piè utiliterq; cogitandi consuetudinem sanctos venisse, vero similius est.

Prima est Vsus bene cogitandi; is enim cum ad bonam voluntatem accedit, nihil est tam durum, quod non molliat, nihil tam difficile, quod non expediat; cernitur id in commentationibus locorum vel difficillimorum, qui in tractationes Disciplinarum non raro incidunt; quibus tamen assiduitate assuescimus; Cauenda maximè quam suprà reiecimus superstitiosa ac pertinax actionis cogitationisue recognitio, siue in eã reflexio; tum, ob allatas rationes; tum, quia (vt S. Gregorius scribit) dum quis plus iusto vigilantem se in actione exhibet, ipsa sua inquietudine rebus subditis peius nocet, id est, rebus, quas habet præ manibus. Contrà verò non iccirco contemnenda, aut omittenda est hæc exercitatio, quòd siue rei ipsius, siue ingenij vitio, quæ hauriũtur cogitationes interdum, initio præsertim exiles sint, & fortè etiam ad speciem inutiles: nam & nemo repentè fit summus, & spirituales diuitiæ sicut & terrenæ ex paruis initijs magna incrementa sumunt. 1. Ratio. Cauenda reflexò nimia. Li. 1. Mor. cap. 35.

Qui ait S. Basilius diligenter ex unaquaque re fructum decerpunt, ijs perinde ac magnis fluminibus multæ De vtilitate capiẽda ex libris profanis.

tæ ex omni parte acceſſiones fieri conſueuerunt; nam modicum modico apponere(iuxta Heſiodi ſententiã) non magis ad argenti augmentum, quàm ad cuiuſque alterius ſcientiæ aut Virtutis amplitudinem valere exiſtimandum eſt. Sed in huiuſmodi rebus nihil eſt quod proficienti maiorem præſtet ſecuritatem, quam ſapiẽs ſpiritualis Patris conſilium, cui propterea non ſolum tyrones (vt latè docet Caſſianus) omnes cogitationes ſuas ſyncerè ac cito aperire iubebantur ab antiquis Patribus; ſed S. Gregorius cum alicubi de proficientibus diſſerens, docuiſſet quoſdam ex eis grauiter lapſos eſſe, quod per fiduciam ſanctitatis poſtpoſito meliorum iudicio, ſeipſos eſſent ſecuti; alio loco & proficientes & penè dixerim perfectos ita inſtitutos eſſe vult, vt cogitationes inter contemplandum etiam Diuinitus immiſſas Patribus dijudicandas proponant. Quod inquit profectò & nos agimus, ſi cum in ſancta conuerſatione proficimus, cum fœcundis iam mentibus ſpiritualium gaudiorum fructum proferimus, ad Prælatorum noſtrorum examen ducimus omne, quod in nobis ex ſuperna contempletione generatur.

Lib. 4. cap. 9. & 37. & col. 2. c. 11.

Libr. 33. Mor. c. 23.

Lib. 1. in 1. Reg. c. 1. in fine.

2. Ratio. Pſal. 38. Cantic. 1. Ibidem.

Secunda Ratio eſt, Meditatio rerum Diuinarum accuratè & piè ſuo tempore obita; ſiquidem ex meditatione ignis, vt ait Dauid; ex igne ſplendor; Certè fructum talis meditationis prædicat Sponſa, cum ait: Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorũ. Dum recolit (inquit S. Gregorius,) quanta charitate Chriſtus eam dilexerit, qui ſanguine ſuo eam moriens in Cruce redemit, & quotidie eam in ſinu matris Eccleſiæ eiuſdem ſanguinis lacte nutrit; Ex quo intelligi-

mus;

mus, materiam sanctissimæ ac saluberrimæ huius commemorationis esse Deum & Christum, eius amorem, beneficia eius vitæ, passionis, mortis, deniq; amoris illius pignora, fontes maximorum bonorum quæ in Ecclesiæ filios deriuantur, Sacramenta Euangelica, Eucharistiæ præsertim. Hęc qui attentè contemplantur aliquo temporis spatio, non possunt non inde capere magnos fructus, & quasi reliquias cogitationum sanctarum, quas animo deinde recurrentes subinde versent, diemq; festum agant Domino. Dicant hoc non tam docti, quam experti.

Tertia Ratio est Sacra lectio, cui tantopere addictos fuisse legimus Sanctos Patres, reliquosq; omnes perfectionis sectatores. De S. Marcella scribit S. Hieronymus. Diuinarum scripturarum ardor erat incredibilis, semperq; cantabat: In corde meo abscōdi eloquia tua, vt nō peccē tibi. & illud de perfecto viro: Et in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Ad Paulinum autem scribens, postquam summam quandam totius vtriusq; testamenti confeciſſet, mira breuitate & sapientia Inter hæc inquit, viuere, ista meditari, nil aliud nosse, nil quærere, non ne tibi videtur iam hic in terris regni cælestis habitaculum? Quod dicit S. Hieronymus de Scripturis Sacris, intelligi, similiter debet de sanctorum monumentis, quæ sanè ad pietatem ędificant, & ad omnem rectè agendi viuendique disciplinam informant. 3. Ratio. Epist. 16. ad Principiam. Psal. 158. Psal. 1. Epist. 103

Sed aptissima maximèque idonea ad animum bonis affectionibus locupletandum est quarta Ratio, quam in concinendis aut recitandis Psalmis posuerunt Maio- 4. Ratio.

res

Coloſ.3. res noſtri, quam propterea commendat Apoſtolus, & Eccleſia iam inde ab initio inſtituit, ſemperq; ad hæc uſq; tempora retentam, amplificauit, & exornauit magis; hac enim quaſi eſca propria adhamati, trahimur honeſta voluptate ad honeſta ſtudia, & cogitata. Sed rem declarat egregiè vt ſolet S. Baſilius: Nam quando inquit: Spiritus ſanctus vidit nos ægrè perſuaderi ad profectum Virtutis, ac per hoc ad ineundam vitæ rectitudinem, per hoc lenteſcere, quod toti ad conſectandā voluptatem propenderemus, quid fecit? nimirum, Scripturæ ſuæ dogmatis miſtim inſperſit concinnam iſtam numerorum modulationem, ut auribus delinitis melico vocum concentu, clam (veluti aliud agentes) ſineremus in animos noſtros irrepere eloquiorum vtilitatē; idq; pro more ſapiētis Medici, qui pharmacum oblaturus auerſanti calicem, oras calicis prælinit melle. In hoc ſanè excogitati ſunt concentus illi Pſalmorum concinni, vt qui per ætatem adhuc pueri ſunt, aut morum maturitate nondum incanuerunt, dum in ſpeciem cōcinunt, ac modulantur, re uera animas erudiant ſuas.

Homil. in Pſal.1.

5. Ratio. Quinta Ratio eſt, Conſcientiæ examen; De quo alibi nonnulla ſuo à me ſcripta ſunt loco, alia adhuc tamē hic adſcribo, quod res utiliſſima, & haud ſcio an ulla ad bonas cogitationes nutriendas magis efficax. Neq; verò cum examen Conſcientiæ nomino, rem dico nouam, aut recens inuentam; Quanquam enim B. P Ignatius eam examinis formulam non ſine Diuino inſtinctu excogitarit, & ediderit, quæ nunc teritur manibus omnium, res eſt tamen antiquiſſima, Philoſophis ipſis non incognita Legatur apud Poëtam Epigramma illud:

Ratio examinandæ Conſcientiæ.

Ep.32.

lud: Vir bonus & sapiens; & apud Senecam aliquot Epistolæ, illa præsertim in qua Sextium quotidie ad diei extremum se discutientem inducit; Quod hodie malum tuum sanasti? cui uitio obstitisti? qua parte melior es? Obseruatu tamen est facile, gentiles Philosophos vix scrutatos esse animi reconditas affectiones, uersatos potius in disquirendis externis actionibus, & quæ spectarēt alios; Ex Scripturis res est testatior. Et quidem discussionem hanc exquisitam, eorumque cognitionē, quę intus sunt in animo, donum Dei esse. Quoniam ait Dauid: Tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas, ideſt, ignorantiā cordis, scribit S. Hieronymus. Hoc idem donum collatum Diuinitus viris sanctis, qualis fuit Iob: Verebar enim ait, omnia opera mea. Dauid: Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, scopebam spiritum meum; Rimabar, legunt alij. Ezechias: Recogitabo tibi omnes annos meos. Christus Dominus eandem exercitationem insinuat, cum percurrit seriem actionum, quas in extremo Iudicio statera minimè dubia examinaturus est. Et præterea quæ innuit in quibusdam Parabolis, cum de verbo otioso reddendam esse rationem affirmat in die Iudicij. Apertè S. Paulus: Tentate vosmetipsos si estis in fide. Et adhuc apertius: Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. Idem & in usum deduxerunt Patres, & tradiderunt. S. Basilius, S. Augustinus, S. Bernardus. Sed præclarè S. Chrysostomus. Atque vt B.P. Ignatius præscribit ordinandum esse examen à commemoratione Diuinorum beneficiorum, etiam singulorum, & peccatorum

Psal. 17. Iob. 9. Psal. 76. Isa. 38. Matth. 25. Matth. 12. 2. Cor. 6. 1. Cor. 11. Ser. de Institutione Monacho. S. August. 10. lib. Cōfess. & Homil. 24 li.

50. homiliarum. S. Bernar. In Cãtica. Ser. 55 68. & ad frat. de Monte.

catorum quæ nos aduersus Deum commiserimus; sic itidem planè S. Pater. Et duorum istorum operum diligens faciamus examen, quid nos quidem peccauerimus in Deum, & quid boni ille nobis fecerit, ita & grati erimus, & omnia effundemus. At nullus hæc cogitat. Sed quemadmodum de peccatis loquimur, esse nos peccatores, peccata non in specie memorantes, & exquirentes; ita & de beneficijs Dei, quod benefecerit nobis Deus, dicentes, non speciatim illa examinamus, non dicimus vbi, & quanta, & in quo tempore. In posterum igitur magnam faciamus diligentiam; nam si quis etiam vetera repetere potest, magnum inuenturus est thesaurum, si omnia diligenter consideret. Quoniam verò tunc diligenter peccata perpendimus, cum non ea solum indagamus, sed penetramus, ad eorum vsque causas, & exordia, exuimusque actionem per se malam, ea boni specie quam interdum præ

Homil. 37 in Acta.

sefert, ad id simul hortatur alibi nos S. Chrysostomus, iubetque, quod etiã faciunt S. Bernardus, & S. Augustinus, vt in animo nostro ipsi cõtra nos ipsos statuamus tribunal menti nostræ, tanquam iudici, coram quo sistamus actiones nostras, eas excutiamus, nos quasi mẽtis apparitores, accusemus ipsi, castigemus acerbissimè, ubi fuerint per sententiam condemnatæ. Videmus ait, quod si quis hostium in Ciuitate aliqua capitur, quasi explorator iudicatur. Igitur peregrinorum eiectionem faciamus, imò non solum peregrinorum, sed etiam hostium, si quem uiderimus, tradamus Principi, menti inquam cogitationem illam, quæ barbara quidem est, sed ciuili veste induta. Multæ apud nos cogitatio-

gitationes tales sunt, natuta quidem inimicæ, amictæ autem nullo velleré: sicut Persæ tiara sublata, & gladijs peculiaribus, quos anaxirides vocant, & calciamẽtis barbaricis dimissis, alieno in habitu regionem nostram ingrediuntur, & rasi in corpore, & familiari lingua loquentes, habitu bellum occultant; si autem tormenta statim adhibueris, eum qui latet deprehendes; ita & hic examina sæpius talem cogitationem, & statim videbis barbaricum sensum. Reliqua legi possunt apud eundem. Porrò & ex his, & ex ijs quæ in eandẽ sententiam scripta sunt apud Patres, quanquam ex verbis Domini certum est, unum esse fontem omnium malarum cogitationum, nempe Cor, quia ex corde exeunt malæ cogitationes; nihilominus intelligimus ex duobus capitibus earum vitium omne profluere; Vnum est intentio deprauata, vt cum inanis gloriæ studio, aut vtilitatis alicuius, voluptatisue terrenæ gratia mouemur ad aliquid agendum. Alterum est, cum fons ipse cogitationum Mens corruptus est deprauata aliqua affectione, Ex quo existunt Vndecim genera prauarum cogitationum; Minimè omnium malæ, quamuis malæ sint, sunt Otiosæ; tum Inanes & Futiles, ex Animi leuitate ortæ; deinde Obscænæ & turpes, ex Carnis incitamento ac pruritu; Temerariæ ex Suspicione & imprudentia; ex Odio, quæ offensas & dissidia struunt, aut in ista feruntur; ex Iracundia uesanæ, effrænatæ, furiosæ; ex Superbia, Arrogantes, insolentes, glorioſæ, ex nimia cupiditate res alienas perueſtigandi, & suimet negligentia Curiosæ. ex Libidine dominãdi, Ambitiosæ, ex Maleuolentia & Superbia simul in-

Matth. 15.

Duo initia malarũ cogitationũ.

Generavm decim prauarum cogitationũ.

uidiosæ, impiæ, & nefariæ in Deum Diuosque; ex Animi deiectione mœrore immoderato furori iuncto. Cogitationibus respondent Verba & Actiones totidem generum; quæ omnia sicut & omissiones in conscientiæ examine acutè speculari, & acriter vindicare debet proficiés, ac quicquid vitiosū in eis deprehēderit & corruptū, intēto ad cōtrarias cogitationes & virtutes animo, pura, incorrupta, cōstantiq; cōsuetudine emēdare.

Extremum istud sit. Curandum enixè proficienti, vt Cogitationes, quas animo versat, quoad eius fieri possit, bonæ sint, & vtiles. Ad quam rem fortem magnumque animum itidem adferat oportet, in primisq; patientissimum suimet, illarumque ineptiarum, quæ se subinde in mentem bene occupatam uel inuitam, & renitentem intrudunt, utq; cum se peccasse cogitatione cognoscit, pœnitere debet, atque corrigere; sic nihil propterea de diligētia hac atque solicitudine remittere ullo modo debet, sed se sensim suauiterq; vtilissimæ huic exercitationi assuefacere, quoniam Virtus in infirmitate perficitur. Atq; hoc ipsum monet S. Gregorius, in rebus hisce si quis alius, apprimè vniceque versatus. Sæpè ait cum Diabolus præparatam mentē ad tolerantiam videt, quid ab ea maximè diligatur, exquirit, & ibi scandali laqueos inserit, ut quo magis res quæque diligitur, eo per eam facilius patientia turbetur; Et quidem electorū corda ad se semper solicitè redeunt, & semetipsa grauiter vel pro leui motu excessionis affligunt, & dum mota discunt, quomodo stare debuerint, aliquando melius concussa, solidantur. Huic monito parendum, standumque semper, quan

Li. 2. Mor. cap. 34.

diu

diu non impingitur in scopulum illum Actuationis, quem supra in hac exercitatione omninò præcauendũ diximus, denuoque repetimus. Hactenusque explicata sunt duo virtutis initia, Bona Voluntas, & Recta Cogitatio; alia duo supersunt, quæ nunc breuiter describam, sunt autem Occasio, & Oratio. Vitanda Actuatio.

Quàm præstet proficienti nullam exercendæ Virtutis oblatam occasionem prætermittere. Cap. VIII.

APud Salomonem scriptum est: Da occasionem Sapienti, & addetur ei Sapientia. Quam sententiam S. Basilius cum de Virtutibus præcepta tradit, de earum vsu, & exercitatione intelligendam existimat. Et sanè plerũque si non semper accidit, languere Virtutis vsum; propterea, quòd vel non habetur, uel non accipitur, vel etiam respuitur eam excitandi occasio; nec foras prodire Virtutem quantumlibet actuosam, quia Voluntas hominis Virtutem non exsuscitat tunc, cum præsens adest id, quod eam ad actum si non allicit, aut trahit, inuitat certè, & se promptum & opportunum præbet ad eam in aciem perducendam. Id porrò est quælibet res creata, quæ sese nobis dum uigilamus, & mentis nostræ sumus, quacunque ratione vel in otio, uel in negotio obijcit. Nihil est enim in creatis rebus, quod si nos diligenter attendamus, non vt ita dicam contenta uoce clamet id, quod meditatur Vgo de S. Victore: Accipe, Redde, Fuge. Accipe beneficium, Redde Prou. 9. Cõst. Monast. c. 17. Lib. 1. de Arca Noe in Prologo.

Redde debitum, fuge ſupplicium. Hoc eſt in ſumma, teipſum excita & exerce ad omnem Virtutis actionem, & normam. Has voces edunt Cæli, Terræ, Maria; Cæli Sydera, Terræ viſcera, reliqua Elementa & ex his conflata corpora ſuperi, inferi, animantes, homines, Angeli, Dæmones, omnia deniq; quæ Deus non ſunt, Deum tamen prædicant, ad eiuſq; laudem & gratitudinem prouocant; Sed excitant præterea ad obedientiam; Præceptum enim poſuit, & non præteribit. Excitant ad mundi contemptum, quia Cælum & terra tranſibunt. Excitant deniq; ad odium peccati, & Dei cultum, hoc eſt ad omnium vitiorum deteſtationem, & omnem Virtutem colendam; ſiquidem ſcriptum eſt: Quoniam omnia ſeruiunt tibi.

Pſal. 118.

Sed quoniam hæc remotiora videri poſſunt, venien dum ad ea, quę nos propius attingunt; Mirum enim eſt, quàm amanter cõſuluerit vtilitatibus noſtris, quas prouiderit ac parauerit opportunitates exercendæ virtutis Diuina prouidentia, dummodo ij ſimus, qui eis vt oportet, vtamur. Hæc ſunt capita duo; Res proſperæ; Res aduerſæ; & tam hæ, quàm illæ, maxima ad Virtutem inuitamenta. In proſperis numeramus externa bona, Diuitias, at diuitijs mercamur cælum, facimuſque nobis amicos de mammona iniquitatis; Honores, cauẽdum, ne ſimiles illi ſimus, qui cum in honore eſſet, non intellexit. Et ecce tibi timorem ſanctum Humilitatis comitem. Poteſtatẽ dominandi; at, Potentes potenter tormẽta patientur; &, Scientes quia & illorum & veſter Dominus eſt in Cælis. Nobilitatem, atqui hæc non facit Dei filios: nam hi non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate car-

Lucæ. 16.
Pſal. 48.
Sap. 6.
Eph. 6.
Io. 1.

te carnis, sed ex Deo nati sunt; & hæc ipsa Nobilitas nobilioris virtutis occasio est. Minimè quidem ait S. Bernardus Deus est acceptor personarum, nescio tamen, quo pacto Virtus in nobili plus placet, an fortè, quia plus claret. Bona corporis, vt est sanitas, integritas, pulchritudo, robur, at, Glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Nescitis quia tẽplum Dei estis? &, Omnis caro fœnum; &, Caro concupiscit aduersus spiritum. Nec in sinu fouendus est hostis, ita, vt sanitas corporis sit animæ detrimentum, & pulchritudo carnis, deformitas spiritus; sed mortificanda membra nostra quæ sunt super terram, & castigandum corpus, ne reprobi efficiamur. Amicos, Consanguineos, at, præ illis Deus, & instar omnium Deus; &, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit Cor eius; &, Inimici hominis domestici eius. succedant simul res ex sententia, eueniat quicquid agitur ad illam normam & voluntatem, qua rebus agẽdis omnibus præfabantur antiqui, bonum, faustum, felix, fortunatumq;, Vxor ex animi sententia, Serui ad nutũ parati, Filij probi & multi; res familiaris ampla, lites, inimicitiæ nullæ, felicia omnia domi, foris, in Ciuitate, in agris, quid? Beatum dixerunt populum cui hæc sunt; at, Beatus populus ait Dauid, cuius Dominus Deus eius. Dederit Deus felicitatem hanc, at cur? ut industria tua simul cum eius gratia, tibi Virtutem det, & quo tibi tuæ res magis faustè ac prosperè eueniunt, eo tu Virtutibus ditior ac felicior euadas. Quanquam, quæ tandem est hæc felicitas? Vnius diei, ne dicam momenti, breuis, fugax, caduca, incerta, & nisi sit materia Virtutis,

Ad Soph. Epist. 113.

1. Cor. 6.
1. Cor. 9.
Isa. 40.
Ad Gal. 5.

Ier. 17.

Matth. 10.

Psal. 143.

tis, planè inutilis ad æternam veramq; felicitatem; Hoc tamen inter te & calamitosum seu inopem hominem differre faciens, quod inter tot terrena commoda, hoc est, inter tam multa ac magna Virtutis impedimenta, si Virtuti das operam, magis emicat Virtus tua, utpotè, ab omni suspicione necessitatis ac simulationis immunis, indicat te tibi vim attulisse, quippè, qui valeas teipsum sequi, nec velis, possis impunè multis cupiditatibus tuis seruire, frangas illas tamen, ac vincas; Quod S. Augustino magnæ virtutis argumentum est. Habete (inquiebat diuitibus) facultatem, & ibi laudabo domitã iniquitatem. Et alio loco: Non quæro quid negatum non delectet, sed quid delectet oblatum. Aliud est exhausta pestis, aliud consopita; Quare Virtutis adultę indicium est, posse facere mala (ut ait Salomon) & nõ facere, potuisse transgredi, nec esse transgressum. De Spirirualibus beneficijs quid dicam? incipio percurrere aliqua, & quidem ab Dei amore, quo nullum maius extat Dei beneficium erga homines. Sic Deus dilexit mũdum, vt filium suum vnigenitum daret. Cur? vt omnis qui credit in eum, non pereat. Ecce Fidem Christus in carne de mundo triumphauit. Cur? Confidite, ego vici mundum. Ecce Spem. Christus Iesus, qui & mortuus est, immò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? Ecce Charitatem. Eandem ipsam charitatem & gratiam largitur Christus hominibus, & qua si cæleste ignem mittit in terras, vt ipse loquitur. Cur? ut ardeat: crescat nimirum indies magis bonis actionibus, veluti flabello ventilatus & auctus. Dona deniq;

Homil. 7. lib. 50. homil.

Lib. 1. Soliloq. c. 11.

Eccl. 31.

Ioan. 3.

Io. 16.

Rom. 8.

Lucæ. 12.

sua

ſua vniuerſa tanquam talenta diſtribuit hominibus, vt bonarum actionum negotiatione, meritorum noſtrorum theſaurus amplificetur. Vniuerſa Chriſti Vita, prædicatio, miracula, labores, itinera, quò ſpectabant? quẽ finem propoſitum habebant? illũ in primis, vtut quem admodum ego feci, ita & uos faciatis. Sacramẽta Nouę legis, gratiæ Diuinæ clariſſimæ officinæ, ac locupletiſſima promptuaria, quò dirigun tur? eo nempè, ut peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus. Cur uocat & cur mittit Deus operarios in vineam ſuã? niſi quia nõ patitur quenquã in Eccleſia ſua otiosè viuere? Illuſtrat mentem Deus, vt nos doceat facere volũtatem ſuam; reuocat à peccatis, vt vltra non ſeruiamus peccato; imperat vt ſe ſequamur, ut abnegemus nosipſos, tollamusque crucem noſtram quotidie; replet in bonis deſideria noſtra, ut renouetur vt Aquila iuuentus noſtra; Denique Gratiam, Virtutes, dona immittit Deus in animam hominis, ſed reddenda iubet quę ſunt Dei Deo; reddimus autem habitus cum exercemus, & quaſi iterũ ab eo accipimus actus, quos non niſi eius Diuina ſiue naturali, ſiue ſupernaturali ope obimus; Hinc enim eſt illud; Quid retribuam Domino? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Et breuiter ſumma præceptionum Chriſti Actio eſt. Videte, Vigilate, Orate. Hęc cũ recurrunt in mentẽ, quod ad euitandum ingrati animi uitium ſæpè fieri debet, vix aliud ſecũ inuehunt, quam exercendæ alicuius Virtutis occaſionem. Io. 13. Pſal. 115. Marti. 13.

Accedendum iam eſt ad res aduerſas. Et primum occurrunt illa: Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et clama- Res aduerſæ Dei beneficia virtutis occaſio. Pſal 77.

uerunt ad Dominum cum tribularentur. Id porrò improbi etiam faciunt, quales hi erant de quibus loquitur Dauid. At quid iusti? Illustria sunt exempla, Iob, Dauid, Ezechiæ, Tobiæ, Iudith, Esther, Susannæ, & aliorum; Immò eo perfectionis amore peruehuntur etiam, ut calamitates Virtutis gratia desiderent. Electus inquit S. Gregorius, tentari se aduersitatibus post Virtutes desiderat, ne peius ex Virtutum confidentia cadat: si enim seruari se melius per tentationem non cognosceret, ne quaquâ Psalmista diceret: Proba me Domine, & tenta me. Bene ergo nunc dicitur: Si dormiero, dicam, quando consurgam? Et rursum: Expectabo vesperam, quia & in peccati somno lumen iustitiæ quęritur; & cum virtutum prospera mentem eleuant, adiutrix aduersitas desideratur. Et paulo post: Vir sanctus uesperam expectat, quia cum exerceri hunc tribulatione necesse est, ipsa ei fit aduersitas prospera. Hæc illi. Ob eandem causam Patres afflictiones tam bonis quàm malis diuinitus inflictas, beneficia dicenda esse contendunt. Sic S. Augustinus: Beneficia hæc sunt Diuina, non verbera; nec vt noceant Diuinitus irrogantur, quæ ad hoc ueniunt, vt hominibus paterna beneuolentia consulant. Ego inquit, quos amo, arguo, & castigo. Et iterum: Fili mi, ne neglexeris disciplinam, neque defeceris, cum ab eo argueris, quem enim diligit Deus, corripit, flagellat autẽ omnem filium, quem recipit; Timeat quem Deus corrigerenon vult in seculo, quia eum supplicio destinauit post seculum Quantas igitur opportunitates exercendę Virtutis suppeditant res aduersæ? vim etiam dixerim adferre, ad eum modum, quo dictum est in Parabola

Lib. 8. Mor. c. 10.

Psal. 25.

Iob. 7.

Hom. 46. Lib. 50. Homil.

Apocal. 3. Prouer. 3.

Euan-

Euangelica: Compelle eos intrare; quem enim non allicit humana felicitas, trahit plerumq; certè, & vrget calamitas. In promptu sunt exempla pauperum, ægrorú, exulum, orbatorum filijs, progenie, uitæ commodis, gloria, dignitate, officijs, principum, parentum, gratia, muneribus, hæreditate, amicorum studijs, obsequijs seruorum, & quidem adempta spe recuperandę libertatis, de gradu deiectorum, infortunatorum, & similium. Quæ omnes calamitates, si sana mente iudices, non tam ut existimantur vulgò, sunt formidanda ut mala, quàm cum adsunt, fortiter toleranda, ut magnarum Virtutum occasiones & semina. De vtilitate capienda ab inimicis, librum scripsit Plutarchus. S. Augustinus verò sic ait ad rem nostram: Si non haberemus inimicos, non essent pro quibus oraremus ex præcepto Domini nostri, dicentis: Diligite inimicos vestros, & orate pro ijs, qui uos oderunt. Vnde probamus, vnde cor nostrũ interrogamus, vtrum hoc facere valeamus, si nullum inimicum, nullum reprehensorem, nullum detractorem, nullum maledicum experiremur? Videtis ergo, quia & mali necessarij sunt bonis? Hæc illæ. Sed dicam amplius. Naturæ prauitas, vitia ipsa, sunt si sapimus, Virtutum occasio; Et quidem de prauis animę motibus scribens S. Bernardus, ait: Medium vitiorum virtus tenet, ac proinde sedula eget non solum putatione, sed & circunciſione, alioquin uerendum, ne circumquaq; à lambentibus, uel potius à rodentibus uitijs illa dum nescit, paulatim elangueat, aut si supercreuerint, suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, ob seruare diligenter, & mox ut renascentium capita appa

De Verbis Domini Serm. 53.

Matth. 5.

Vitia occasio Virtutis.

In Cant. Serm. 58.

rebunt, prompta seueritate succidere; Non potest Virtus cum vitijs pariter crescere, ergò, vt illa vigeant, ista crescere non sinantur. Hæc ille.

Lib. de vera Relig. cap. 52.

De vitijs autem sic habet S. Augustinus: Quid est autem vnde homo commoneri non possit ad Virtutes capessendas, quando de ipsis vitijs potest? Quid enim appetit Curiositas, nisi cognitionem? quæ certa esse non potest nisi rerum æternarum, & eodem modo sem per habentium? Quid appetit Superbia, nisi potentiam, quæ refertur ad agendi facilitatem, quam non inuenit nisi anima perfecta, & Deo subdita, & ad eius regnũ summa charitate conuersa? Quid appetit voluptas cor poris, nisi quietem, quæ non est, nisi vbi nulla est indigentia, & nulla corruptio. Cauendi sunt ergò inferiores inferi, vbi nulla potest esse commemoratio Veritatis. Quare festinemus, & ambulemus cum dies præsto est, ne nos tenebræ comprehendant.

Peccata occasio virtutis.

Sed & audeo dicere, Peccata ipsa sunt etiam Virtutis occasio De Venialibus quidem culpis dubitandum

Rom. 8.

non est: Nam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, ergo etiam culpæ veniales. De mortalibus autem, de quibus maior dubitatio esse posse uidetur,

Matth. 18.

quid dicam aliud, quàm quod dicit Dominus: Gaudium est in Cælo super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm suprà nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia; nimirum, quoniam peccatum quod qui commisit, agnoscit, occasio illi est, vt eò magis pœniteat quod peccarit, eoq; maiore charitatis in Deum ardore efferuescat, quo se grauius peccasse, ac sceleratius tam bono parenti iniuriam feciſſe intelligit.

Extre-

Extremum ergo sit, maximum momentum Virtutis tàm acquirendæ quàm adaugendæ, positum esse in arripienda auidè occasione quæ Virtutis exercendæ vndecunq; sese offerat, & magnam curam ponendam in huiusmodi occasione non solum amplectenda cum uenit obuiam, sed perueſtiganda etiam cum occultior est, vt ferè est tyronibus & inexercitatis, & in eadem accersenda & attrahenda cum occurrit inuita.

A Deo donum exercendæ Virtutis postulandum esse, & quis deinceps ordo seruandus. Cap. IX.

VIrtutem esse Dei donum, & à Deo Diuina liberalitate in Animam hominis infundi alibi explicatum à nobis est. Hic tamen denuo attingendum est, ut simul intelligamus, non solum Virtutis habitum ex Deo esse, sed etiam suo modo Virtutis actionem, idq; duas ob causas; tum quia efficitur ab hominis facultate, quæ Dei opus est, sicut & totius hominis constitutio; tum, quia actio ipsa Virtutis, ita partus hominis est, vt simul Dei opus sit: Sufficientia enim nostra ex Deo est, ait Apo- 2. Cor. 3.
stolus, cum loquitur de nostris actionibus. Et Dominus similiter de actionibus differens: Sine me ait, nihil pote Io. 15.
stis facere. Et, Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui Ioan. 6.
misit me, traxerit eum. Trahit autem, affectibus, & actionibus Pater. Atq; hinc est, ut actiones eædem & nostræ sint, & Deo nihilo minus acceptæ referantur, immò ipsismet nominibus Virtutum & actionum nostrarum appelletur Deus, Vt Patientia mea; Exultatio mea; Fortitudo Psal. 117

Psal. 29. tudo mea; Virtus salutis meæ; & similibus. Deniq; in illa Psalmi Verba: Domine in Volũtate tua præstitisti deco
Ibid. ri meo Virtutem, S. Basilius ostendit, non solum Virtutes, sed vsum Virtutum ex Deo, tanquam bonorum omnium fonte in nos deriuari; Vt decor Animæ accedat, ait, & simul potestas, aut facultas, ea quæ necessaria sunt perficiens, Diuina est opus gratia; Hunc autem decorem in Virtute positum esse, postea docet. Aliquid
Lib. 6. in 1. Reg. c. 16. c. suo 3. versus medium. amplius insinuat S. Gregorius: Tantæ nimirum curæ Deo esse Virtutum thesaurum (intellige non habituum solum, sed actionum simul, & maximè internarum) ut eum in animis Electorum quasi defossum, obruat, ne fortè ad hominum notitiam prolatus, in periculum veniat. Sic enim scribit: Magnæ quidem Electorum Virtutes quasi thesauri omnipotentis Dei ferè semper in occulto sunt: More etenim timoratorum diuitum omnipotens Deus facit: quia ne Virtutum thesauros perdat, hos, & in electis mentibus collocat, & ipsas mentes per secretum cælat. Post explicat id propriè etiam de actionibus Virtutis, quatenus insunt in animo.

Quod si obijciat quis, Virtutes etiam acquiri nostris actibus, & ab aliquibus Philosophis quibus subscribit
Lib. 19. de Ciuitate Dei, ca. 1. S. Augustinus traditũ esse, Virtutẽ doceri & disci disciplina magistra; id nos nõ negamus, immò adfirmamus, pleraſq; morales Virtutes meritò propterea dici acquisitas, sed illud ipsũ sine aliqua Dei ope non accidit, & hic in primis agitur de actionũ bonarũ exercitatione Dei supernaturali ope adornata & instructa. Hæc nec inchoatur, nec absoluitur, sine Diuinæ gratiæ ac liberali-
Psal. 31. tatis auxilio, tam illustrationis in mẽte, propterea enim

scri-

scriptum est: Instruam te in via hac qua gradieris, & firmabo super te oculos meos: quàm auxilij, firmamenti, roboris, atq; feruoris in uoluntate & appetitu; Hinc sũt enim illa: Beatus vir cuius est auxilium tuum abs te, ascẽ Psal. 83.
siones in corde suo disposuit; &, statuit suprà petram Psal. 39.
pedes meos, & direxit gressus meos, &, Viam mandato Psal. 118.
rum tuorum cucurri, cum dilatasti Cor meum. Voluit igitur Deus auctor esse bonarum actionum hominis, supernaturalium præsertim, ad hunc modum.

Sed & alia ratione Deus boni nostri parens est. Arcet quippe ipse peccandi occasiones & illecebras, quæ si adessent, ruerent plerumq; homines in flagitia ipsa, quæ detestantur. Sic S. Augustinus: Hic multa commisit, & multorum debitor factus est; Ille gubernante Deo pauca cõmisit; cui deputat ille quod dimisit, huic & iste deputat quod non commisit; Adulter non fuisti in illa tua vita præterita plena ignorantia, hoc tibi dicit Deus tuus; Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non commiteres; suasor defuit, & vt suasor deesset, ego feci; adfuit suasor non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti; Mihi debet iste, quod factum est, & dimissum uidisti, mihi debes & tu, quod non admisisti. Nullum enim est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo. Hæc ille. Homil. 23 Lib. 50. Homiliar.

Accedit ad prædictas duas, Tertia quædam mirabilior Ratio, qua benignissimus Deus nostrarum Actionum bonarum auctor esse uoluit; ipse enim est, qui

eam

eam quam diximus uirtuti necessariam, efficit bonam uoluntatem nostram; Operatur inquit Apostolus, in
Philip. 2. nobis velle; Ad quem locum sic S. Augustinus: Vbi in-
Lib. 1. qq. ad Simpli cian. q. 2. quit, satis ostendit, etiam ipsam bonam uoluntatem in nobis operante Deo fieri. Sed adhuc maiorem admirationem facit modus, quem sequitur Deus in adiuuanda uoluntate, vt uelit, agatque quod agit ex Virtute, &
Ibid. Dei ipsius uoluntate. Quod præclarè ac doctè S. Augustinus explicauit: An fortè inquit, illi qui hoc modo uocanti non consentiunt, possent alio modo uocati accommodare fidei uoluntatem, vt & illud verum sit: Multi vocati, pauci verò electi, ut quamuis multi uno modo uocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur uocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; & illud non minus verum
Rom. 9. sit; Igitur non uolentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo uocauit, quomodo aptum erat eis qui secuti sunt vocationem; aptum inquam, ut post subiungit, ut mouerentur, & intelligerent, & sequerentur. Hi sunt funiculi Adam; hæc sunt vincula Charitatis, quibus hominem ad se trahit Deus; ita scilicet accommodatè ad naturam & captum obijciens intellectui bonum, ita attemperatè ad temporis, omniumq; aliarum circunstantiarum opportunitatem, ad uoluntatis ipsius propensionem, commodum, voluptatem, vt ea libentissimè quidem, omninò tamen bonū suum complectatur; hincq; pro uirtutum uarietate diuersis quasi seminibus grauidatus hominis Animus, fundat deinceps & pariat, Dei semper ope iuuante, earundem Virtutum præclaras actiones, quæ fortè inter alias causa

est,

est, cur Deus adiutor dicatur à Dauid, sed in opportunitatibus. Vult igitur homo bonũ, & quidẽ liberè, quia libertate prędituș, Deo tamen luce sua ac gratiæ suæ munere hominẽ præueniente, infirmã voluntatem roborante, alliciente, excitante, suis quasi manibus sustentãte, ac dirigente usq; dum illud attingat; In quam sententiam sic alibi scriptum est ab eodem S. Augustino: Nostrum est velle (hoc est, actio nostra est, nos enim ipsi sumus, qui volumus) sed voluntas ipsa & admonetur, ut surgat, & sanatur, vt valeat, & dilatatur, vt capiat, & impletur, vt habeat. Et alibi: Deus etiam bonas volũtatis intus operatur. Perspicuum est igitur, Virtutem, exercitationem eius, & ipsam exercendi opportunitatem, Dei munera esse, & ab illo summis precibus flagitanda. Emitte lucem tuam, & ueritatem tuam, rogabat Dauid. Et alibi: Tempus beneplaciti Deus, in multitudine misericordiæ tuæ exaudi me. Sed ad hæc omnia à Deo postulanda nulla magis apposita precatio, quàm illa: Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. hoc .n. versu idemmet S. Augustinus auctor est, contineri perfectionẽ viuendi, & quotquot spiritualiũ habet multitudo Virtutum. Pari ergò nobis est contentione certandum ad virtutem comparandam, hinc Industria, inde Oratione; Industria quidẽ adeò constanti ac uehemẽti, ac si à nobis nostra penderet Virtus. Oratione autem ad Deum, adeo religiosa ac continuata, ac si non aliundè tantum bonum in nos deriuandum esset ut verè non est; Quæ perpetua doctrina Patrum est, præsertim S. Basilij, & S. Augustini. Atque hic finem facio eorum quæ ante quam de singulis actionibus Virtutum

Psal. 9.

Lib. de bono Viduitatis. c. 17.

Li. de gratia Christi contra Pelagian. c. 24.

Psal. 42.

Psal. 68.

Psal. 118.

Homil. 3. Lib. 50. Homil.

dicēda uidebantur de actione ſtudioſa vniuersè, ſi duo prius adſcripſero, quæ ad ordinem ſequentis Tractationis maximè pertinent; Vnum eſt, quādo quidem ex Philoſophis acceperunt confirmaruntque Theologi, duo eſſe genera Virtutum, Communes, & Heroicas, illas ineſſe poſſe omnibus, has proprias eſſe Virorum Diuinorū, aut Heroū; Quanquā (vt S. Thomas loquitur) non niſi ſecundum modum perfectiorem Heroicæ à communibus Virtutibus differant, in quantum ſcilicet quiſq; eſt diſpoſitus ad bonum quodam altiori modo, quàm communiter omnibus competat, nempè ut moueatur à Deo per dona Spiritus ſancti; Nobis hic agendum eſſe de vtriſq; Communibus ſcilicet, & Heroicis quoad Dominus dederit, & rationibus allatis, & exemplis. Alterum eſt, ordinem quem ſecuturi ſumus, generatim præſcribi poſſe hunc, vt Primo loco quid de Virtutis cuiuſq; actibus Scripturæ tradant, deinde quid Patres ac Theologi, D. Thomas præſertim ſuis lucubrationibus de ijſdem explicarint, adferamus. Secundo loco indicemus occaſiones cuiuſq; Virtutis exercendæ; ac poſtremo adductis exemplis rem uti poterimus, confirmemus. Actus autem cum nomino, non ita anguſtè & preſsè vt Theologi ſolent, accipio, ſi quidem de internis & externis, de elicitis quos vocant, & imperatis, diſſerendum nobis eſt, ſimulq; de quibuſdam quę circunſtant, comitantur, & conſequuntur, ſiue actus, ſiue circunſtantię ſint, ſiue propriè ad vnam, ſiue ad aliá Virtutem pertineant, ut enim hæc uſu non ſeparantur vt plurimum, ſic nec tractatione quæ tota referatur ad uſum, ſecernenda videntur.

Ariſt. 7. Ethic. Initio.

S. Tho. 3. par. q. 7. ar. 2. ad 2. & 1. 2. q. 68. ar. 1. ad 1. & 2. 2. q. 159. art. 2. ad 1.

De

De Virtutis Fidei Actionibus Internis Primum Fidei beneficium, & fructus Actionis Internæ spirituales quinq;, qui ex eo existunt.

Caput X.

INgredimur uiam à Christo Dño primũ patefactã laboribus, & exẽplis, stratam autẽ pretiosissimis sudoris ac sãguinis sui gemmis, quã secuti Apostoli, ac deinceps Sancti Viri, nobis tritã reliquerunt, ut eã & ipsi ingressi Virtutum Christianarũ actibus, quasi passibus ad perfectionẽ tandẽ peruenieremus; Viam planè regiam ac Diuinã, sed iniuria nostra obseptam, multis magnisq; ad progrediendum difficultatibus, non aliam ni fallor, ob causam magis, quàm quod qui frequẽtatis Virtutum actionibus eam nobis apertam ac facilem retinere debuimus, ab ea si non ad scelera atq; desidiam ad alias certè terrenas & inanes occupationes ita declinauimus, vt in eandem redire sit perdifficile, ijs præsertim, qui præterea quæ sint Virtutis cuiusq; actiones, per quas eundum est ad Virtutem, vix intelligunt, aut minimè cogitant. Horum intelligentiæ, ac memoriæ vt possum succurrere nunc conor; Deus optimus ac̃ liberalissimus excitet ac roboret voluntatem. Incipio à Virtutibus Theologicis: & primum à fide. Cuius diuina in hominem beneficia innumera sunt, & maxima, præcipua.

Primum Fidei beneficium est supernaturalis & ideo nobilissima & in hoc genere perfectissima cognitio Dei: Ob quam causam in Scripturis nominatur Fides

Primum Fidei beneficium.

nonnunquam, & quidem sæpè non præcisè, sed cũ adiunctione, in Deum, vel ad Deum, vel Dei. Creditis in Deum. Fides vestra, quæ est ad Deum. Non rursus iacientes fundamentum ab operibus mortuis, & fidei, quæ est ad Deum. & à sanctis Patribus similiter describitur. S. Cyrillus Hierosolymitanus: Fides ait de Deo speculatur, Deum intuetur. Et clarissimè S. Augustinus: Fidei primum & maximum officium est, vt in verum credatur Deum. Et S. Thomas: Fides est de Deo. Dei autem nomine intelligi volunt Deum, non solum vt vnus est, quod natura duce deprehendi tur, sed multò magis Deum, vt Vnus est Natura, & Personis Trinus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. id quod nulla ratione vllius creatæ naturæ vi ac ingenio inuestigari unquam potuit. Christi præterea Filij Dei hominis facti mysterium, hoc est aduentus eius in mundum, Incarnationem & ortùm ex Virgine, Vitam, prædicationem, Euangelium, miracula, passionem, mortem crucis, Resurrectionem, Regnum, & gloriam, potestatem uniuersam, instituta, Leges, consilia, Ascẽsionem in cælos, triumphum de inimicis Mũdo, Morte, Diabolo, inferis omnibus, extremum Iudicium: omnia denique quæ Sacra Scriptura, traditione, Ecclesiæ constitutionibus, Fidei in Deum nomine cõtineri asserunt, eo quod si quæpiam ex his Deus non sunt, a Deo tamen sunt, & ad Deũ referuntur tanquã ad finem. Quocirca inquit S. Cyrillus qui meretur fide illuminari, & mundi terminos circuit, & ante mundi huius consumationem iudicium iam videt, & promissionum retributionem.

Io. 14.
1. Thess. 1.
Heb. 6.
Catechesi 5.
Lib. 4. de Ciu. c. 20.
1. p. q. 1. art. 7.
Catechesi 5.

Hoc

Hoc unum beneficium si diligenter ut par est, perpẽdatur, bonarum actionum ingentem materiam proficienti prębet. Ac primum contemplationis ipsius Dei & attributorum eius. Exemplum in promptu sit huius ipsius beneficij, cognitionis uidelicet per fidem Diuinitus acquisitę consideratio, hoc enim unum infinitę Dei bonitatis liberalitatis ac misericordiæ in humanum genus apertissimum & maximum argumentum est. Quale enim est hoc beneficium? magnum & nihilominus omnibus commune; nisi obsistat aliquis; necessarium & paratum, gratuitum & pretiosum. Breuiter explico sic. Magnum est, quoniam cognitionem dat magnam de rebus magnis; Deo, Christo, Mundo, Angelis, Hominibus; cognitionem inquam naturæ viribus superiorem, planè cælestem. Commune quia ab hoc beneficio excludit nullum Deus, qui vult omnes homines saluos facere, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum adeo, ut infantibus ipsis etiam antè nutricis lac, habitum fidei per baptismum instillet. Necessarium, quia accedentem ad Deum oportet credere. Et qui non crediderit, condemnabitur. Paratum tamẽ, quia dat omnibus affluenter, & nõ improperat, adeò, vt affirment graues Theologi homini in syluis vel inter barbaros exulanti, ni ipse deprauatæ vitæ suæ rationibus impediat, sed ex Naturæ lege bene viuat, quanquam id nequit sine Diuino auxilio, quod tamen omnibus Dei prompta liberalitate præsto est, non defuturum Deum, sed illustraturum gratiæ suæ munere, uel misso Angelo, aut homine quopiam. Similiter Abacuc, vel peculiari & domestico instinctu. Hoc nimirum esse, quod

Fructus primi fidei beneficij. Primus.

1. Zim. 2.

Io. 1.

Heb. 11.

Marci vlt.

Iacob 1.

In cap. 3. Ep. ad Galatas. quod insinuat S. Hieronymus, Dei sermo cui nihil surdum est, ad eas magis loquitur aures, de quibus ait in Lucæ 8. Euangelio, Qui habet aures audiendi audiat. Gratuitum. Fides enim Domum Dei est, vt Apostolus prædicat, nec gratuitum quacunque ratione, sed illa inprimis Rom. 11. qua idem Apostolus ait, gratiam gratis datam, alioquin non fore gratiam, fides similiter gratis à Deo immittitur in animum nullis hominis antecedentibus promeritis; qui namq; dixit de tenebris lucem splendescere, 2.cor.4. ipse illuxit in cordibus nostris; quia sicut ex nihilo lucẽ produxit Deus, sic nullis hominis meritis homini fidẽ infundit. Pretiosum, quia fides est (ut scribit S. Paulus) Heb. 11. substantia sperandarum rerum, hoc est ut exponunt Patres fundamentum omnium bonorum supernaturalium ipsius etiam æternæ beatitudinis. Ergo hoc ipsum Dei munus, (Fides est cognitio supernaturalis Dei,) si piè accuratèq; recogitetur, reconditiorem adhuc diuinæ bonitatis cognitionem parit. In hoc vno tantæ adeoq; præclaræ cognitionis fundamento nituntur quasi in proprijs radicibus omnes non solum Theologorum doctrinæ, sanctorumq; Patrum dicta, Ecclesiæ matris sanctiones & Leges ipsa humanarum disciplinarum omniũ dogmata ad hanc normam emẽdata prorsus & aucta, sed quod nobis qui affectum informamus, potius est, Considerationes omnes sanctè ac piè obitæ de Deo, de mundi creatione, de homine, eiusq; statu, ac fine, de Diuina prouidẽtia, de Christo Domino, eiusq; Vita, moribus, operibus, passione, & morte, legibus, institutis, de Beatissima Dei matre, Angelis, ac Sanctis, de Ecclesia, de Christi Vicario, de Sacramentis, Sacrificio

Missæ,

Missæ, nouissimis quattuor, Sacris Scripturis vniuersis, traditionibus Apostolicis, & alijs. Ad hanc ipsam considerandi rationem spectant omnia quæ de Christianis Moribus, & officijs disputantur, quibus aut parantur virtutes, aut impugnantur vitia; propterea enim Apostolus cum numerasset pleraq; nefaria flagitia, addit, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei. Immò cogitationes ipsæ de perfectionis statu deligendo, de Christi Domini perfecta imitatione, hac eadem consideratione ac cognitione fundantur. Et hæ cogitationes inquit S. Augustinus, sunt quantum existimo, aurum, argentum, lapides pretiosi, nempe illi de quibus Apostolus scripserat: si quis superædificat super fundamentum hoc aurū, argentum, lapides pretiosos. Atque hic est primus fructus huius fidei beneficij, quod Dei rerumque Diuinarum cognitionem reconditam esse diximus.

1. Tim. 1.

Lib. de fide & operibus, c. 16

1. Cor. 3.

Alter fructus est, Scopus ac finis eiusdem ipsius cognitionis, qui duplex est. Vnus vitæ contemplatricis proprius, cum Deum contemplamur, ut in contemplatione & amore eius sistamus. Bonus est enim Dominus vt ait Propheta, animæ quærenti illum. Alter est cum cognitionem de Deo rebusq; Diuinis habitam dirigimus ad agendū, & ut S. Hieronymus loquitur, ad animę emolumenta conuertimus. Adfert S. Ambrosius loquens de hac ipsa Dei bonitate de beneficij quod tractamus origine exemplum in hæc verba: Intelligant quanta sit potentia maiestatis Dei in patientia, vt longa expectatione sustineat humanum genus, quod irreuerentia sua non solum negligit Creatorem, verum per

Se cūdus

Thren. 3.

Q. 11. ad Hedibiā.

In epi. ad Col. 1.

sequitur

sequitur amantes eum: ut & ipsi patientes sint, ut supportent probra, & maledicta infidelium, uel si illata fuerit pressura, expectantes iudicium Dei, nec dubitantes de eo, magis autem gaudentes in promissa vita cum gratiarum actionibus Deo. Hæc ibi Deniq; ex eiusdem Pa-
Col. 1. tris sententia hoc ipsum est quod Apostolus Colossensibus scribit: Non cessamus pro uobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitioue voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes: & crescentes in scientia Dei (Ecce tibi beneficium cognitionis maioris ex fidei fonte manantis) in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate, cum gaudio, gratias agentes Deo & Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Ecce scopum cognitionis, & secundum eiusdem beneficij fructum.

Tertius. Tertius fructus est Cultus Dei, qui Latria dicitur, quo Deo tanquam summo rerum omnium Domino, perfectissimo, ac quo nihil perfectius, melius, honoratius, Diuinius aut esse, aut excogitari potest, qualem deniq; nobis proponunt Sacræ literæ, & fides ipsa contemplatur, cum honorem habemus, quem possumus maximum, ac ex animo nos ipsos totos intimè subijcimus illi, seruitutem arctissimam perpetuamq; seruituri. Quem certè cultum non aliundè haurimus quàm ex
Exod. 24. cognitione Dei quam fides præbet, hoc est enim: Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis Deos alienos
Deuter. 6. coram me. Et illud: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Et ideo Lactantius doctè scripsit, hanc

sapien-

sapientiam antecedere debuisse Religioni, quamuis vni altera sit coniuncta. Non potest ait, neq; Religio à sapientia separari, neque sapientia à Religione secerni: quia idem Deus & intelligi debet quod est sapientia, & honorari, quod est Religio. Sed sapientia præcedit, Religio sequitur, & fortasse vtraque simul iuncta est illa, quam aliqui sapientiam nominant, & Græcis est θεοσέβεια, quam S. Augustinus negat vno Latino nomine exprimi posse, ac ideo duobus explicandam, scilicet, Dei cultus. De utraq; multa sunt in Sacris literis exempla, præsertim in Psalmis. vt exempli causa Iubilate Deo omnis terra, Psalmũ dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Et, Venite exultemus domino, iubilemus Deo salutari nostro. Et, Cantate Domino canticũ nouum, cantate Domino omnis terra, Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ, & alia. Lib. 4. Inst. c. 4. Lib. 14. de Trinit. c. 1. Psal. 65. Psal. 94. Ps. 95. 96.

Quartus fructus est Oratio. Orationem cum dico, intelligo & illam, quæ petendo contendit obtinere; & illam quæ hominis gratum in Deum animum ostendit, gratias agendo; & illam quæ per sanctos maximè uerò per Christum Dominum obsecrat, & si quæ sunt aliæ Christianę orationis partes; harum enim omnium fides caput est. Sic ex Apostolo S. Augustinus. Si fides deficit, Oratio perit. Quis enim orat, qui non credit? Vnde & beatus Apostolus cum ad orandum hortaretur, ait: Omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Et vt ostenderet fidem fontem esse orationis, nec posse ire riuum, vbi caput aquæ siccaretur, adiunxit, atque ait: Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt? Ergo ut oremus, credamus. Hęc ille. Quo Quartus. Serm. 36. de Verbis Domini. Rom. 10.

loco omitti & illud non debet, in oratione ad Deum si non principem locum tenet fides, certè à primo proximum; non enim solum fons est orationis, sed si sit uegeta & acris, in ea magna vis est ad impetrandum quòd
Iacob. 1. rogatur, posita. Postulet autem in fide, nihil hæsitans,
Marci 9. scribit S. Iacobus, & Dominus: Si potes credere, omnia
Lib. de fide & operibus. cap. 21. possibilia sunt credenti. Adeò, ut idem S. Augustinus affirmare videatur, tantarum virium apud Deum fidem esse, ut quasi vim adferat Cælis, ut inde impetratione euocet charitatem ipsam; sic enim scribit: Hæc est fides
Rom. 17. de qua dicitur, Regnum cælorum intra uos est. Hanc diripiunt (Hoc est uehementer excitãt, & torquent, vt in actum prodeat) qui vim faciunt credendo, impetrando spiritum charitatis, ubi est plenitudo Legis. Et paulo post: Reatus præuaricationis, quem sola Lex, id est Litera sine spiritu faciebat iubendo, credendo soluitur, & violẽtia fidei spiritus sanctus impetratur, per quem diffusa charitate in cordibus nostris, Lex non timore pœnæ, sed iustitiæ amore completur Hæc ille.

Quintus. Io. 17. Quintus fructus est Christi Domini Cognitio Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum verum
Ephes. 1. Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hanc Apostolus optat Ephesijs: Vt sciatis, quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, quam operatus est in Chri
Col. 2. sto. Hanc Colossensibus. Instructi in Charitate, in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterij Dei Patris, & Christi Iesu, in quo sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ Vel absconditi. Hanc præponit Regnis & sedibus & mundo uniuerso. Sic. n scribit:
Philip. 3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum, propter Chri-

Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentū feci, & arbitror ut stercora, vt Christum lucrifaciam. Hanc prædicabat, hanc uitæ moribus profitebatur, hæc vnicum ei solatium, hæc corona, hæc triumphus, hanc sonant in singulis periodis ac penè incisis eius Epistolę illis uocibus Christi, Iesu, Domini, in Domino, in Christo, in Iesu. Et auctor est Elias Cretensis, cum ille nominat Crucem, quod tam sępè facit, semper intelligi uelle fidem in Christum crucifixum. Ab hac de Christo Domino Diuina cognitione ut profectam putat S. Ambrosius Mundi conuersionem, & diuitiarum contemptū, sic deriuasse simul dicamus nos, Virginitatem, Cœnobia, Eremos, Martyria tam varia, tam multa, tam grauia atque admiranda vbiq; terrarum, omnis ætatis, sexus, generis, conditionis, viuendi normam, Dei communissimam maximamq; notitiam, Idololatriæ extinctionē, addo etiam Miracula, quæ ut maiora facturos qui in eum crederent, quàm ipse Dominus edidisset, prędixit, sic, re ipsa vt facerent, postea amplissimè præstitit. Hęc de primo fidei beneficio, & fructibus spiritualibus quinque ex eo existentibus. Nunc reliqua beneficia prosequenda.

In. orat. 3. de filio Greg. Nazianz.

Tract. in Psal. 40.

Ponuntur alia tria fidei beneficia cum Actionis internæ fructibus spiritualibus, qui ex singulis colliguntur. Cap. XI.

Secundũ fidei beneficium.

ALterum fidei beneficium est, quo intellectum hominis rebus à se propositis eqùe assentiri facit, ac si eas oculis cerneret, & multo magis. Habemus inquit S. Petrus, firmiorem Propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes. Firmiorem autem appellat rebus ipsis à se visis & auditis in Monte sancto transfigurationis Dominicę tempore. Ac propterea fides ab Apostolo argumẽtum non apparentium nominatur. τεκμήριον, hoc est argumentum, quo intellectus conuictus redditur, & fidei habitu quasi catena constrictus captiuus Deo efficitur, Vis hęc mentem adeo fortiter religandi, & de rebus quas debet credere certam reddendi, ita propria fidei est, vt par ei nulla in disciplinis humanis reperiri possit; quod vnde illi accidat, post dicendum. Hanc magnum Dei donum esse nemo non intelligit.

2. Petri 1.

Hebr. 11.

Fructus secũdi fidei beneficij. Primus.

Porro quantam vtilitatem adfert homini hęc vnauis Diuinitus vt ita dicam, illata menti? illam certè maximam, & qua nulla nec antiquis temporibus, nec hisce nostris recentioribus optabilior aut illustrior accidere potuit Ecclesię Christi Fortitudo nempè admiranda, & inaudita alacritas quęlibet tormenta quamuis immanissima, quoslibet cruciatus etiam acerbissimos, omne deniq; ignominiosę mortis genus pro Christo subeundi. Certus sum, inquit Apostolus, quia neq; mors, neque

Rom. 8.

vita,

vita, poterit nos separare à Charitate Christi. Vnde nam certus? ex fidei firmitate, quæ in Paulo inerat, ut scribit S. Hieronymus. Infinitum esset exempla alacritatis huius ex hac fidei firmitate profecta recensere scribendo. Tertullianus, Arrius inquit Antoninus, cum per sequeretur instâter in Asia fideles, omnes illius Ciuitatis Christiani ante tribunalia eius se manu facta obtulerũt. Nicephorus, Diocletiani tẽpore cum Natalis dies Christi festus adesset, viginti millia Christianorum in templo à Tyranno conclusa, igni conflagrare maluerunt, quàm tantillum à Christianę fidei stabilitate discedere. Hæc stabilitas alacrisq; fidei professio secundum Christi & Apostolorum sanguinem, mundum ad Christum adduxit, fundauit, propagauit, exornauit Ecclesiam. Hac conuicti Philosophi potius quàm rationibus argumentis ue, manus Christo dederunt, inter quos Iustinus Philosophus & postea martyr, nobilissimum locum tenet, non alia ratiocinatione ad Christum conuersus, vt ipse testatur, quàm ea, quam post explicauit Lactantius his verbis: Cum ab ortu solis vsq; ad occasum Lex Diuina suscepta sit, & omnis sexus, omnis ætas, & gens, & regio, vnitis ac paribus animis Deo seruiant, eadem sit ubique patientia, idem contemptus mortis, intelligere debuerant aliquid in ea esse rationis, quod nõ sine causa vsq; ad mortem defendebatur: aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam Religionem non tantum iniurijs ac vexatione nõ soluat, sed augeat semper, & faciat firmiorẽ. Et hic est fructus vnus beneficij fidei secundi.

In c. 1. ep. ad Galatas.

Ad Scapulam.

Lib. 7. c. 6.

Apolog. 1.

Li. 5. c. 13.

Alter fructus est, studium conseruandi fidem syncera m, integram, qualem Christus & Apostoli tradiderũt, eamq;

Secũdus.

eamq; sarctam tectam ab omni periculo & labe hæreticorum, ab omni nota, & colore non suo, qui illi eiusq; decretis undecunq; allini posset, tueri, ac pro eius integritatis defensione quodlibet capitis etiam discrimen subire. Vis scire inquit S. Hieronymus, quantus sit ardor bene credẽtium? audi Apostolum: Et si nos, aut Angelus de Cælo aliter euangelizauerit uobis, anathema sit. Atq; hæc est causa, cur ne syllabam quidem aut iota vnum concesserint unquam Hæreticis Catholicę Ecclesiæ Patres, cum ipsis Imperatoribus & Regibus pacis interpretibus de sententijs aut uerbis fidei uel leuissimè mutandis tractatum est, quidlibet potius sustinuerint, exilia, ignominias, cruciatus, mortem. Exempla sint verbum (Consubstantiale) proximè post Constantini Magni obitum, immò ipso etiam viuente, per tot secula adeo constanter retentum, acriterq; propugnatum, ne vel vna literula in eo variaretur. Verbum item Transubstantiatio, ob eãdem causam posterioribus, nostrisque temporibus tam studiosè conseruatum, & inter sacratiora Diuinaq; relatum aduersus impios Sacramẽtarios. Nempe fides vt Tertullianus est auctor, Virgo est integerrima, talisq; nobis à Christo tradita, quam vt stuprare conantur hæretici, sic Catholicos eam omninò incorruptam castè tueri, necesse est.

Ep 61. ad Pãmach. cap. 3. Galat. 1.

Libro de prę script.

Tertius. Tertius fructus est, auersari consuetudinem hæreticorum, horrere cospectum; quod quàm in more positum apud antiquos Christianos, quam illis id sollemne fuerit, uel ex vno Samosatenorum exemplo apud Nicephorum intelligi potest. Vbi inquit: Qui Arij factionis erant, pastoribus ex Ecclesijs omnibus expulsis, Samosata

Libr. 10. cap 21.

mosata quoq; pro Eusebio (hic vir planè Apostolicus erat) Eunomium quendam adduxerunt; nemo hominū omnium, uel pauper, vel locuples, vel iuuenis, uel senex, atq; ut simpliciter dicam, nemo prorsus, ita vt in moribus est, Ecclesiam est ingressus; Ipse verò solus in Episcopalibus ædibus versatus est, neminem eum respiciente, aut conueniente, cum alioquin vir humanus esset, & modestus. Addit post: Cum ille in publicum balneum veniisset, & lauisset, Samosateni ciues aquas eius piaculum hæresis contraxisse existimantes, per cunicu los eas emiserunt, atque alijs immissis lauarunt, quare coactus iste discedere, successorem habuit Lucium similiter Arianum; quantum autem ciuium odium in hunc etiam fuerit, inde liquebit. Pueri pila in foro ludebant, accidit, vt eo mula vectus transiret Lucius, ac pila per eius mulæ pedes volueretur; pueri vlulatum ingentem edidere, ac piaculo pilā repletam esse opinati, igne lustrarunt, sicq; ludum repetiuerūt; puerile id quidem, sed argumentum tamen odij Diuitatis illius aduersus eos qui fidei doctrinam deprauauerant. Hæc ex Nicephoro. Possunt & plura, & antiquiora adhuc huius rei exempla produci, sed ad institutum nostrum hæc satis sunt. Itaq; ex secundo beneficio fidei hi tres fructus habentur.

Tertium fidei beneficiū est secundi ratio. Cur enim ita nos certos de rebus fidei subiectis fides facit? nimirum, quia Dei reuelantis, & qui mentiri non potest, auctoritate nititur. Quod intelligimus, ait S. Augustinus, debemus rationi, quod credimus, auctoritati; auctoritas autem hæc Diuina est. Sic Apostolus: Notum vobis facio

Tertium fidei Beneficium.

Lib. de vtilita. credē di c. 11.

Galat. 1.

facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neq; enim ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Iesu Chri-
1. Cor. 2. sti. Propterea vocat idem fidem Dei sapientiam.

Fructus tertij beneficij fidei. Primus. Hoc porrò beneficium est magnorum fructuum seminarium. Primò enim hinc existit magna animi submissio erga Deum, magna itē simplicitas in habenda fide ijs omnibus quæ diuinitus nobis credenda proponuntur. Laudat Apostolus Thessalonicenses, quia (scribit illis), cum accepissetis à nobis Verbum auditus Dei, accepistis illud, non vt verbum hominum, sed vt verè
1. Thes. 2. Secūdus. est Verbum Dei. Deinde ex eadem submissione nascitur robur mentis aduersus naturalem hominis curiositatem; ut quid enim inquiramus, cur ita credimus, aut rei quæ creditur, quæ sit ratio, si ita dixit non Pythagoras, aut alius quispiam sapiens huius seculi, sed ipse Dominus, ipsissima Veritas? Hoc quippe est illud apud
1. Cor. 1. Apostolum; Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. quod enim Deus dicit, superat omnem humanam sapientiam, vincit omnem rationis humanæ vim. Ob
Li. de præscriptionibus. quam causam scripsit Tertullianus. Nobis curiositate opus non est post Christum Iesum, nec inquisitione post Euangelium. Cum credimus, nihil desideramus vltra credere, hoc enim prius credimus, non esse quod vltra credere debeamus. Et paulo post: Cedat curiositas fidei, cedat gloria (humanæ scilicet sapientiæ ac ra-
Tertius. tionis) saluti. Ad hæc humilitas hæc & simplicitas auget in credentis animo fidem & intelligētiam: nam scriptū
Isa. 7. Secūdum est: Nisi credideritis non intelligetis. Et vicissim hæc

ipsa

ipsa fides humilitate adultior facta, adauget humilitatem. Quo plus inquit S. Basilius, in fide proficimus, eo magis nostram cognoscimus ignorantiam. Sed hoc beneficio inprimis se homo obligatum putet Deo, ut illum sicuti cognoscit, sic cognoscat quotidie magis, cognitum colat ex animo, illiq; quanta maxima potest religione, pietate, atq; constantia perpetuò seruiat; Deus enim qui Deus est, quia bonorum nostrorum non indiget, qui perdit nihil etiam si mundus vniuersus perditus scelere & Dei ignoratione ruat, præ inexplicabili & infinita sua bonitate, sicut quasi amantissimus Patr, ehominem ad imaginem suam procreauit; sic se illi ducem & magistrum præbuit ad se, uoluntatem suam, uiamq; ad æternam felicitatem perdiscendam. Hac Dei tanta dignatione quid admirabilius, quid quod hominem Deo deuinciat magis? Propter nostram fidem ait S. Ambrosius aperto Cælo Spiritus ad Christum, Pater ad Filium, Vox descendit ad Verbum. Ipso Deo inquit S. Augustinus, mentem intrinsecus nostram firmante, atque illuminante. Sed quid Patres quærimus? ipsemet in Psalmo sic de se loquitur: Lingua mea calamus scribę, velociter scribētis. In momēto. n. fidē mēti instillat, & in eā tāquā in tabula Diuinorū mysteriorū arcana sua ipse manu describit, suaq; luce collustrat, ad illuminationē (ut ait Apostolus) scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu. Hæc Lux est, quæ in Mundum venit, quæ maximis insciti æ nostræ tenebris depulsis, hominem cęli ciuibus similem fecit, Deo proximum, quia discipulum. Est ait Dominus scriptum in Prophetis; Erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.

Septuaginta interp. vbi vulgata habet non permanebitis. Orone de vera fide. Quartus.

Ser. 21.

Lib. contra Epist. fundamē. cap. 14. Psal. 44.

2. Cor. 4.

Isa. 14.

Io. 6.

O

Ad Scapulam. me. Meritò ergo Tertullianus, Magistrum neminem habemus nisi solum Deum. Hac se oblectet disciplina Christianus, in hoc Diuino fidei Gymnasio se diu noctuq; exerceat, & erit sine dubio tanquam lignum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tẽpore suo. Et hæc sint quattuor tertij huius beneficij emolumenta.

Psal. 1.

Maximam esse auctoritatem Dei, Deumq; vera & certa dicere, nemo sanæ mentis dubitat. Sed ne addubitari vnquam posset, Deum non esse illum, qui fidem largitur, & per fidem mentem hominis illustrat, Quartum beneficium contulit homini Deus, fidelissimum scilicet ac firmissimum interpretem consilij sui, Ecclesiam Catholicam locupletatam Sacris libris, Traditionibus Apostolorum, Decretis Summorum Pontificum ac Conciliorum, cui prefecit primum & summum caput in terris, Vicarium suum. Primò Petrum, & deinceps successores Petri Summos Romanos Pontifices, quibus, & toti Ecclesiæ pollicitus est Christus ipse, se futurum cum illis usq; ad consumationem seculi, nec vnquam abfuturum Spiritum sanctum suum, qui eos doceret omnem veritatem. Hæc igitur Ecclesia in Christi fundamento fundata & nixa, nec errat, nec errare potest, quia nec fallitur, nec falli aut fallere potest, quia ea regit Deus. Hæc est quæ nobis Diuinam auctoritatem proponit, explicat, & ut ita dicam fide pro Deo iubet. Celebris illa uox & S. Augustino digna: Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moueret auctoritas, Ecclesiæ inquam, in qua à sũmo eius capite Christi Vicario ea deriuatur auctoritas, sicut vnguentum

Quartum fidei beneficium.

Matth. vlt.

Lib. contra Epist. fundam. cap. 5.

quod

quod descẽdit in barbam Aaron, hoc est in alios Pastores & Doctores, adusq; oram vltimam vestimenti, quæ reliqua sunt omnia membra Catholicæ Ecclesię. Ne lõgum faciam quæ hinc oriuntur spirituales vtilitates, ac nostra veluti debita sic breuiter numero. Prima est, Obedientia erga Ecclesiam. Nam si Ecclesiam inquit Dominus non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Secunda est, Reuerentia & amor; quam enim tam topere dilexit Christus, ut se pro ea tradiderit, ac sanguinem suum fuderit, eam sine dubio à nobis & amari & coli vult. Tertia est, studium eam amplificandi; quod quidem Christianis omnibus inesse debet, ijs tamen præcipuè, qui alijs ex legibus præsunt, & Ecclesiam pro munere administrant, etiam si magna sint obeunda pericula, graues ferendi labores, uita ipsa pro Ecclesię libertate, & gloria, pro animarum salute sit in apertum discrimen adducẽda. Adimpleo ea quæ desunt (ait Apostolus) passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Et Dominus: Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et ego aiebat S. Thomas Cantuariensis; & quid simile ante ipsum S. Ambrosius, pro Ecclesia Dei mori paratus sum.

Fructus Quarti fidei beneficij.
Prima vtilitas.
Matt. 18.
Secunda.
Tertia.
Col. 1.
Io. 10.
In Vita. Lib. 5. ep. 32. oratione in Auxentium.

Quarta in ijs quæ ad fidem moresq; spectant, Ecclesiæ eiusque capitis iudicio omninò stare, potius quàm suo, aut cuiusquam alterius uel alioquin sapientissimi hominis, aut etiam Academiæ, sectæue cuiuscunq;, vt sapiens Architectus (ait Apostolus) fundamentum posui. & S. Augustinus scribit ad ędificandum Cornelium Centurionem missum fuisse Architectum Apostolum Petrum nimirum, vt hinc etiam intelligamus, quem-

Quarta.
1. Cor 3.
Lib. de Prædest. Sanctorũ. cap 7.

admodum non ſolum baiuli & operarij, ſed nec etiam his peritiores decempedæ ac fabri, in ijs quæ ad operis ſtructuram dirigendam, & perficiendam pertinent, aduerſus architecti voluntatem & ſenſum ne hiſcere quidem audent: ſic Chriſtianis hominibus etiam doctis & prudentibus, in Chriſti Vicarij ac Eccleſiæ decretis, ſententijs, ſenſibus, planè omninò, & cõſtanter aquieſcendum. Sed non poteſt hoc loco prætermitti ſine culpa debitum Quintum, quod Eccleſiæ debemus pro ſua virili parte quiſque in ea vocatione, in qua in Domino vocatus eſt. Id porro eſt, ita vnumquenq; vitę ſuę rationes inſtituere, ita piè ſanctèq; viuere, vt ſanctæ vitę moribus & exemplis maximè verò Chriſtianæ perfectionis ſtudio, ij qui Chriſtiani iam ſunt, ad proficiendum in dies magis concitentur, & qui nondum ſunt, allician tur, vt ſint; iſq; ſenſus eſt S. Auguſtini, quem ille ſic explicat, facta ſunt igitur miracula (ad auctoritatem Eccleſiæ) opportuniſſimè, ut his multitudine credentium cõgregata, atq; propagata, in ipſos mores vtilis conuerteretur auctoritas. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his praua ſunt, quod ferè ſuperantibus libidinibus euenit, improbare citius, & deteſtari, quam deſerere aut mutare poſſimus. Numerat deinde S. Doctor ſex morum Genera ac exempla adeo ſingularia, & illuſtria, ut vnũquodq; inſtar ingentis miraculi immò multorum prodigiorum eſſe poſſe uideatur, habereq; vnumquodque eorum ſi rectè perpendatur ad animas conuertendas momentum maius, quàm multa ſimul miracula. Primum, Parum ne ait, conſultum rebus humanis arbitraris,

Quintum

Lib. de vtil. credendi, cap. 16. & 17.

Primum.

ris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus mariũ, fœminarumq; in tam multis diuersisq; gentibus & credit, & prædicat? Secundum, Quod continentia vsq; ad tenuissimum uictum panis & aquæ, & non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetua ieiunia. Tertium, Quod castitas vsq; ad coniugij proliſq; contemptum. Quartum, Quod patientia usq; ad cruces flammasq; neglectas. Quintum, Quod liberalitas vsq; ad patrimonia distributa pauperibus. Sextum, Quod denique totius huius mundi aspernatio vsq; ad desiderium mortis intenditur. Pauci (concludit S. Augustinus) hoc faciunt, pauciores bene prudenterq; faciunt, sed populi probant, populi audiunt, populi fauent. Diligunt postremo populi. Populi suam imbecillitatem quod ista non possunt, nec sine prouectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Sed pergendum iam est ad reliqua quæ supersunt fidei beneficia, eorumque emolumenta spiritus commemoranda.

Secundũ.

Tertium.

Quartum.

Quintũ.

Sextum.

Quintum, & sextum fidei beneficium, & ex eis actiones vtilitatesue. Cap. XII.

QVanquam quæ posuimus hactenus fidei beneficia, magna & insignia sunt, plenè tamen hominem Deo minimè subiectum reddunt, nisi Deus nouo cumulo adaugens

Quintum fidei beneficium.

gens superiora beneficia, moueat præterea eius voluntatem, vt ea sic concitata, mentem hominis ad assentiẽdũ rebus ijs, quæ fide proponuntur, efficaciter flectat. Cũ enim cognitio quam menti fidei habitus impertit, clara non sit, quamuis certissima, obscura potius, & in ænigmate (vt loquitur S. Paulus) non cogitur mẽs fidei articulis eum assensum præbere, quem dat rebus per se notis & manifestis; ideo necessaria est exrerna vis aliqua, qua ad consentiendum fidei rebus, omninò cogatur. Hæc vis est hominis voluntas à Deo excitata, & quasi manu capta. Quo loco consideranda est diligenter ad spiritualem profectum admiranda Dei prouidentia & charitas, qua regit hominem, ad seq;, hoc est, ad summum hominis bonũ, gradatim, & suauissimè deducit. Primò enim, quia mens ad credendum nõ inducitur nisi adiuuetur, & impellatur à voluntate, informat Deus per seipsum uoluntatem habitu certo in hunc finem in eam immisso, qui vel adhuc caret nomine, quod Dei proprium sit beneficia sua in nobis collocare potius quàm nominare, ac venditare nobis: aut est uirtus Charitatis, vt interdum affirmat S. Thomas, intellige in viro iusto, non autem in fideli peccatore; vel est alia quædam virtus quæ studiositas dicitur, quæ intellectum impellit, vt studiositas moralis ad ea cognoscenda, quæ nosse expedit secundum rectam rationem, ut infusa studiositas ad ea intelligenda, aut credenda, quę pertinent ad hominis finem supernaturalem. Quæ sententia est P. Valentiæ. Deinde cùm credendi actus ab intellectu eliciendus est, idem optimus adiutor Deus, præsto est nouo & supernaturali auxilio suo, quo excitata uo-

1. Cor. 13.

Tomo 3. d. 1. q. 1. p. 4.

luntas

luntas intellectum afficit, mouetq; ad actum. Hæc in quodam Concilio à Patribus appellatur inſpiratio Spiritus ſancti, corrigens voluntatem ab infidelitate ad fidem. Sed ad hæc omnia permira in nos dignatio Dei, qui cum auctoritatis ſuæ pondere obruere & obtunde re hominem iure ſuo poſſet, ac ſola ſuæ uoluntatis ſignificatione, ſolo illo verbo (Ipſe dixit) totum huma num genus fidei legibus obligare, maluit ſe humano ca ptui accommodare, humanis ſed veris ratiocinationibus eo hominem perducere, ut ſi quę fides tradit, non perſpicuè ratio hominis intueatur, perſpicuè tamen in telligat, ac profiteatur, fatendum eſſe, ea, quæ fide traduntur, maximè eſſe conſentanea rationi, ac ſic Chriſtianam fidem omni leuitate ac temeritate carere, inſtructam autem eſſe recondita quadam Diuinaq; prudentia. Eæ porro ratiocinationes à Theologis plures recenſentur, ex varijs, ſed certiſſimis, teſtatiſſimis, gra uiſſimisque principijs certa ratione deductę. Sat eſt hoc loco hæc ipſa principia breuiſſimè percurrere. Hæc ſunt: Conditio eorum qui fidem olim receperunt, Con ſtantia Martyrum, Mirifica ac repentina mutatio vitæ ac morum, eorum qui fidei myſterijs initiabantur, Ratio fidei propagandę per Apoſtolos indoctos, inermes, ignobiles, Miracula, Teſtimonia aduerſariorum, aut nõ Chriſtianorum, Prædictio fidei apud Prophetas, Clades oppugnantium fidem, Sanctitas Chriſtianæ doctrinæ, Ordo, Vis in afficiendis ac liberandis animis quacunq; ægritudine laborantibus, Antiquitas Sacrorum librorum, Chriſti perſona tanto ante tempore adumbrata, explicatè prænunciata, expreſſa, Efficacitas ſermonũ

Concil. Arauſicano Can. 5

Chriſti,

Christi, Christi præstantia, & dignitas. Hæc sic afficiunt uel audita uel cogitata, vt (quod aliud etiam veritatis fidei argumentum est) animum hominis (vt S. Dionysius scripsit) quasi extra se rapiant. Et ecce tibi quam multiplex in vno beneficio beneficium.

Lib. de Diuinis nominib. c. 7

Fructus quinti fidei beneficij.

Cui sanè par animæ vtilitas, ideſt magna & multa respondebit, si nos ij simus, qui ad eam beneficij recordationem referre didicerimus.

Primus.

Quid enim habitus ille aut carens nomine, aut certè studiositas & charitas, à nobis exigit aliud, quàm, ut quando eo formatur uoluntas, ut mentem applicet ad res Diuinas fide cognoscendas, ad hoc ipsum nos animo afficiamur, in ijs vel cogitandis, vel ediscendis versemur continenter, unica sit voluptas libros Sacros voluere, noctu diuq; se qui vestigia antiquissimorũ ac sanctissimorum quoruncunq; Patrũ ac Theologorum, qui eos semper in manibus cum haberent, verè dicere poterant quod S. Augustinus scripsit; In omni copia Sanctarum Scripturarum, exercemur obscuris, pascimur apertis. Hoc indicium est Diuinæ prædestinationis, & Dei amoris in nos: nam, qui ex Deo est, verba Dei audit. Et, qui audiuit, & didicit, venit ad me. Hoc animum recreat, erigitq; à rebus terrenis ad Deum; iccirco enim solido cibo comparatur ab Apostolo. Hoc roborat aduersus tentationes; est enim Verbum Dei gladius spiritus, quo is carnem edomat, sternit diabolum, iugulat vitia. Quare, qui huiusmodi cogitationibus ac studijs occupantur, & sunt omni uirtutum genere cõspicui, & alios uerbis ad uirtutes inflammant, non enim dicunt Apostoli, non possumus, quæ audiuimus,

De verbis Domini serm. 11.

Io. 7.

Io. 6.

Heb. 5.

Eph. 6.

Act 4.

& ui-

& vidimus, non loqui. Illa autem Voluntati Diuinitus iniecta vis ac motio, qua Deus eam suscitat, & sustentat, vt intellectum vrgeat ad credendum, nonne exigit prę ter magnam animi gratitudinẽ, promptitudinem etiã singularem ad ea omnia libenter complectenda quæ Deus vult, ac iubet? sanè illa motio principium est omnium bonorum, quibus deinde Deus adeo cumulatè animam hominis complere solet, principium inquam nostræ Vocationis ad Christum, initium restituendi ac restaurandi perditam animam, primus Dei in animam ingressus, quo deinceps per fidem in captiuitatem reda 2. Cor. 10.
cto intellectu in obsequium Christi, per alias etiam virtutes in eius possessionem planè ueniat; idq; gratuito, nullisq; nostris antecedentibus meritis. Hęc tantæ liberalitatis promptitudo aduersus hominẽ, quo alio propius compensari potest, quàm prompta voluntate, paratissimaq; ad omnia quæ Deus iusserit, dixerit, insinuauerit, fortiter alacriterq; obeunda? quàm studiosè excipiendo quæ ille intus in animo dictat, docet, monet? libentissimè sequendo quocunq; ducit, ac trahit? Siquidem (quod nouum est Dei beneficium, ut nostram nobis integram libertatem seruet) ita mouet Deus hominis uoluntatem, vt reniti possit homo Deo; quod tam multis olim accidit Christo & Apostolis prędicantibus, & infinita miracula patrantibus, ac vtinam non etiam hoc tempore, qui reipsa Deo vocanti resistunt, aut nihil respondendum putant; scriptum est enim: Non om Rom. 10.
nes obediunt Euangelio. Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? & ibidem: Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non

Fructus quinti fidei beneficij. Secũdus.

credentem,& contradicentem mihi. Cum ergo nos nō in horum numero hactenus simus,nec Dei gratia vocationem eius simus aspernati, diligentissimè curandum est,ne nostro vitio nos illis coęquemus;quod facimus, cum Deum intus loquentem non audimus,aut si audimus,non ascultamus,nec nos illi ita molles flexibilesq; paramus,ut quo uelit,intorqueat;quod crimen in Scripturis durities & grauitas Cordis nominatur. & (quod grauius est)resistere Spiritui Sancto. Et, ne arbitremur hoc peccatum ab illis committi solum,qui grauiter peccant, peccata etiam venialia, quales sunt plerunq; huiusmodi repugnantiæ in spiritualibus viris, sunt illa auctore S. Basilio & alijs, quæ ab Apostolo dicuntur contristare Spiritum Sanctum.

Psal. 4. Act. 7. Reg. bre. c. 24. Ephes 4.

Tertius. At quid petit ab homine infinita & inexplicabilis dignatio Diuinæ bonitatis ac sapientiæ? quæ ita se nobis attemperauit,vt quanquam ea,quæ credimus,non perspicuè nobis cernenda proponat, credimus enim quæ non videmus: ijs tamen nos ratiocinationibus instruit, ut perspicuè intelligamus, nos nec imprudenter credere,& verissimas certissimasq; res fide cōprehendere. Illud certè saltem, ut (si dicere fas est) cum Deo humanitate certemus, nec nos ab eo officio vinci sinamus. Sed quando ille ita in nos benignus est, adeoq; se nobis accommodat,ut quo magis nobis satisfactum sit,rationes etiam tam multas, tam præclaras proferat, quibus nos ipsos, nostramq; fidem consolemur, eas seponamus, ac recondamus in aliorum gratiam & beneficium, cum est opus, nos toti simus, toti acquiescamus in vnius Dei Auctoritatis pondere,& credere velimus,

non

non alia ratione magis, quàm quia DEVS DICIT, & Deum dicere testatur Ecclesia. Sic se in fide gesserũt aliàs Viri perfecti; sic etiam nunc, qui eorum in virtutis studio sectantur uestigia, laudant rationes, ijs utuntur ad fidei probabilitatem (cum res exigit) persuadendam alijs, ipsi vno Dei nutu contenti, nil quærunt, nil sapiunt amplius. Et laudo fidem inquit Tertullianus, quę ante credit obseruandum, quàm didicit. Quod licet ita sit, non ideo non studendum intelligentiæ Sacrarum Scripturarum, rerumq; quæ fidei doctrina continentur, sed firmiter credendum prius, ut post intelligamus. Nec illa dicuntur, ut scientia contemnatur, sed vt ordo seruetur nec scientia præcedat, sed sequatur Fidem. S. Augustinus: Intellige ait, vt credas Verbum meum, crede, ut intelligas verbum Dei. Et hi sint fructus Quinti fidei beneficij.

Lib. de Corona militis.

De verbis Apostoli serm. 29.

Sextum fidei beneficium sunt eius innumeri & præclari effectus, propter quos fides à S. Chrysostomo dicitur bonorum mater, medicina salutis, à S. Prospero, bonæ voluntatis, & iustæ actionis genitrix, & S. Ambrosio nihil esse in homine pretiosius, à S. Cyrillo oculus illuminans conscientiam, intelligentiam faciens, scutũ incorporeum aduersus hostem inuisibilem. quod accepit ex Apostolo, signaculum iustitię & adoptionis. Quę causa est cur Apostolus illi tribuat initium iustificationis, cum ait: Arbitramur iustificari hominem per fidẽ. Immò Hebræis scribens, quam plurimis ac luculentissimis exemplis confirmat vim & efficacitatem fidei in rebus omnibus ab antiquis Patribus sanctè & præclarè gestis; quod eorum scilicet radix & mater extiterit, ad-

Sextum Fidei beneficium.

Hom. 32. in Ioan.

Lib. 1. de vocatione gẽtiũ. cap. 8.

Serm. 8. in Psal. 118.

Catechesi 5.

Rom. 4.

Rom. 3.

Hebr. 11.

Abac. 2. ducitq; illud ex Abacuc: Iustus ex fide viuit; ut intelligamus ob hanc eandem rationem spiritualem vitam vniuersam censeri posse effectum fidei.

Ad certum ordinem reuocantur effectus fidei duplici ratione. Prima est S. Augustini, qui sic numerat. Fides peccatores homines saluat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecumenos baptizat, fideles instituit, pœnitentes reparat, iustos augmentat, Martyres coronat, Virgines, Viduas, ac Coniuges casto pudore conseruat, Clericos ordinat, Sacerdotes consecrat, Regnis cælestibus præparat, in æterna hæreditate cum Angelis sanctis cõmunicat. Hæc S. Augustinus. Quæ non ideo fidei tribuuntur, quod hæc sola fides aut præstet aut efficiat, sed quoniam pleraque omnia inchoat fides, comitatur, imperat, nec ulla ex his actionibus sine aliqua fidei actione exercetur, quod post, cum de occasione fidei agemus, ostendendum est.

Serm. 10. de verbis Apostoli.

2. 2. q. 7. ar. 1. & 2. Altera ratio est S. Thomę. Hic fidei duos propriè effectus adscribit. Timorem, & Puritatem Cordis. Timorem inquam nõ tam filiorum, quam seruorum, qui supplicij metu abstrahuntur à malis. Hunc incutit fides propositis exemplis Diuinæ seueritatis aduersus prauos Angelos, Hominem Dei mandatum non curantẽ in terrestri Paradiso. Aquarum generalem illuuionem, totiusq; mundi naufragium, cum sexcentis alijs similibus documentis, quæ in Scripturis habentur, in primis autem excitat hunc timorem fides, adducendo peccatores in cogitationes Mortis, Iudicij, & Inferni. Cordis autem puritas tribuitur fidei, quia primum dicitur à S. Act. 15. Petro: Fide purificans Corda eorum. Deinde, quia (ut ait

S. Tho-

S. Thomas) creatura rationalis dignior est omnibus temporalibus & corporalibus creaturis, & ideo impura redditur, ex hoc, quod temporalibus se subijcit per amorem, à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id, quod est suprà se, scilicet in Deum: in quo quidem motu, primum principium est fides, & ideo primum principium purificationis Cordis, est fides, qua purificatur impuritas erroris, quæ si, perficiatur per charitatem formatam, perfectam purificationem causat. Hæc S. Thomas. 2. 2. q. 7. art. 2.

Quo loco illud non videtur omittendum, in habitu fidei in Christum, siue fidei Christianæ, esse ueluti proprietatem, propensionem quandam, qua fertur suo nutu ac pondere in habitum charitatis, eam appetens vt imperfectum, suam perfectionem, formam, pulchritudinem; id quod ex antedictis S. Thomæ Verbis, & ex ijs quæ scribit de Charitate vt est forma fidei, facilè colligitur. Certè S. Augustini hic est sensus, cum scribit, fidem Christi, esse fidem gratiæ, & violentia fidei impetrari Spiritum Sanctum, & Spiritum Charitatis. Ex quibus duo colligũtur; Primum est, Fidem non solum esse principium puritatis Cordis, sed puritatem iure suo petere quodammodo, sicut & charitatem. Alterum est, vim fidei facere peccatores, & quasi violenter eam opprimere, cum vt Apostolus loquitur, Veritatem Dei in iniustitia detinent; neq; sicuti cognoscunt Deum, ita glorificant bonis vitæ actionibus. Et hæc dicta sint de sexto Fidei beneficio, eiusq; vtilitatibus, atque adeo de Internis fidei Actionibus, quę ex beneficijs hisce sex hactenus 2. 2. q. 4. art. 3. Lib. de fide & operib. c. 16. & 17. Rom. 1.

ctenus commemoratis quasi fructus existunt. Nunc de externis eiusdem fidei Actionibus dicendum.

De Fidei Externis Actionibus.

De confessione fidei, & de fidei doctrina tradenda rudioribus hominibus & pueris. Caput XIII.

EXternæ fidei Actiones numerantur hæ. Fidem confiteri, tradere doctrinam fidei.

De confessione fidei celebris est Apostoli sententia: Corde creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem. & Dauid: Credidi, propter quod locutus sum. S. Augustinus: A præsenti seculo maligno salui fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, ore etiam profiteamur fidem quam corde gestamus. S. Thomas: Confessio Fidei est præceptum adfirmatiuum, & obligat pro loco & tempore, & secundum alias circunstãtias, secundum quas oportet actum humanum limitari ad hoc, quod sit actus Virtutis. Confiteri igitur fidem, est necessariũ, quando per dimissionem huius confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam vtilitas proximis impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, uel quod non haberet fidem; vel quod fides non esset uera; uel alij per eius taciturnitatẽ auerterentur à fide. In huiusmodi casibus confessio fidei est de necessitate salutis. Hæc S. Thomas. Hoc præceptum habetur in Euangelio: Omnis qui me confessus fuerit

Rom. 10. Psal. 115. Lib. de fide & symbolo c. 1. 2. 2. q. 3. art. 2. Matth. 10.

fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. Hic diutius immorari, ad eum pertinet, qui de conscientiæ officijs disputat. Nostrum est illud obseruare, vt sancti quique præsertim Martyres cum res postulauit, huic Domini præcepto prompto pleneque paruerunt, sic multi ex illis perfectionis consilia secuti, sese Tyrannis extra necessitatis, occasiones prodiderunt, considerate tamen, sine ulla temeritatis nota, & ut probauit euentus, Domino vires suppeditante, & ad facinus præclarum incitante: & cum fuga, muneribus, officijs, armis, saluti suæ facilè & sine ullius scandali scelere ac suspicione consulere, seque è uitæ discrimine nullo negotio eripere possent, maluerunt tamen perfectionis & Christi amore, vinciri se, torqueri, cruciari, ac si licuisset, mille mortes oppetere, omnia denique damna corporis ferre silentio, quàm vel minimum verbum defensionis causa interponere; quod feciſſe Thebæorũ copiosissimam legionem Maximiani & Diocletiani imperio infinibus Sedunorum Duce Mauritio, indicauit S. Eucherius, & expressit Gerson. Idque à nobis de alijs propè innumerabilibus Martyribus affirmari potest, qui exemplo Christi obmutescentes coram tondẽtibus & sectoribus, sicut oues ad occisionem duci uoluerunt, præter quàm, quod cum aduerterẽt, silentium ipsum martyrio impedimento esse, tunc enim non solum iussi non tacebant, sed Diuini amoris ardore, & martyrij desiderio inflammati, libertate dicẽdi acribus etiam reprehensionibus adhibitis, aduersarios ad sui per-

Hom. de SS. Thebæis.

In Ep. ad quendam Cartusianum.

perniciem concitabant, Sed de Martyrio suo loco dicemus. De fidei confessione hæc nunc sufficiant.

Altera actio externa fidei est, tradere fidē alijs. Hęc non tam videtur propria fidei actio, quàm aliarum Virtutum, vt Iustitiæ, in ijs, qui curam habent animarum; aut Charitatis, in ijs qui id sponte faciunt. At (ut dixi suprà) hic res non tam Theologicè, quàm appositè ad usum explicantur: & certum est, explicationem fidei cum tractatione de fide sine iniuria cuiusque posse cōiungi. Nec ab re nostra est, quod vir ille doctissimus de omnibus Virtutibus moralibus dixit, id nos Virtutibus Theologicis accommodare. In omni Virtute inquit, inest cura quædam quasi foras spectans aliosque appetens atque complectens. Quod deinceps etiam cum de alijs Virtutibus agetur, præstabitur à nobis, & ne quis miretur, monemus hoc loco. Fides ergo foras etiam spectat, nempe, lux est, vim suam longè lateque diffundens. Et S. Thomas auctor est, donum scientiæ quod inter gratis data ponitur ab Apostolo, esse circa credenda, per quod homo non solum sciat quid credi debeat, sed etiam scit fidem manifestare, & alios ad credendum inducere, & contradictores conuincere. Et quanquam non omnes fideles fide Christi imbuti, ad alios instituendos sint idonei; multi tamen sunt, qui id possunt, & verò etiam uolunt; & si nolint, inducendi sūt vt uelint. Sunt horū duo genera; Aliqui enim huic muneri operam dare debent ex officij sui & uocationis legibus, ut Pastores, & Religiosi, qui saluti aliorum vacant. His dicitur, ut possit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Alij sunt, qui ad

Cicero li. 3. de finib.

2. 2. q. 9. art. 1.

1. Cor. 12.

Ad Tit. 1.

id

id propriè non sunt vocati, idonei tñ sunt quippe, quibus fides maior insit quàm in idiotis & vulgaribus quibusq; hominibus; siquidē quibusdā adauget fidē Deus, quales illi erāt quos laudat Apostolus supercrescentis fidei; certè vt ampliore illa luce non seipsos solum, sed alios etiam erudiant; utrisq; dicitur illud: Parati semper satisfactionem reddere omni poscenti vos de ea, quæ in vobis est fide. Quanquam uerò fidei doctrina concionibus traditur populo; hic tamen de concione nobis sermo non est, sed de alia humiliore institutionis ratione, qua fide imbuuntur rudes & pueri, non tam domi, quod fieri etiam debet à parētibus & maioribus, quàm foris, uel in plateis, compitis, & agris, vel in Ecclesia, tunc cum in usum deducitur illud planè Euangelicum dictum, pauperes Euangelizantur. Concione vberiora ac solidiora cibaria præbentur auditoribus, vixq; in ea de elementis sermonis Dei fieri potest mentio; hac verò plebeia institutione ipsa rudimenta tractātur, & pueris ac rudibus ab institutore quasi à nutrice cibus durior si quis est, molitur prius, & extenuatur, sicq; mansus in ora eorum infertur, quod Apostolo lac est Et propterea hæc ipsa Institutio à S. Cyrillo paruulorum in Christo lactea introductio nominatur.

2. Cor. 10. 2. Thes. 1.
1. Petri 1.
Matth. 11.
1. Cor. 3.
Præfat. in Catechefes.

Porrò humilioris huius Institutionis duo sunt genera. Vnum est altè petito principio inchoare à primi parentis lapsu, totiusq; humani generis inde consecuta calamitate, & exilio. Deinde cōtinuata serie Veteris Testamēti, explicare qua ratione Deus quamuis hominum scelera seueriſſimis supplicijs iustissimè vindicaret, cum iratus esset, misericordiæ tamen recordatus,

significare initio cœperit, se nostris malis remedium allaturum; ac sæpius eadem repetita pollicitatione per Pa-
Rom. 1. tres, & Prophetas, tandem ubi venit plenitudo temporis, miserit filium suum qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem; Verbum inquam Diuinum carnem factum, redemptorem humani generis, propitiatorem pro peccatis nostris, qui hominem ab exilio in cælestem patriam per crucis lignum & mortem suis humeris reportaret, sicq; Euãgelizare auditoribus Iesum, hoc est eius ortum ex Virgine, Vitam, prædicationem, miracula, instituta, leges, consilia, passionem, mortem, resurrectionem, reliquumq; eius triumphum. Descendere ad declaranda Ecclesiæ primordia, propagationem per Apostolos, & alios, obita pro Christo certamina, reportatas victorias, ingressum hominis in Ecclesiam, & in adoptionem filiorum Dei per Baptismum, per reliqua Sacramenta progressum; ac demum, doctrinam fidei ad salutem necessariam, vniuersamq; Christianã disciplinam, clarè, & explicatè tradere. Hanc sequebantur antiqui, Patres in catechizãdis hominibus, qui adulti ad
Libro de Catechizandis rudibus. fidem accederent. Sic scribit S. Augustinus, qui huius ipsius institutionis præclarum paradigma proponit. Idẽ factitasse Barlaam in pulcherrimo illo catechismo quo Iosaphat regium adolescentem Christiana doctrina in-
Hist. de Barlaam, & Iosaph. c. 7. 8. 9. & 19. format, auctor est S. Damascenus. Hoc ipsum cum eiusdem generis hominibus par est etiam hoc tempore fieri, & re ipsa fit in utraq; India & Iaponia à nostris Catechistis.

Secundum catechizandi genus est simplicius, & breuius, plenum tamen & dilucidum ad rudiorum homi-

num

num ac puerorum captum accommodatum. Hoc qui vtuntur, Doctrinæ Christianæ capita ordine & magna breuitate comprehensa, Catechismi libello ediscenda suis auditoribus primum dant; post, dum eadem memoriter recitant, humaniter attendunt, eos post inter se committunt, ac mutuis interrogationibus & responsionibus concertantes, excitant, laudant diligētes, prēmiolis donant, & quod caput est, singula ita particulatim declarant & sensim, itaq; mansa in aures ingerunt, vt capiant semper aliquid, retineantq; auditores etiam maximè hebetes ac rudes, semperq; seipsis minus ignari domum abeant. Hæc actio nobilissima est, quamuis specie vilis. Id nunc breuiter explico.

De Nobilitate Actionis tradendi Christianam doctrinam, & de difficultatibus incidentibus superandis. Cap. XIIII.

DOctrinam Christi tradere populo non è superiore loco concionatorum more, sed familiariter & ad magnam vtilitatem audiētium, ad speciem nullam Doctoris, opus sine dubio Dei est; tum, quia hoc est opus Dei ut in illū credatis, vt ait Dominus; ad fidei autem intelligentiā & fructum pertinet hæc institutio; tum, quoniam actio est magnæ humilitatis illius qui Christi amore ad eam se demittit, & multæ charitatis erga proximum, cui ad salutem necessaria est fides in Deum & Dominum nostrum explicata; nec plerunq; aliam huiusce explicationis occasionem vllam habere solet. Atq; ut nihil dica- Ioan. 6.

mus de Prophetis, qui palam & ubiq; ad Deum eiusque mandata cognoscenda homines inuitabant, quiq; scholas etiam institutionis suæ aperuerunt multas illis,
Lib. 4. Reg. 2. quos in Sacris historijs Heliſæi præsertim & Heliętem poribus legimus appellari filios Prophetarum, Christus
Psal. 2. ipse ad quid se dicit constitutum à patre super Sion mõtem sanctum eius, nisi ad prædicandum præceptum
Prou. 1. eius, & disciplinam? cuius sunt illa verba: Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam, nisi illius sapientiæ Diuinæ, quæ carnem induta, foris prædicat, in plateis dat uocem suam, in capite turbarum clamitat. Et quis accuratius plebeculam, ac idiotas quosq; conuocauit, erudiuit vbiq; locorum, in templo, in plateis, in portecibus, in vicis, in priuatis domibus, in montibus, in agris, & planis, in littore maris, in nauiculis? quis sæpius ac frequentius, quis maiore demissione, charitate, patientia, ita aut aliquando comprimeretur à turbis, quàm Christus Dominus factus homo? & is pauperes quàm charos habuit? paruulos an poterat maiore comitate & gratia excipere? Tanti magistri secuti sunt ue-
1. Cor. 3. stigia Apostoli, quorum vnus, (hoc itidem reliqui) Lac inquit potum dedi vobis, non escam, nõdum enim po-
1. Thes. 1. teratis. Omnia omnibus factus sum; tanquam si nutrix foueat filios suos; sine dubio docendo. Concionari Episcoporum est, & quidem proprium & præcipuum munus: at simul cathechizare, teste S. Augstino & S. Cyrillo Alexandrino, quorum etiam alter librum disciplinæ huius à se diligẽtissimè conscriptum inscribit de cathechizandis rudibus; alter Institutionem paruulorum edi

dit.

idit. Catecheſes extemporaneas appellat ſuos libros S. Cyrillus Hieroſolymitanus, in quibus explicandis ſedulò uerſabatur. Et extant multorum Patrum Græcorum & Latinorum explicationes apertæ, ſimplices, nullo ornatu, magna facilitate, nimirum, ut agnoſcas eſſe rudium & idiotarum catecheſes. Hoc ipſum præſtabant olim presbyteri & Diaconi, ut S. Auguſtinus idem affirmat. Nec ab eo ſubtraxiſſent ſe duo Eccleſiæ lumina S. Hieronymus, & S. Gregorius Papa, S. Hieronymus ſic ſcribit ad Lætam de ſeipſo. Ipſe, ſi Paulam miſeris, & magiſtrum me, & nutritium ſpondeo, geſtabo humeris, balbutientia ſenex uerba formabo, multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non Regem Macedonum, Babylonio periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam, regnis cæleſtibus offerendã. Epiſt. 7.

De Sancto autem Papa Gregorio narrat Ioannes Diaconus; Scholam cantorum conſtituit, quæ hactenus eiſdem inſtitutionibus in ſancta Romana Eccleſia modulatur, eiq; cum nonnullis prędijs duo habitacula ſcilicet alterũ ſub gradibus Baſilicæ Beati Petri Apoſtoli, alterũ verò ſub Lateranenſis Patriarchij domibus fabricauit: vbi vſq; hodie lectus eius, in quo recubans modulabatur, & flagellum ipſius, quo pueris minabatur, veneratione cum authentico Antiphonario reſeruatur. Lib. 2. Vitæ S. Gregorij c. 6

Hęc ille. Qui & poſt dixit: eundẽ omnis ætatis, ſexus & cõditionis cohortibus, quæ poſt illũ voluntariè ad ſtationes confluebant, tanquam ducem militiæ cæleſtis arma ſpiritualia Verbi Diuini ſuggerere ſolitum; quod extra concionem interdum fieri opportuit, propter anguſtias Eccleſiarũ, in quibus ſtationes habebantur. Idẽ Cap. 9.

præſti-

præstitum esse ab alijs posterioribus temporibus,& quidem grauissimis viris, qualis fuit Gerson Cancellarius, multi etiam nostri temporis Episcopi. nobiles viri, & matronæ,superfluum est hic commemorare. Religio nostra professione sollemni dedicat se,suosq; huic muneri;nulla ferè iam est in Italia Vrbs celebris, in quam Episcopi hanc disciplinam non induxerint;quod etiam in oppidis & vicis plerisque quibus paulo diligentiores Parochi præsunt,fructuosissimè fieri cernimus.

Prima difficultas. Sed incidũt interdum difficultates, quæ vsum Actionis huius impediunt, ac fructum minuunt; quas vt superet catechista magnoperè illi inuigilandum. Auditores enim nonnunquam partem aliquam Doctrinæ huius ediscunt,alias negligunt, nec pergunt, vt cęperant. Hi cogendi ab Episcopis, à parentibus, allicien di precibus,hortationibus, monendi in primis vt intelligant, se,si non absoluant,penè inchoasse frustra, & Doctrinę Christianæ partes ita connexas esse & colligatas,ut minimè ab sese distrahi possint. Ædificium quoddam esse intelligas Catechesim inquit S. Cyrillus, ac nisi ordine vinculis cõstringamus structuram,ne quid laxum & hians reperiatur,debile fiet ædificium:sed est operę pretium,lapidi lapidem apponi, & angulum angulo cõiungi, atq; superfluis abscissis, perfectas ædes efficere. Ad eundem modum adferimus tibi tanquam lapides cognitionis, audire oportet de Deo viuente, audire opus est de Christo, audire necesse est de resurrectione, & alia multa ex ordine dicẽda;si uel vnum ex his non perceperis,etiam si primorum & secundorum memineris, ædificator quidem benè edificat, tu verò debile ac fluxum

Catech. Prefatione.

xum habebis ædificium. Hæc ille.

Sed pergit auditor, at non afficitur; Omnia tunc inquit S. Augustinus, sermone tentanda sunt, quæ ad eũ excitandum, & tanquam de latebris eruendum possint valere: nam & timor nimius atque impediens declarationem iudicij eius, blanda exhortatione pellendus est, & insinuando fraternam societatem, uerecundia temperanda: & interrogatione quærendum, vtrum intelligat, & danda fiducia, ut si quid ei contradicendum uidetur, liberè proferat. Quærendum etiam de illo, utrũ hæc aliquando iam audierit, & fortassis ea tanquam nota, & peruulgata non moueant, & agendum pro eius responsione, ut aut planius & enodatius loquamur, aut opinionem contrariam refellamus, aut ea, quæ illi nota sunt, non explicemus latius, sed breuiter complicemus. Secunda Difficultas. De Catechizand. rud. c. 13.

Atqui nõ afficitur, quia hebes est auditor. S. Augusti nus. Quod si nimis tardus est, & ab omni tali suauitate absurdus & auersus, misericorditer sufferendus est, breuiterque decursis ceteris, ea que maximè necessaria sunt, de vnitate Catholica, de tentationibus, de Christiana cõuersatione propter futurum iudicium terribiliter inculcanda sunt, magisque pro illo ad Deum, quàm illi de Deo multa dicenda. Tertia Difficultas.

At est fatigatus audiendo. S. Augustinus: Renouare oportet eius animum, dicendo aliquid honesta hilaritate conditum, & aptum rei, quæ agitur, uel valde mirandum, & stupendum, vel etiam dolendum, atque plangendum, & magis de ipso, ut propria cura punctus euigilet: quod tamen non offendat eius verecundiam Quarta Difficultas.

aspe-

asperitate aliqua, sed potius familiaritate cõciliet. Hæc S. Augustinus. Et fortassis huiusmodi est illud quod S. Cyrillus adfert ad auditorem permouendum: Perseueres ait, etiam si lõgo sermone Catecheses producãtur; arma accipis contra aduersarias potestates, aduersus hæreticos, & Iudæos, & Samaritas, & Ethnicos, multos habes hostes, multa tela accipe; cum multis hasta concurris, opus est ergo discere quò transfigas.

Præfat. in Catecheses.

Quinta Difficultas.

Sed maior illa difficultas, cum tædet laboris Doctorem, cum qui aliàs magna animi alacritate humilem hanc & charitatis plenam functionem suscipiebat, nũc lentior est, & frigidior, siue diuturnitate, & paruo ut ipse putat fructu, siue alia aliqua tẽtatione ab officio hoc Christianissimo fastidio & satietate abalienatus. & huic malo adfert remedium S. Augustinus. Cogitemus inquit, quid nobis prærogatum sit ab illo, qui demonstrauit nobis exemplum, vt sequamur vestigia eius. Quantumuis enim differat articulata uox nostra ab intelligẽtiæ nostræ uiuacitate, longè differentior mortalitas carnis ab æqualitate Dei. Et tamen cum in eadem forma esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, &c. usque ad mortem crucis. Quam ob causam, nisi quia factus est infirmis infirmus, ut infirmos lucrifaceret? Audi eius imitatorem alibi etiam dicentem: Siue mente excedimus, Deo, siue sobrij sumus, uobis; Charitas enim Christi compellit nos, iudicantes hoc, quia unus pro omnibus mortuus est. Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc ergo factus est paruulus in medio eorum, tanquam nutrix foues filios suos.

Ib. c. 10.

2. Cor. 5.

Num

Num enim delectat nisi amor inuitet, mutilata & decurtata verba immurmurare? & tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeant. Et suauius est matri, minuta mansa inspuere paruulo filio, quam ipsam mandere, ac deuorare grandiora. Non ergo recedat de pectore etiam cogitatio gallinæ illius, quæ languidulis plumis teneros fœtus operit, & susurrantes pullos confracta uoce aduocat, cuius blandas alas refugientes superbi, præda fiunt alitibus: Si enim intellectus delectat in penetralibus syncerissimis, hoc etiam intelligere delectet, quomodo charitas, quanto officiosius descendit in infima, tanto robustius recurrit in intima per bonam conscientiam, nihil quærendo ab eis, ad quos descendit, præter eorum sempiternam salutem. Hæc S. Augustinus.

Deniq; res Christo est magnis precibus commendãda ipsius enim est & cogere plebem, puerosque ad audiendum, & sustentare Doctores, fastidioq; vtroſq; leuare. Extat dulcissimus Hymnus Clementis Alexandrini, qui huius exercitationis sicut & magister eius Origenes, & alij eiusdem Gymnasij alumni, principes fuere in Ægypti Ecclesijs; cuius est hoc initium.

Frænum pullorum indocilium,
Penna volucrum non errantium,
Verus clauus infantium,
Pastor agnorum regalium,
Tuos simplices
Pueros congrega
Ad sanctè laudandum,

Syncerè canendum,
Ore innoxio
Christum puerorum Ducem.

Ex quibus verbis intelligitur etiam, hunc doctissimum virum (quod & de Gerſone dicitur) ita ſeſe pueris inſinuaſſe, ac miſcuiſſe docendo, ac ſi vnus ex illis eſſet. Id quod S. Auguſtinus etiam perſuadet, ſcribit enim: Si vſitata & paruulis congruentia ſæpè repetere faſtidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, maternumq; amorem, & copulatis cordi eorum, etiam nobis noua videbuntur; tantum enim valet animi compatientis affectus, vt cum illi afficiuntur nobis loquentibus, & nos illis diſcentibus, habitemus in inuicem; atque ita & illi quæ audiunt, quaſi loquanturin nobis, & nos in illis diſcamus quodammodo quę docemus. Hæc & plura multo Sanctus Pater.

Ibid.c.12.

Occaſiones exercendæ fidei. Cap. XV.

Occaſiones fidei actionum exercendarum variæ ſunt, & multiplices; aliæ faciles, aliæ difficiles, aliæ neceſſariæ, aliæ propè neceſſariæ, deniq; alię internæ, aliæ externę. Ex ſingulis quomodo exercitationis huius fructus percipi poſſit, breuiter oſtendo. Faciles appello occaſiones, quas non opus ſit diu expectare, aut etiam captare labore & induſtria, quod præſentes iam ſint, modo agnoſcantur. Id exemplis oſtendo. Actio fidei præcipua eſt, ut S. Auguſtinus tradit, & nos explicauimus in tertio fructu primi fidei beneficij, ſubiugare animam Deo. Hanc Chriſtianus quiſque, certè quiſque paulo melior

Lib.de Agone Chriſtiano,cap 13. ſuprà.

obit

obit sępissimè, modo in id animum vel parum defigeret; nempè, quoties in mentem venit Deus fide cognitus, quem ut Christianus colit, quoties eius seueritas, misericordia, minæ, beneficia, exempla scripta, audita, quoties pungitur conscientia peccatorum recordatione, quoties timore Mortis, Iudicij, Inferni, Dei ipsius, se à peccato retrahi sentit; quoties cogitat de aliquo Christianæ religionis officio peracto aut peragendo, cum recurrit in animum se Christianum esse, & in sanctissimæ Trinitatis nomine baptizatum, ac tali nomine in Baptismo donatum, cum religiosè genuflectit, cum piè tollit in cælum oculos, cum admouet manus pectori, cum signum sibi crucis imprimit, cum Deum inuocat, quod sexcenties facit, cum veneratur imagines Dei, & Christi Domini, cum Deum Dominum vocat, cum Symbolum recitat, cum se, aut alios vt Christianos appellat, cum per Deum, Christum, Euangelium, Baptismum, Eucharistiam, Cõscientiam, Animam suam, Virginem Deiparam, Sanctos Angelos, Beatas animas, sacram professionem, & ordinem aliquid adfirmat, negat, iurat. Audeo dicere, impios etiam Christianos homines cum cruciantur & exeduntur conscientia scelerum, id habere maximè à fide, cum itidem blasphemãt, in fide esse, fideq; eos abuti pessimè; nec enim quia credunt nefarij sunt ac blasphemi, sed quia quem credunt omnia posse, ad eorum libidinem facere nolle, quę posset, ferre ipsi non possunt. Vt vel hinc intelligamus, quàm verum sit quod S. Petrus dixit, fidei lucernam in caliginoso etiam loco lucere. Lucere inquam pijs ad meritum, impijs ad subsidium. Et quam non difficile 2. Petri 1.

sit, fidei actum efficere modo uelimus, cùm facimus, facere, hoc est credere Deo, qui uera dicit, & quia dicit, credere, ad idq; studio assuescere.

Aliud exemplum profero facilitatis eiusdem ex Sacramentorum Ecclesiæ vsu; Et ne percurram omnia, consideretur Baptismus, de quo sic scribit Beda: Spiritualis generatio tota inuisibiliter agitur, nam videtur quidem qui baptizatur in fontem descendere, videtur aquis intingi, videtur de aquis ascendere; quid autem in illo lauacrũ regenerationis egerit, minimè potest videri; sola autem fidelium pietas nouit, quia peccator in fontem descendit, sed purificatus ascendit, sola hoc Ecclesia Mater, quæ generat, nouit; ceterum oculis insipientium videtur talis exire de fonte, qualis intrauit, totumq; ludus esse quod agitur. Hæc Beda. Ergo cum Baptismo conficiendo assistimus, aut honoris causa, aut quod susceptoris & administri muneribus fungimur, quid facimus? aliquid aliud certè quàm spectare quod corporis oculis videndum obijcitur, nec hoc minus Ethnicus faceret, nempè, fide intelligimus mysterium spiritualis regenerationis, Christi sanguinis merita, similitudinem mortis eius, sepulturę, resurrectionis, peccatorum remissionem, gratiæ Dei, virtutum, ac donorum eius in animã aduentũ, adoptionem filiorũ Dei; fidei. ergo Actio est illa functio vniuersa; quàm bone Deus, quàm multi, quàm sæpè exercent, & quàm pauci cogitant? quod tamẽ vt actio fidei plena sit, opus esset.

In Io. c. 3.

In huiusmodi igitur actionibus vel ad punctum temporis ad id animus intendatur, & intelligetur quàm faciles se præbeant occasiones multæ, actionem fidei sua

forma

forma colorandi, & conformandi, credendo nimirum, at non solum, sed simul, quia Deus huius veritatis locupletissimus est auctor. Addo ad hæc, talem fidei Actionem maximè decere ministros & susceptores Baptismi paruulorum, quòd hi actu fidei careant, & in Ecclesiæ parentumq; fide baptizentur; Ecclesiam referunt ministri, parẽtum vice adsunt susceptores; sicq; mater Ecclesia suam infantibus (ut S. Bernardus ait) fidem impertit. At quàm indignum est, in ea functione fidem dormire, cuius ipsa dux est, & quasi pro præde sponsione facit? quid simile dici potest de Actionibus fidei neglectis in sacrificio Missæ & Eucharistiæ vsu, quæ tamẽ vt nemo ignorat, maxima sunt fidei nostræ Sacramenta, & illæ hac occasione nullo negotio obiri possunt. Ser. 66. super Cãtica.

Aliæ sunt occasiones difficiliores, quod non sint in promptu, egeantq; mentis aliqua commentatione, & hæc sunt ex quibus capiũtur. Ante alia pleraq; omnia, quæ Sacris literis continentur, siue sint historiæ, siue Dei laudes, siue vaticinia, siue viuendi præcepta, siue deniq; dogmata fidei, historiæ præsertim, cum vel memorantur, vel audiuntur, vel leguntur, sunt vt materia; sic fidei occasio ijs, qui nullo non sunt ingenio, & in spiritu progrediuntur. Ad hunc modum S. Augustinus suos instituebat auditores, vt ex popularibus concionibus illius perspicuum est; Exempli gratia, ne contemnerent pauperes & calamitosos homines, quod ij plerunque infeliciter decedant; præ diuitibus ac nobilibus, quorum interdum fortunata mors, & pompa funeris celebris esse solet; Adducit ex Euãgelio historiam Epulonis & Lazari; ponit illis ante oculos vtrunq;: diuitem illum Serm. 24. de Verbis Domini. Lucæ 16.

illū purpura & biſſo indutū, & quotidianis epulis ſaginatū, paupere verò humi iacentem ante ianuā diuitis, eſurientem, & de menſa eius micas requirentem, vlceribus plenum, à canibus linctum; contigit mori pauperem hunc, & auferri ab Angelis in ſinum Abrahæ: Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. De duobus dicite mihi quis eſt benè mortuus, & quis malè mortuus? Nolite oculos interrogare, ad cor redite, ſi oculos interrogatis, optimè mortuus eſt diues, ſi magiſtrum veſtrum interiorem requiritis, peſſimè mortuus eſt; è contra, attendite illum pauperem, ſed nolite oculis, nam errabitis. Fides attendat, cor videat, conſtituite illum ante oculos veſtros iacentem in terra, vlceroſum, cum talem illum reuocatis ante oculos veſtros, continuò expuitis, faciem auertitis; cordis oculis videte. Mortuus eſt, & oblatus eſt ab Angelis in ſinum Abrahæ. Cōcludit. Attendite pauperes, facite bona opera. Quod facitis, quantum bonum ſit, nondum videtis, quia & ruſticanus quando ſeminat, ſegetem non videt, ſed terræ credit. Tu Deo quare non credis? Hæc ibi.

Ad hanc normam alia paradigmata conſtrui & fingi poſſunt: quorum materia ſint non ſolum res Sacris libris contentæ, ſed humana omnia quæ in actionem & conſuetudinem hominum cadunt, & ab hominibus magni æſtimantur; qualia ſunt illa tria, ex quibus quaſi
1. Ioan. 3. elementis conflatum eſſe mundum humanum S. Ioannes aſſerit; Honores, Diuitiæ, Voluptates; circa quæ fides dupliciter verſari ſolet; vel adhibitis ſimilitudinibus & parabolis, quod ſæpè faciebat Dominus, vt cum quas diuitias & voluptates humano ſcilicet ſenſu exiſti

mamus,

mamus, fides Christo Domino auctore, appellare iubet vepres & spinas; quæ nos lucra, & honorabilia, fides apud Apostolum existimat detrimẽta & stercora: Huius generis parabolas multas egregiè scribit S. Damascenus in Historia Barlaam. Vel simpliciter & absq; tropis humanorum bonorum naturam ac vires vti fide concipienda sunt, hoc est vti re vera sunt, non vti videntur, explicando, vt diuitiæ hic nullæ, nulli honores, nulla voluptas, omnia hic vanitas, nihil solidum, diuturnum nihil; homo ipse animalium cæterorum Rex, terræ Dominus, in imagine pertransit, eius consilia incerta, conatus irriti, labores inutiles, inania studia; quæ quidem ex parte à Philosophis etiam dicuntur, sed sine fide, splendidè magis, quàm solidè; & mirũ est, quantum momentum sit ad omnem rerum humanarum despicientiam hęc ipsa non ratione solum, sed fide Diuina comprehensa serio meditari. Philosophia vnum aut alterum ad relinquẽdas diuitias adduxit, ad nuncium mundo remittendum nullum. Fides, Euangelica præsertim, infinitos, omnis ętatis, sexus, generis, cõditionis; idemque quotidie fieri oculis ipsis cernimus. Quare Solitudines, Eremi, Cænobia, Collegia Religiorum, Virginũ Monasteria, sunt quidem fidei soboles, sed simul Actionum fidei stimuli & incitamenta; Id attingit libro de moribus Ecclesię S. Augustinus. Materia similiter huius generis est hominis status, animę immortalitas, ad quam stabiliendam Philosophia sine fide imbecillis; Deus supernaturalis hominis finis, quod nec somniauit Philosophia, beatitudo ultima, vltimum supplicium, de quibus nihil Philosophia, nisi poeticas nugas.

Lucæ 8. Phil. 3.

nugas. Hęc cum memoramus, animam ſcilicet non mori, Deum finem eſſe noſtrum, non habere nos hic manentem Ciuitatem, in cęlis eſſe felicitatem ac beatam vitam, quam nec oculus vidit, nec auris audiui, t quid aliud velimus, nolimus, quàm fidem exercemus? Pariter cum teſtamenta condimus, legamus aliqua ad pias cauſas, cum de ſepulchro ſtatuimus, funeris & exequiarum ſumptus prefinimus, paramus cum nos ad mortem, cum pro mortuis oramus, aut pęnas vltrò luimus, quid aliud verſamus animo, quàm res ita cum fide complicatas, vix vt eas ſine aliqua fidei actione expedire poſſimus?

Ad eaſdem haſce occaſiones pertinet vniuerſę Chriſti Domini Vitę ac paſſionis meditatio; in hac enim fi-
In Pſ.127. des facem præfert. Vnico ex S. Auguſtino exemplo res erit perſpectior; eſt autem de pulchritudine ſpōſi Chriſti in paſſione. Sic ait: Sponſus eſt ille, quo nihil pulchrius, qui quaſi fœdus apparuit inter manus perſequē
Iſa. 59. tium; de quo Eſaias; Et vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem; Ergo ſponſus noſter fœdus eſt? abſit. Quomodo enim illum Virgines amarent, quę in terra maritos non quęſierunt? Ergo perſequentibus fœdus apparuit, & niſi eum fœdum putarent, non inſilirent, non flagellis cederent, non ſpinis coronarent, non ſputis inhoneſtarent; ſed quia fœdus illis apparebat, fecerunt illi iſta. At cur? nō .n. habebāt oculos, vnde Chriſtus pulcher videretur. Qualibus oculis Chriſtus pulcher apparuit? Quales oculos quęrebat ipſe Chriſtus quando dicebat Philippo: Tanto tempore vo
Ioa. 14. biſcum ſum, & non me vidiſtis? iſti oculi mundandi

ſunt,

sunt,ut possint videre illam lucem:& leuiter tamen perstricti splendore, accenduntur amore, ut sanari velint, & fiant illuminati:nã vt noueritis,quia pulcher est Christus qui amatur, auditè Prophetam: Speciosus forma Psal.44.
præ filijs hominum; Omnes homines superat illius pulchritudo. Quam rem amamus in Christo? membra crucifixa, latus perforatum, an charitatem? quando audimus quia passus est pro nobis, quid amamus? charitas amatior. In alium item Psalmum adducit primum idẽ In Ps.44.
Patertitulum. In Intellectu canticum pro Dilecto. & ait: Nam Dilectus ille visus està persecutoribus suis,sed non in intellectu,si enim cognouiscent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ad hunc intellectum oculos alios quærebat ipse, cum diceret: Qui me vi- Io.14.
det,videt & Patrẽ. Hæc S. Augustinus. Idẽ dicendum à nobis de alijs Christi Domini personæ mysterijs; hęc enim omnia si transfigurationem vnam excipias, (nec hic loquimur de miraculis aut prædicatione) quam speciem exhibent oculis corporis? nullam plane: At oculis fidei optatissimam, iucundissimam,maximam. Fide humilitatem Christi nascentis in stabulo, eiusq; præsepis incunabula exosculamur, admiramur subiectionem & obscuritatem annorum triginta, suspicimus paupertatem, & mendicitatem, eius itineribus, laboribus, vigilijs, sudoribus, ieiunijs, doctrina, miraculis obstupescimus,ingemiscimus commemoratione molestiæ, dolorum, cruciatuum, tormentorum, & mortis eius; ipsam Crucis Christi ignominiam & probrum optamus, amplectimur, & cum sanctissimis quibusq; Christi discipulis thesauris Ægyptiorum & mundi totius bonis potio

ra existimamus Christi improperia. Quare fides est, quę nos in Christi cellaria introducit, illa præsertim, quam
Ibidem. informat Charitas; ob id enim ait S. Augustinus, quod si hi fidei oculi tanto Christi splendore perstringuntur, accenduntur amore, vt sanari velint, & fiant illuminati. Et hæc de fidei occasionibus paulò difficilibus; quanquam & hæ exercitatis faciles.

Necessariæ occasiones sunt, quas præbent illa in quibus ad perfectam Euangelij normam uix uersari potest quis, quin fidem exerceat. Huius generis est obedien-
Lucæ. 10. tia Euangelica; de qua Dominus: Qui uos audit, me audit. Ad hanc regulam obedire nemo potest homini, quin in homine Deũ contẽpletur. Hæc contemplatio à fide est. Eleemosyna similiter ex Christi præscripto ita
Matth. 25. fieri debet pauperi, ac si Christo fieret. Quod .n. vni ex minimis meis inquit, fecistis, mihi fecistis. Opera misericordiæ Christianorum propria Christo ipsi consecrentur, oportet, vt ab eo recognoscantur in Iudicij extremo die.
Ibidem. Hospes eram & collegistis me. Adeo, ut ob hanc causam liberè Patres sic hortentur: Ad mensas ue-
S. Greg. Hom. 23. in Euang. stras Christum suscipite; Præbete modo peregrino Christo hospitium; & quid mirum, cum ipsemet Christus cuidam dixerit; Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti: Et S.
Sulpitius in Vita S. Mart. c. 3. Martino: Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit. Hæc omnia igitur fides dirigit. Qui Sacramenta Baptismi præsertim & Pœnitentiæ suscipit ad ea fide inducitur; ea dum administrantur, nos submisse ac religiosè gerimus, quia fide intelligimus Deum præsentem nobis nostra scelera condonantem. Plures simul

spi-

ſpiritualem amicitiam iungimus iunctis animis corporibusq;, quod fides tradat: Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Calamitatibus aflicti, ſuſpiramus ad Deum, quia ſcriptum eſt: Cum ipſo ſum in tribulatione. Neceſſariæ occaſiones fidei ſunt etiam illæ, quas habemus cum vel Diuina lege, vel conſcientia ipſa ſtimulante, ad actum fidei edē dum impellimur. Chriſtianorum hominum filij qui Baptizantur infantes, habitum fidei Diuinitus accipiunt, actum nec exercent., nec exercere poſſunt, quòd uſu rationis deſtituantur; hunc igitur cum attingunt, ſi non ſtatim, ſuo certè tempore fidei actione Deum intueri, ad eumq; vt finem & bonum ſuum ſe conuertere, rectę rationi ac Diuinæ Legi maximè conſentaneum eſſe Theologi docent. Et S. Gregorius hoc etiam Chriſtianorum genus, cum dixiſſet ſimile eſſe buxo propter ętatem humile, & viriditate fidei ſolum, non fructu veſtitum, infirmitate eiuſdem ætatis impeditum, addit: ſicut & reliquos Chriſtianiſmi ordines à Deo iuberi verbis Iſaiæ, ut videat, & ſciat, & recogitet, & intelligat pariter. Id docti omnes profitentur in ſcholis, ſed pauci publicè populo tradunt; Officium in primis Parentum eſt, Magiſtrorum, & Confeſſariorum ad quos confeſſionis gratia puerulos adducere ſaltem hanc ob utilitatem, ſeu potius neceſſitatem conſultiſſimum eſt. Occaſio itidē neceſſaria eſt cū fides publicè profitenda eſt ex formula Concilij Tridentini certis temporibus, locis, hominibus. Cum enim ea profeſſio iureiurādo, & Deo teſte cō firmetur, nemo non uidet ad eā actionem integrè sanctèq; obeundam, non ſufficere externam illam cęremo

Matth. 18.

Pſal. 90.

Hom. 2. in Euangel.

Iſa. 41.

niam, sed requiri præterea interiorem fidem & religionem. Multò magis necessaria occasio censeri debet fidei interioris eius confitendę necessitas, & uis exterior, cum ea à Tyrannis ut abnegetur fides, infertur; aut incidit casus aliquis ex his quos suprà D. Thoma auctore dictum est eiusmodi confessionem necessariò postulare.

Propè necessariæ sunt illæ potissimum occasiones, quas adferunt nobis tentationes aut propinquæ, aut remotæ fidem si non abnegandi, conturbandi certè, & infirmandi. tum enim quibusdam placet, Lege Dei cogi nos ad actum fidei tentationi contrarium fortiter exercendum; quod nec ipse ausim negare: quoniam tamen potest etiam tentationis impetus & declinari & eludi alijs cuiusq; generis cogitationibus, idq; sufficiat ad fidem sarctam tectam conseruandam, appellentur in præsentia huiusmodi occasiones propè necessariæ. Propinquæ huius generis occasiones sunt, quas plerunque Diabolus immittit in animum, ut quietam mẽtem si non deijciat, commoueat, perturbetq;; quibus illico resistendum, & prompto ac uehementi in Deum ac Christum Dominum fidei actu uis ea repellenda, hoc est enim: Beatus qui tenuerit, ac allisserit paruulos suos ad petram. Quod si perseueret tentatio repetenda tandiu est contraria fides, quandiu illa debilitata frangatur. Idem præstandum, cum tentationis occasionem dant impij uel homines, uel libri; nisi quod hic præterea ab his tanquam ab animæ hostibus & pestibus protinus est recedendum; ne, ut cum Tertulliano loquamur fides Virgo nobis à Christo tradita, & rursus ab Apostolo Christo desponsa ab hęreticis constupretur.

Psal. 136.

De præscriptionibus.

Et

Et quia nec locus postulat, nec institutum, vt hic plura de dignoscendis hæreticis, differam & legi possunt hac de re egregiè apud alios scripta, id solum dixerim, illos Patribus hæreticos esse, qui doctrinis nouis in Ecclesiâ inuehendis student; Et dignum Tertulliano dictum illud est: Qui estis vos? Vnde aut quando venistis? & sensus S. Augustini præclarus: Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, usq; ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum. Et ille alius: Sponsa petit à sponso, ut dicat, ubi cubet, ubi pascat in meridie. Quid significat meridies? Magnum feruorem, magnúque splendorẽ; ergo notum fac mihi, qui sint sapientes tui, spiritu feruentes, doctrina fulgentes. Remotæ autem huius generis occasiones fidei sunt, conuictus, & cum infidelibus cõsuetudo, vel in eadem domo, quod periculosum est, vel in eadem Ciuitate, non quidem in rebus fidei, sed in alijs; qua in occasione nulli dubium est, quin Christianus bonis in Christum Dominum fidei cogitationibus sese armare ac communire debeat, indeq; ad uerum Deum fide & religione colendum sese excitare. Sic monebat Iudęos in Babylonẽ abductos Propheta. Visa ait turba, dicite in cordibus vestris: Te oportet adorari Domine. Angelus enim meus vobiscum est: ipse autem exquiram animas vestras.

Libr. de præscipt. contra hęreticos.

In Psalmo cõtra partẽ Donati, versus medium.

De Verbis Domini Ser. 50. Cant. 1.

Baruc. 6.

Occasiones internę fidei multę sunt & crebrę. Quid est aliud recognoscere animã hominis à Deo creari, corporiq; immitti, quam fide cõcipere Deum creatorem? Quid est hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei, nisi confiteri in vnius animi triplici facultate

tate Deum vnum & trinum? Peccatum cur intelligitur esse id quod est, nempe, res in seipsa fœdissima, inquinatissima, pessima; qua Deo nihil execratius, nihil iniuriosius, proximo inimicissimum, ac pestilentissimum documentum, peccatori ipsi effera uis ac tyrannis, immanitas barbara, extrema pernicies, animæ perditor? nisi, quia id fides tradit? id clamat sanguis Christi adeo copiosè pro peccatorum humanorum expiatione profusus? Gratia Dei in animis iustis tamquam sol Angelorũ oculis ac cælis ipsis emicans, tam multarum Virtutum & donorum Diuinorum ornatus quo ijdem admirabiliter colluſtrantur, quid sunt aliud, quàm Christianæ fidei opes ac thesauri? Eandem fidem animo non dormitanti obijciunt ac inculcant tam multa magnaq; Diuina subsidia, quæ intro Deus in animos hominum subinde submittit: lumina nimirum, motiones cordis variæ, sed opportunæ, & appositę. De quibus Apostolus:

1. Cor. 5. Siue mente excedimus, Deo, Charitas Christi urget
Rom. 8. nos. Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, per
2. Cor. 1. exhortationem qua exhortamur & ipsi à Deo, & simi-
Psal. 15. lia multa. Huc spectant Dauidica illa: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper quoniam à dextris
Psal. 84. est mihi, ne commouear. Audiam, quid loquatur in me
Psal. 55. Dominus Deus. In me sunt Deus vota tua. Nec dubitandum est, quin Deus hoc ipsum si non semper, interdum saltem expectet ab homine, quem inuisit, & mouet, nimirum recognosci se ac coli, non solum gratiarum, sed fidei etiam religiosis actionibus. Et sanè Dauid cum de excessu suo ac de Diuinis fauoribus loquens, se

ad

ad agendas gratias comparat: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? præmittit actionẽ fidei qua tãquam aditum sibi apetit ad reliqua: Credidi propter quod locutus sum. Immò auctor est S. Gregorius, sanctam mentem prius liquefactam sponsi præsentis amore, post eius absentis desiderio afflictam, prædicatorũ verba, hoc est, fidei doctrinam in Scripturis Diuinis suscipere, & eis quandiu à Christo exulat, eiusdẽ quem quærebat amore intendere. Et hoc est illud Apostoli: Per consolationem Scripturarum. Pſal. 115. Cap. 5. in Cantica. Rom. 15.

Restant pauca de Externis occasionibus fidei. Hæ accipiendę sunt à rebus, quæ extra nos sunt, & in sensus nostros cadunt; ab vnoqueque pro ingenij facultate, & exercitatione. Terra fidei actionum æquè (ut ita dixerim) seminarium est, ac herbarum, & stirpium; in eius centro carcer est reproborum, & æterni incendij inextinguibilis fornax. Prope est purgatorius ignis, quo expiantur iustorum hominum animæ ad tempus. Est & tertium receptaculum puerorum sine Baptismo decedentium. Eius superficies sedes est hominum in ea à Deo collocatorum, vt prædicauit in Areopago S. Paulus, ut quærant Deum si fortè attrectent eum, quia non longè est ab vnoquoq; nostrum. At ex tanta mortalium multitudine quàm pauci eum agnoscunt? ex his qui agnoscunt, quàm pauci colunt, quàm pauci auscultant? horum pleroſq; cum præcipites in infernum ruere Dei filius intueretur, misericordia motus, humanam carnem induit, in terris visus est, & cũ hominibus conuersatus est: ac in ea quam suscepit carne, quid non dixit, egit, tentauit, quid non pertulit aduſq; mortem, & Act. 17.

probrum

probrum Crucis, vt hominem ad æternam salutem instituret, ut redimeret à seruitute Dæmonis & inferni, vt Ecclesiam, hoc est suam Rẽpublicam ordinatissimã, sanctissimam, pulcherrimam constitueret, atque formaret? quam per Apostolos longè lateq; propagatam per vniuersum terrarũ orbẽ disseminauit, hodieq; in Indijs vtrisq; disseminat. Hæc ipsa Ecclesia Christi Domini instituta, & placita, Ecclesię Ritus, cęremonię, leges, officia, magistratus, iudicia, sacramenta, doctrina, doctrinã tradendi ratio, disciplina, quicquid deniq; boni in Ecclesia est, quicquid etiam mali in eam inuehunt mali homines, quicquid aduersus eam miscent, & moliuntur Hæretici, Infideles, Turcæ, aliaq; innumera ac infinita huiusmodi exempla, quàm uaria, multiplex, ampla, copiosaq; materia sunt fidei, cum in hunc finem paulò attentius considerantur? Ridebant olim antiqui Philosophi nonnulli, cum in homines incurrebant, stomachabantur alij, & plorabant, sed uanè ac ridiculè prorsus, nihil minus intelligentes quàm cur riderent, plorarent ue; Christianis simul ridenda ac deploranda hominum in Christum verè credentium malitia ac amentia est; qui cum tam facilè bene viuendo vitam beatissimam per Christi gratiam assequi possint, malint malè viuendo laboriosèq; vitia sectando, tanta cum difficultate pessimè perire, gratisq; nec nisi vt suas voluntates expleant, supplicia mercari sempiterna; Hoc si volumus, assiduè habemus ante oculos, ut si non aliud, nostram certè se misepultam fidem suscitemus. Conuertantur etiam oculi ad pauperes istos pannosos, obsitos, circumforaneos, quorum in horas audimus gemitus, aspectibus

occur-

occurrimus: hi quid magis clamant quàm fidem? homines vt stipem largiatur per Deum, per superos omnes, per singulos, per fortunam eorum, parentum etiam vita functorum, per Christi merita, per passionem, & crucem, & mortem, per amorem Dei in primis compellat, implorant, obtestantur; vt flectant homines, mouent totum cælum, & mysteria fidei omnia; & nos istis clamoribus indormimus ita, vt nec forte stipem demus illis, certè vix fidem exercemus nobis. Iam verò Basilicæ Christianæ Deo Diuisq; sacratæ, campanarum turres, erecta Crucis trophæa in fastigijs Ecclesiarum, in summis ædium sacrarum culminibus, in plateis, in collibus ac summis montibus, simulachra, tabulæ, picturæ sacræ tam multæ ac uariæ ubique locorum, an non sunt omnia nostræ fidei indicia testatissima? Audio Infidelem ad Christum conuerti; Hæreticum redire ad Ecclesiam; Gentes in remotissimas penetrare quotidie felicius Euangelium Christi; Cerno ipse Infideles, Hæreticos, Apostatas, Schismaticos, simulque intelligo, me non mihi dimissum, ne ruerem in errorem, gaudeo; gratias Deo ago, & si volo, ac cur nolim? fidem meam etiam excito. Benedic anima mea Dominum (dicit Dauid) & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Psal. 102

Non solum Spes, Charitas, reliquaque Dei dona, quæ intus sunt in anima, sed simul etiam Fides, substantia sperandarum rerum, & fundamentum omnium Diuinorum munerum. Nunquam finis esset, si omnes quæ sunt in terra fidei occasiones essent recensendæ. At de Cæli, syderum, reliquorumq; omnium quæ sublimè feruntur aspectu, quid dicam? Apostolus Hebr. 5.

refert de quibuſdam ſine dubio Chriſtianis, eos habere ſenſus exercitatos; hos qui habent, nullo negotio fi-
Pſal. 18. dem è Cælis ipſis euocant: Cæli enim enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Ergo ad Cæli conſpectum gloriam Dei, poteſtatemq;
Ibid. eius prædicant. Vident Solem, aiunt ſtatim: In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Lunam, ſtellasq;, illud venit
Lucę 21. in mentem: Erunt ſigna in Sole, Luna, & Stellis. Stellę cadent de Cælo: Virtutes cælorum commouebun-
Hebr. 13. tur. Intelligunt illud Apoſtoli: Non habemus hic Ci-
Philip. 3. uitatem manentem, ſed futuram inquirimus. Et, Conuerſatio noſtra in Cælis eſt, vnde & Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Spectant
Matth. 17. Actu. 1. nubes, recolunt illud: Et Nubes lucida obumbrauit. Et, Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum: Quem & nubes
Lucæ 21. nobis reſtituet: Videbitis filium hominis venientem in nube cum poteſtate magna, & maieſtate. Aues vi-
Pſal. 54. dent per aëra volantes, occurrit illud: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?
Lucæ 8. Vel certè illud: Volucres cæli Diaboli, principes tenebrarum harum, & mundi huius craſſi ac tenebricoſi Rectores. Et his ſimilia multa. Ac de occaſionibus Fidei dictum eſt ſatis.

Indicia

Indicia firmæ fidei, Actionumq; eius exempla nonnulla. Cap. XVI.

ESt hoc loco aduertendum, nos hic nõ agere de fide, quam appellant, miraculorum; quamquam enim operatio Virtutum quę ab Apoſtolo in numero gratiarum gratis datarum ponitur, ſit effectrix miraculorum, quæ à Deo ac ſanctis hominibus patrantur; ſolent tamen miracula in fidem etiam tamquam in cauſam referri. Si habuero inquit Apoſtolus, omnem fidem, ita vt montes transferam, &c. nimirum, quia vt S. Thomas ſcribit, ordinantur illa ad fidei confirmationem, & procedunt ex Dei omnipotentia, cui fides innititur. Deniq; vi fidei exprimũtur, & foras prodeũt; nihil tamẽ eſt, quam ob rẽ hic huius fidei exempla ponamus: tùm, quod & Sacræ literæ, & Hiſtorię Eccleſiaſticæ omnes his pleniſſimæ ſunt; tùm, quod ad Virtutis exercitationem quam vnam ſpectamus, illius generis exempla non multum faciunt; tùm poſtremò, quia (ut obſeruauit S. Chryſoſtomus) Chriſtus Dominus, tãquam minimam fidei partem poſuit montes tranferre: comparauit enim grano ſinapis, quod eſt minimum. Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi, & tranſibit. Tractemus igitur de ea fide, de qua hactenus, & ad eius vſum quæramus exempla, deſignemus indicia.

1. Cor. 13.

2. 2. q. 178. art. 2. ad 5.

Hom. 32. in 1. ad Corinth.

Matth. 17.

Primũ fidei perfectę indicium eſt Simplicitas, & omnis diſquiſitionis ac curioſitatis abdicatio. Hac Duce fide præſtitit obedientiam Abraham pater omnium

Primum indiciũ.

Rom. 4. credentium dictus ab Apostolo. Hac caruit Moyses ad
Num. 20. aquas contradictionis, grauiter propterea castigatus
3. Reg. 13. à Deo; sicut & ille Propheta Betel, qui auctor fuit alteri Prophetę Diuinum prȩceptū interpretandi, potius quā curādi. Non immoror in his, & multis alijs quę in Scriptura passim occurrunt. Vnum illud prætermittendum non est, quod Magi Christum infantem venerati, reli-
Matth. 2. querunt nobis. Scribitur enim de his: Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Considera ait S.
Hom. 8. in Matth. Chrysostomus hoc loco, Magorum fidem, qui in nullum hinc scandalum commouentur, sed ad cuncta acta obedientes permanent atque flexibiles, nihilq; omninò turbantur, neq; secum disputant dicentes: Si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid obtineret, nobis adoratoribus eius quid opus esset fuga, occultusq; discessus? cur enim qui palam & liberè venimus, nec tanti populi fragorem, nec Tyranni furorem pauentes, quasi exules quosdam ac fugitiuos Angelus ciuitate propellit? Verum nihil omninò tale vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc est enim fidei insigne, vt absq; controuersia vlla obediant imperanti; nec vllam rationem exposcant imperij. Hæc ille. Eandem sententiam habet idem in illa verba Psalmi:
Homil. in Psal. 115. Psal. 36. Credidi propter quod locutus sum. Et in illa: Mei autē penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Et ac si à duobus Vatibus hęc dicerentur, ait de posteriore. Vide quantum sit periculum res fidei permittere humanis rationibus, non fidei, si is fuisset in fide firmus

mus & constans, non hæc fuisset locutus, non fuisset perturbatus, non commoti essent pedes eius, non essent propemodum effusi gressus eius. Sed non ita ille, scilicet ille prior, sed stans supra petram non tumultuabatur, non turbabatur, prædicabat constanter: Credidi propter quod locutus sum. Ego dixi in excessu meo. Hic fidei splendor rursus apparet, quod ne magnitudo quidem calamitatis eum præcipitem dederit in desperationem. Eiusmodi enim res est fides; est quædam sacra anchora, quæ vndiq; sustentat mentem, quæ ei adhæret. Et nunc maximè ostenditur, quando in maxima rerum difficultate ei persuadet, qui illa est præditus, vt bonam spem expectet, expulsa turba ratiocinationum. Hæc ibi. Quę non iccirco scripta sunt, quod ea quæ fides docet, rationi consentanea non sint, (sunt enim maximè,) sed quoniam cum suprà rationem sint, satius sit ea simpliciter vti proponuntur amplecti & credere, quàm eorum causas superflua commentatione nostris ratiocinationibus aut subijcere, aut dimetiri velle. Ceterum Pastores & Doctores, quorum est alios instituere siue fideles siue infideles, rationes illas quibus nostræ fidei probabilitatē probent alijs, prōptissimas habeant, oportet, ut parati sint omni poscenti rationem reddere eius, quæ in ipsis nobisq; est fidei.

Secūdum Indiciū.

Alterum Indicium fidei est, Diuinas reuelationes si fieri possit, præ fidei amore sponte reijcere, etiam oblatas & præsentes; non quod illæ contemnendæ sint, quamus examinandæ diligenter, sed quod tum iudicet homo præferendam fidem obscuram euidenti notitiæ, malitq; potius quàm naturali sciendi cupiditati satisfacere,

tisfacere, ſeipſum in ea mentis voluntaria deditione, qua iam ſe per fidem Deo deuouit, continere ſemper. Exempla duo adfero. Primum eſt Alfonſi primi Luſitaniæ Regis ſanctiſſimi; hic cum in caſtris eſſet aduerſus innumeram multitudinem Saracenorum, audiuit a viro Religioſo, & ſexaginta ſex annorum, probatæ ſolitudinis, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum certa quadam hora poſtridie ſeſe in eius conſpectum daturum, ab eoq; auditurum ipſum de Victoria ac poſteritate ſua gratiſſima nuncia, pręſto tantum eſſet, cum vocaretur; paruit Rex, & quę ſecuta ſunt, ipſe poſtea ſic manu ſua ſcripſit: Egreſſus extra caſtra, vidi à parte dextera verſus Orientem micantem radium, & paulatim ſplendor creſcebat in maius, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipſo radio clariori Sole, ſignum Crucis aſpicio, & Ieſum Chriſtum in eo crucifixum, & ex una, & ex altera parte multitudinem iuuenũ candidiſſimorum quos ſanctos Angelos eſſe credo; quam viſionem dum video, depoſito enſe & ſcuto, & depoſitis veſtibus & calciamẽtis, pronus in terram me proijcio, lachrymiſq; abundè miſſis, cępi rogare pro cõfortatione meorum vaſſallorum: dixiq; nihil turbatus: Quid tu ad me Domine? credenti enim fidem vis augere? melius eſt ut te videãt infideles, & credãt, quàm ego, qui à fonte Baptiſmatis te Deum verum, filiũm Virginis & patris ęterni agnoui, & agnoſco. Erat autem Crux mirę magnitudinis & eleuata à terra quaſi decem cubitos. Dominus ſuaui uocis ſono quam indignæ aures meæ ſuſceperunt, dixit mihi: Non vt fidem tuam augerem, hoc modo apparui tibi, ſed vt roborarem cor

tuum

tuum in hoc conflictu, & initia regni tui suprà firmam petram stabilirem; Confide Alfonse, nõ solum hoc certamen uinces, sed & omnia alia, in quibus contra inimicos Crucis pugnaueris. Hæc ibi. Quæ felicissimo exitu confirmata sunt omnia; scripta sunt autem anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo secundo, tertio Kal. Nouembris, & adhuc in celebertimo monasterio Cistercienſium à S. Bernardo instituto, & ab ipso Alfonso Rege liberalissimè fundato (Monasterium de Alcobaz dicitur.) asseruatur Diploma Regium, sigillo Regis, Episcoporum & Principum Regni præclarè obsignatum. Ex qua historia illud perspicuum est, Christum Dominum quamuis ad erigendum ac roborandum Regis animum ab eo uideri uoluit oculis corporis, probasse tamen pietatem ac fidem eius, oblectatum que ea Regis uoluntate, qua ut fidem, in natiua sua obscuritate seruaret, ipso se Christi aspectu priuare paratus erat.

Alterum exemplum est Vgonis Lincolnienſis Episcopi sanctissimi, qui ante trecentos annos Virtutibus pastoralibus ornatissimus apud Anglos floruit. De eo sic Surius ex antiquo scriptore. In Villa quadam Sacerdos erat vitæ valde dissolutæ, quem hoc ordine Diuina bonitas ad pœnitentiam vocauit; Celebrans ille Missarum sollemnia, manibus cœpit indignis Regem tractare maiestatis; cumq; ad illum venisset locum vbi hostia frangenda erat, sanguis protinus emanauit; territus ille, vitam mutauit in melius; cunctisq; audire volẽtibus, factum publicauit; Accidit autem Beatum Vgonem per eam villam iter facere, sacerdotemq; accersitum, Tomo 6.

tum, non propter miraculum, sed ob vitæ sanctitatem, de quibusdam spiritalis vitæ studijs interrogare; Tanta enim pœnitentiæ austeritate pristinam vitam iam correxerat, vt sanctum eum fama cunctis proclamaret; cumq; sancto Episcopo narrasset prodigium, quod ipsi acciderat, hortatus est eum, vt cruorem ipsum tanquam veritatis testem inspiceret, sed penitus non acquieuit; quin immò famulis suis idem suggerentibus, ita fertur respondisse: Habeant ipsi signa infidelitatis suæ, nobis autem qui verè credimus sub speciebus Sacramentalibus Verum Corpus & sanguinem Christi contineri, signa quid proderunt? Quosdam etiam abire volentes vt viderent, durius obiurgabat, quod non deuotione sed curiositate id facerent, siquidem scriptum nouerat: Ioa. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Hæc ibi.

Tertium Indiciũ. Tertium Indicium affine est superiori. Cum quis ita se in fide confirmatũ sentit, ac stabilem, vt vix sibi videatur posse se vnquam ab ea vlla ratione dimoueri; quod fortassis donum est Spiritus sancti, inter eius fructus ab Apostolo recensitum fidei nomine. Hoc donatum fuisse S. Clementem cum S. Petrum de Christo disserẽtem audiret, intelligitur ex his quæ scribit ipsemet ad hunc modum: Deo gratias ago inquit, qui vt optaui institutus sum; ac certò scias (Petre) fieri non posse, ut dubitem de his quæ ex te audiui de Christo Propheta, etiã si tu ipse aliter doceres, & me in aliam fidem transferre conareris; Hoc enim mihi certum est, eum qui doctrinã hanc de uero Propheta acceperit, non posse de hac ueritate ultra dubitare. Ad hæc Petrus: Gratias ago Deo, & pro salute tua, & pro quiete mea; ualde enim delector,

Galat. 5.

Lib. 1. Recognitio.

quia

quia intellexisse te uideo, quanta sit Christianæ Virtutis magnitudo; & in eo, quod ais ne si ego ipse cupiam, quod absit, possim te transuertere in aliam fidem. Hęc ibi Hac de firmitate accipienda sunt uerba illa S. Pauli: Sed licet nos, aut Angelus de Cęlo, Euangelizet uobis, Galat. 1. præterquàm quod Euangelizauimus uobis, Anathema sit. Hac excelluerunt Martyres omnes, illi pręsertim, qui non solum tormentis, sed nec blanditijs, nec quoruncunq; bonorum terrenorum certa spe ac pollicitatione adduci vnquam potuerunt, vt tantillum de fidei integritate ac seueritate saltem simulando, remitterēt.

Quartum Indicium sunt Actiones illę, quarum quidem originem fidem esse non cernimus oculis, ipsas tamen naturę nostræ uiribus ita superiores esse intuemur, ut non nisi à supernaturali virtute fidei profectas esse, certò intelligamus. Exempla sint primùm in Martyribus illis, de quibus narrat Eusebius, & alij, Antonii Veri temporibus, cum accepissent, aut etiam vidisset aliquos è Christianis Confessoribus imbecillitate animi, ac fidei, à Christo defeciisse, ita affectos fuisse mœrore, vix vt præ tristitia illa dolores quos in cruciatibus maximos perferebant, sentirent; nec ait Aymo, gratum illis erat iter ad Dominum, si pars membrorum suorum de Ecclesia rapta à Diabolo diriperetur. Sed sit hęc mœroris ex fidei fonte manantis historia. Adfero patientiæ & lætitiæ ex eodem deductum exemplum, quod etiam nunc plerunque accidit in hominibus perfectionis studiosis, cum repentè amicis charisque hominibus destituuntur; sat erit refricare memoriam obitus S. Malachiæ apud S. Bernardum; quem vbi descripsit, sic-

Quartum Indicium. Euseb. lib. 5. hystor. c. 2. & 3. Niceph. li. 4. c. 16. 17. & 18. Aymo lib. 5. c. 2. & 3.

In Vita Malach.

ait: Non est mutatus vultu Malachias, sed ipse mutauit omnes; mirum in modum gemitus & luctus omnium subito conquiescit, mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit, Effertur, feruntur in Cælum voces, infertur Oratorio Abbatũ humeris, Vicit fides, triumphat affectus, res in suum deuenit statum, cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt; & reuera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors eius, quasi non sit somnus magis quàm mors, quasi non sit mortis portus, & porta vitæ? Ego ne fleam, qui fletum euasit? ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus in domum Domini sui, & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi inuideo. Hæc S. Bernardus. Cum quo verè dicimus: Vicit fides, quandocunq; eius qui nos afficit siue mœror, siue lætitia, Deus ipsa causa est.

Quintum Indiciũ.

Accedat Quintum Indicium fidei. Cum facilè, & ad rem ex his quæ fide cognoscimus, conficimus id, quod ad præsentem animæ vtilitatem necessarium, aut opportunum est. Huius in omni genere sunt exempla varia ac multa, & ex capite de fidei occasionibus aliqua peti possunt. Hic occurrit illud de S. Martino ex Sulpitio. Quodam die præmissa præ se, & circumtectus ipse luce purpurea, quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, lęta facie, ut nihil minus quàm Diabolus putaretur, oranti in cellula astitit. Cumq; Martinus primo aspectu eius fuisset hebetatus, diu multumq; ambo silentium tenuerunt, tum prior Diabolus: Agnosce inquit Martine,

In Vita S. Martini, cap. 36.

ne, quem cernis, Christus ego sum; descensurus ad terram, prius me tibi manifestare uolui. Ad hæc cum Martinus taceret, nec quicquam responsi referret, iterare ausus est Diabolus professionis audaciam: Martine, quid dubitas credere, cum uides? Christus ego sum. Tum ille reuelante sibi Spiritu vt intelligeret Diabolum esse, nõ Dominum: Non se inquit Dominus Iesus purpuratum & diademate renitentem venturum esse prædixit: Ego Christum nisi in eo habitu formaq; qua passus est, nisi Crucis stigmata præferentem venisse non credam. Ad hanc ille uocem statim ut fumus euanuit, cellulamque tanto fœtore compleuit, ut indubia indicia relinqueret, Diabolum se fuisse. In narratione hac Sulpitij palá est, S. Martinum adiutum quidem Diuinitus fuisse ad laruam Diabolo detrahendam, ea tamen potissimum ratiocinatione, quam fides Euangeliumq; dictauerant, illudq; in primis quod est in Actis Apostolicis: Sic uenict quemadmodum vidistis eum euntem in Cælum, & quod Dominus ipse prædixit: Tunc parebit signum filij hominis in Cælo. Innumera exempla alia ex Sacris literis & historijs produci possunt, sed non est necesse; & quisque paulo exercitatior in actionibus uirtutis, in se ipso quotidie experitur, quid, quantumue in tentationum præsertim periculis aduersus quosque spirituales hostes hominis, ex suscitata fides ualeat. Sed quoniam perfecta fides ratiocinationes uti diximus, præ simplicitatis fidei studio repudiat, nimirum, quia una Dei dicentis auctoritate satis se firmam tutamque reputat, quæret fortasse quispiam, unde cõstet nobis id quod credimus Dei auctoritate dictatum esse. Et Re-

Act. 1.

Math. 24.

ſpondetur breuiter id quod etiam ante ſignificatum eſt, conſtare id nobis unius Romanę ac Catholicę Eccleſię teſtimonio, ab uno enim Romano Pontifice, tanquam vero legitimoque S. Petri ſucceſſore, poſtulandum & expectandum, ut confirmet fratres; quandoquidem fidei Cathedram nunquam defecturæ accepit à Chriſto; Illudq; S. Cypriani dictum animo perpetuò infigendum. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & vna cathedra monſtretur. Terminus igitur diſquiſitionum ac ratiocinationum noſtrarum in fidei dogmatibus ſit vna Petra Petri, Romana inquam Sedes, ad quam ſcrupuli cogitationum omnes, omnesq; maiores aduerſus fidem tentationum machinæ, fortiter allidantur, & confringantur. Ad hanc eandem normam diſcernantur, & dirigantur reuelationes, ſi quæ nobis nec optantibus, nec cogitantibus aliquando acciderint, eæq; demum admittantur, quas Eccleſia probarit, reijciantur quas illa reiecerit. Qua de re cum ſpiritualibus viris, & quibus Sanctæ Eccleſiæ ſenſus ſit planè notus ac perſpectus, agendũ eſt, eorumq; iudicio ſtandum, quandiu ex ipſa Petri Cathedra ſi ita res poſtulet, quid tenendum ſit, conſtitutum intelligatur.

Lib. de vnitate Eccleſiæ.

Hac de re plura ſcripſi in Tertio libro de Diſciplina, aliqua adhuc dicturus poſt, cum de Prudentia diſputabitur. Hæc de fide.

De

De Dei Timoris Actionibus, Occasionibus, Indicijs. Cap. XVII.

EX fide nasci timorem Dei, colligit S. Thomas ex illis S. Iacobi verbis: Dæmones credunt, & contremiscunt. S. Basilius ex eo, quod fides Dei iustitiam, & iudiciorũ eius momenta consideranda proponit. Iccirco S. Augustinus: Cœpit aliquis credere diem iudicij, si cœpit credere, cœpit & timere. Quare consentaneum est, ad ea quæ dicta sunt de Actionibus fidei, aliquid addere de Actione Timoris. Quamuis enim propriè Timor Virtus non sit, Virtutis tamen effectus, & via ad Virtutem est, præter quàm quod donum est simul Spiritussancti. 2. 2. q. 7. art. 1. Iacobi. 2. Regul. breu. Inter. 209 In Epist. Io. tract. 9

Timoris igitur de quo agimus gradus & Actiones aptè distinguit S. Augustinus. Ex cuius verbis natura etiam & vis Timoris haurietur. Dignamini ait aduertere. Aliqui propterea tantum timent, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, ne alicuius amissio chari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio, propterea timent, & tremunt. Hæc ille. Hic primus est gradus Timoris Dei. Nec est iste timor ille mundanus, quem malum esse affirmant Theologi, propterea quod per illum homo innititur mundo tanquam fini, ac Deo posthabito, quidlibet facit, ne mundi mala incurrat; hunc enim arcet à nobis Christus, cũ ait: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus. Hunc non solum non amplectendũ, sed formidandum maximè suadet S. Nazianzenus. Nihil In Ps. 127. S. Thom. 2. 2. q. 19. ar. 3. Lucæ 12. Oratione Prima de Pace.

hil perinde timendum est, quàm ne quid magis quàm Deum timeamus. Quanquam autem is qui damna ab S. Augustino numerata extimescit, mundanus videtur, mundanus tamen omninò non est, cum ea extimescit, ne Deum offendat, aut certè ne peccet. Et quædam concessetur attritionis species, quamuis infima à peccatis quempiã velle prorsus animũ cohibere timore huius modi malorum, quæ non dubitat à Deo ad vlciscenda peccata peccatoribus infligi. Est igitur timor hic de quo S. Augustinus loquitur, primus gradus timoris seruilis. Propterea enim addit: Adhuc timor iste non est castus. Sequitur secundus in hæc verba: Adhuc audi: Alius nõ in hac terra pati timet, sed gehennam timet, vnde terruit te Dominus. Audistis cum Euangelium legeretur: Vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia verè futura sunt impijs, timent, & continent se à peccatis; habent timorem, & per timorem continent se à peccato; timent quidem, sed non amant iustitiam. Et hic est alter gradus seruilis timoris. Hoc autem quod ait: sed nõ amant iustitiam, intelligitur eos non induci in odium peccati amore iustitiæ. Proinde sequitur S. Augustinus: Cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & iam incipit homo iustè viuere propterea, non quia timet pœnas, sed quia amat æternitatem. Excluſus est ergo timor à charitate, sed succesſit timor castus, secundum quem debemus intel-
Psal. 127. ligere: Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambu-
Psal. 32. lant in vijs eius. Hic etiam timor Sanctorum appellatur,

&

& timor filiorum Dei: Castus autem, quod sit similis timori Sponsæ aduersus honestissimum & amantissimum coniugem. Mal. 1. Psal. 18.

Effectus timoris Domini multi sunt. Primus est acuere intellectum ad Dei iudicia, iustitiamq; considerandam, ex quo fit, vt simul attendat diligenter homo sibi ipsi, penitusq; se penetret, peccataq; etiam minima accuratè inquirat, ac deprehẽdat: hoc est enim illud tam sæpè repetitum in Sacris literis: Initium sapientiæ timor Domini. Et illud apud Salomonem: Qui timet Dominum, nihil negligit. Vt enim (ait Climacus) solis radius domum per foramen ingressus, cuncta quæ in ea sunt illuminat, ita & timor Domini, si fuerit in anima, cuncta ei peccata sua etiam minutissima ostendit. Primus effectus. Psal. 110. Prou. 1.9. Eccl. 1. Eccl 7. Gradu secundus.

Alter effectus timoris est, vitæ antectæ pœnitentia, & retractatio. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit, dicebat Dauid, hoc timore vtiliter perculsus. Et, Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Deniq;, Qui timet Deum conuertetur ad cor suum. Et, Timor Domini expellit peccatum. Secundus Effectus. Psal. 129. Psal. 18. Eccl. 21. Eccl. 1.

Tertius effectus est, fuga peccati, ac propositum ab eo sese quàm longissimè abalienandi. hoc est enim illud: Time Deum & recede à malo; Est enim timor Dei perpetuus iustitiæ comes; ideo, qui sine timore est, non poterit iustificari. Et Beda in illa verba S. Luca: Simeon iustus & timoratus. ait: Difficile iustitia sine timore custoditur; quo iustus Deum, quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cauet; estq; hæc ratio & gradus ex timore seruili ad timorem castum, cum ut ait S. Gregorius, perfecta compunctio formidinis, tradit animũ Tertius Effectus. Prou. 3. Eccl. 1. Lucæ 2. Lib 3. Dialog. c. 34.

com-

Quartus Effectus. compunctioni dilectionis. Quartus timoris effectus est, fortitudo aduersus tentationes quæ hominem ad peccatum reuocant; is autem non tam ex vi naturaq; timoris existit, quàm ex singulari ope Diuinæ maiestatis, qua sustinet ne labantur, homines timore sui occupatos. Sic Salomon: Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis. Et, Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen aroris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis. & adiutorium casus exaltans animam, & illuminãs oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Hoc ipsum illud est quod precatur Dauid: Cõfige timore tuo carnes meas; hoc enim confixa iaculo caro, reliquaq; passionum turba, quæ tentationum seges est, languescit, & deficit, ac spiritui magnam molestiam exhibere desistit. Quintus effectus est, sancta solicitudo recte ambulandi (ut Propheta loquitur) cum Deo; eius unam voluntatem in rebus omnibus tanquam vitæ curriculi Cynosuram contemplando. Si quidem (ait Salomon) Qui timent Dominum, inquirent quæ placita sũt ei, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas. Hi sunt effectus actionesue proximè ex Dei timore manantes. Nunc de occasione excitandi timoris, pauca.

Eccl. 33. Eccl. 34. Psal. 118. Quintus Effectus. Michęę 6. Eccl. 2.

Prima Occasio. Occasiones cõmouẽdi timoris Dei in nobis, sũt subitæ & improuisæ mortes. Nostris tẽporibus ante pedes Alfonsi Ferrarię Ducis mortuus concidit nobilis Dinasta Papę Dux ait: & hęc me Monachũ, aut Iesuitã, nõ faciẽt? Timoris similiter occasiones sunt tonitrua, tẽpesta-

Secunda Occasio.

tes,

tes, fulmina. Scribit Beda de S. Ceadda Episcopo hæc: Si repentè flatus uenti maior assurgeret, continuò misericordiam Domini inuocabat, & eam generi humano propitiari rogabat; si autem violentior aura insisteret, procidebat in faciem, atq; obnixius orationi incũbebat; at si procella fortior aut nimbus perurgeret, uel & coruscatio, & tonitrua terras & aëra terrerent, tunc ueniens ad Ecclesiam solicitus, orationibus ac Psalmis, donec serenitas aëris rediret, fixa mente vacabat; Cumq; interrogaretur à suis, quare hoc faceret, respondebat, non legistis: quia intonuit de Cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam? Misit sagittas suas, & dissipauit eos? fulgura multiplicauit, & conturbauit eos? Mouet enim aëra Dominus, ventos excitat, iaculatur fulgura, de cælo intonat, ut terrigenas ad timendum se suscitet, ut corda eorum in memoriam futuri Iudicij reuocet, ut superbiam eorum dissipet & conturbet audaciam, reducto ad mentem in tremendo illo tempore, quando ipse cælis ac terris ardentibus uenturus est in nubibus, cum potestate magna ac maiestate, ad iudicandos viuos & mortuos; propter quod oportet nos admonitioni eius cęlesti, debito cum timore & amore respondere, ut quoties aëre commoto manum ad feriendum quasi minitans erexerit, nec adhuc tamen percutit, mox eius imploremus misericordiam, & discussis penetralibus cordis nostri, atque expurgatis vitiorum ruderibus, soliciti ne unquam percuti mereamur, agamus. Hæc Beda. Quid fecisset S. Episcopus, si uidisset Anastasium Imperatorem hæreticum, aut etiam Tullum Hostilium Romanorũ Regem fulmine ictos, cum tota domo con

Lib. 3. Histor. Angli. c. 28.

Psal. 17.

Blondus lib. penul. Decadis.

Valerius lib. 9. cap. 12.

flagrare? tactas de Cęlo nõ modo ędes, sed vicos ipsos, syluas, vrbes integras inextinguibili incendio consumi, aut terræ motu atque hiatu interdum absorberi? Et quis neget hæc à Deo fieri ad timorem incutiendum hominibus, cum ipsemet Deus legis antiquæ promulgationem non fecerit, nisi in magnis tonitruis, coruscationibus, tenebricosis exhalationibus, ut (inquit Moyses populo) terror illius esset in vobis, & non peccaretis? Et in Euangelio nonne legimus cum prodigia in cælis, in terris, in mari fient, deniq; terroresq; de cęlo arescere homines debere præ timore, & expectatione corum, quæ superuenient uniuerso orbi? S. Paulus certè Christi fulgore ne dicam an fulgure prostratus in terrã, ac cæcitate percussus, in semet redijt tremens, & Christo se dedidit. Et, cum repentina morte sublati sunt mortui Ananias & Saphira, ad vnam Apostoli Petri vocem, scribit S. Lucas: Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc. Ergo communes ac priuatæ calamitates incitamenta timoris sunt. Quid facient eæ quæ nos & attingunt, & vrgent angustius? Sanè in Scripturis infaustum prognosticon est: Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Cum igitur angimur animis, cruciamur corporibus, cum vexantur fortunę, cũ ardent tecta, diripiuntur oppida, vastantur prouinciæ fame cęde, bello, flammis, peste; nec solum cum iam adsunt hæc, sed etiam cum adhuc impendent, instant, appropinquant, nil aliud prorsus prædicant, nil clamant aliud, quàm, Timete eum, qui postquàm occiderit corpus, habet potestatem animam mittere in gehennam,

Exod. 20.
Lucæ 21.
Act. 9.
Act. 5.
Iere. 5.
Lucæ 12.

ita

ita dico uobis, hunc timete.

Occasiones timoris Dei sunt ipsimet principes ẽt secu- Tertia Occasio.
lares, qui cum imperio & potestate Rempublicam ad
ministrant: Nam Principes ait Apostolus, non timori Rom. 13.
boni operis, sed mali. Sunt igitur timori; Ipsimet fasces,
eorum satellites, & lictores, quid aliud ostentant, quid
petunt nisi timorem? Non enim (ait idem) sine causa
gladium portat: Dei enim minister est, uindex in irã, ei,
qui malũ agit. Miserabilis ille aspectus, cũ reos cõdem-
natos cernimus ex vinculis, excarceribus, vel ad gra-
uiora rapi supplicia, uel ad cædẽ & cruorẽ extrahi; cũ cru
ces, tormenta carnificẽ, cruciamẽta mẽbrorũ, mortes, ca
dauera proiecta videmus. Tetrũ & detestabile nunciũ,
viros innocentes in latronum ac piratarum manus inci
disse, inhumaniter accipi, spoliari, lacerari, necari; hęc ta
men & his similia sexcenta cernuntur, & audiuntur uti-
liter, si nobis sint Dei timoris monimenta. Sed quid est Quarta
opus extrinsecus expectare timoris occasiones? intus in Occasio.
nobis est conscientia anteactæ vitæ nostræ, ac tantorũ
scelerum quanta nos ipsi aduersus Deum commisisse
recordamur. Hæc, quoties ista in mentẽ ueniunt, nõ so
lum timorem sed sollicitudines, & horrores facit; nec si
velimus, ea vult à nobis recedere, quando nec etiam
apud inferos synderesis vermis extinguitur, ut eo sem-
per ad maximum cruciatum exedantur illorum animi,
qui dum hic viuerent, eo ad Dei tam salutarem timorẽ
uti neglexerunt. Quin ipsa timoris parens Christiana Quinta
fides, qua imbutæ sunt Christianorum mentes, quam Occasio.
materiam huic timori non suppeditat Statutum est (ait Hebr. 9.
Apostolus) omnibus hominibus semel mori; post hoc

Iob.21. autem iudicium? Item: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. In inferno autem
Iob.10. ignis æternus, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; ex eoq; nulla exeundi spes, quia in inferno nulla redemptio. Hæc quia certissima & testatissima sunt, cum recurrunt in animum, nisi stipites & planè plumbei simus, timorem sine dubio cient; recurrunt autem sæpè, si attendimus, & sæpiùs si non desit uel parua industria. Sed fortasse hæc ad timorem seruilem pro
Sexta Occasio. uocant, Christus igitur uocet ad timorem filiorum. quã
Psal 33. do ipse ait: Venite filij audite me, timorem Domini do-
Ioan.1. cebo vos. Vocat autem factis. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ob idq; Verbum Caro factum est. Vocat
Ioan. 17. Gloriam patris prædicando; Pater manifestaui nomen tuum hominibus. Vocat fundendo sanguinem, mor-
Rom. 5. tem Crucis subeundo; Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius. Vocat denique Regnum Cælorum, hoc est ipsummet patrimonium suum, hæreditatemq; Patris nobiscum se communica-
Matth.25. turum pollicens. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est. Sed eo in primis stimulo ad timorem hunc concitat, cum verbis quidem sed magis adhuc exemplo ad vigilias, ad labores, ad corporis cruciatus & mortem pro Dei gloria suscipiendã
Rom. 8. instruit, ut si compatimur, & cõglorificemur; & præsertim dum illa subinde commemorat; Non est discipu-
Lucæ 6. Lucæ 23. lus suprà magistrum. Et, Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Hæc de occasione. Nunc Indicia ponamus aliqua, præsertim casti timoris.

Primum Indicium. Primum Indicium ex S. Augustino, qui cum ante dixisset

dixisset hoc esse discrimen inter fœminam castam timẽ tem virum, & adulteram, quod illa timet, ne discedat vir, hæc ne veniat: & si sit absens, illa, ne tardet, hæc, ne veniat: Addit, Absens est sponsus noster, interroga cõscientiam tuam; Vis ut ueniat, an adhuc vis, ut tardet? Qui dicunt, utinam veniat, multum amant; & si dicatur illis, tardabit, timent, ne tardet, quia timor castus est. Castus ergo timor hoc habet, uenit de amore. In Ps. 127.

Secundum Indicium ex eodem S. Augustino, qui sic pergit: In quo est castus? Iam interrogo uos aliquid, quod vosmetipsos interrogetis; Si Deus veniens voce propria loqueretur nobis, & diceret homini, peccare vis? pecca; fac quicquid te delectat; quicquid amaueris in terra tuum fiat; cui fueris iratus, intereat: quẽ rapere volueris, rapiatur: quem cædere, cædatur: quem damnare, damnetur: quem possidere, possideas; Nemo tibi resistat, nemo tibi dicat, quid facis? nemo noli facere quod velis, nemo quare fecisti? abundent tibi omnia ista terrena, quæ concupisti, & viue in illis non usq; ad tempus, sed semper, faciem tantum meam nunquam videbis. Fratres mei vnde ingemuistis? nisi quia iam natus est timor castus permanens in seculum seculi? Quare percussum est cor uestrum? si diceret Deus faciem meam nunquam videbis. Ecce omni ista felicitate terrena abundabis, circumfluent te bona ista temporalia, non illa amittis, non deseris, quid uis amplius? fleret quidem & gemeret timor castus, & diceret, immò tollantur omnia, & faciem tuam videam; exclamaret de Psalmo: Deus virtutum conuerte nos, & ostende faciem tuam, & salui erimus. Et, Vnam petij à Domino. Vide Secundũ Indiciũ. Ibidem. Psal. 79.

quo-

quomodo ardeat timor iſte caſtus, timor uerus, timor
Pſal.26. ſyncerus. Vnam petij à Domino, hanc requirã. Quid? vt inhabitem in domo Domini, per omnes dies vitæ meæ. Hæc S. Auguſtinus.

Tertium Indiciũ. Tertium Indicium, digniſſimumq; viro proficiente & perfecto (non enim in vſum deducendum eſt, niſi ab ijs qui iam didicerint in acie fortiter ſtare aduerſus
Lib. de ſimilitudinibus, cap. 190. propriam animi imbecillitatem) adfertur à S. Anſelmo his verbis: Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem Inferni horrorem, & neceſſariò vni illorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem. Et quod magis mireris: Mallem ait, purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm peccati ſorde pollutus Cælorum regna tenere, cum conſtet ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in cæleſti beatitudine foueri. Hoc indicium eſt maximè proprium timoris caſti, cuius uti diximus, eſt peccatum expellere, ea ratione maximè, quòd non ſolum animum inducit in propoſitum ac firmam volũtatem illud cauendi, ſed ſua ſolicitudine ac ſtimulis efficit etiam, ut caueat.

Quartum Indiciũ. Quartum Indicium eſt magna contentio ut Chriſtũ imitemur cum ſpe quidem magna, eo quo tendimus cum Dei gratia perueniendi, ſed non ſine pari cura ac
Serm. 11. in Ep. ad Philip. Philip.3. ſolicitudine. Egregiè id tractat S. Chryſoſtomus exemplo Apoſtoli Pauli: Si quo modo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis. Adeo enim ait, magnum erat, vt neq; aſſeuerare auſus fuerit, ſed tantum inquit; Si quo modo credidi in ipſum, & eius reſurrectionem. Præterea, propter ipſum patior, nec tamen adhuc poſ-

ſumus

sumus omninò confidere ut resurgamus. Quam hoc loco resurrectionem dicit? nimirum eam, quæ ad ipsum ducit Christum. Dixi me credere in eum, & virtuti resurrectionis eius, & socium me esse passionum suarū, configuratumq; me esse morti eius, ueruntamen post hæc omnia nondum penitus confido. Quod alibi dixit: Qui se existimat stare, videat, ne cadat. Et rursus: Timeo, nè fortè cum alijs prędicauerim, ipse reprobus efficiar; non quod iam acceperim, &c. Quid est iam acceperim? Brauium inquit. Quod si qui tanta perpessus fuerat, qui vexabatur, qui mortificationem habebat, nondum de resurrectione illa fidenti & securo animo erat, quid tandem dicemus nos? Quid est, si comprehendam? quod antea dixerat: Si occurram in resurrectionem, quæ est ex mortuis; si comprehendam inquit, ac teneam ipsius resurrectionem, id est, si tanta pati potuero, si ipsum imitari potuero, si conformis ipsi fieri, quemadmodum multa passus est Christus, sputis fœdatus est, virgis cæsus, ac demum mortem subijt. Hoc studium est, per hæc omnia opus est ad illius resurrectionem uos peruenire omnia certamina perferentes. Sequor autem si quomodo comprehendam. Adhuc mihi vita in certamine versatur, adhuc à meta longè absum, adhuc à brauijs disto, adhuc curro, adhuc sequor; & non dixit curro, sed sequor: ac meritò. Nam qui apud Græcos dicitur διωκτὴς, id est qui sectatur, nostis quantam contentionem in sectando adhibeat, neminem intuetur; omnes quicunq; cursum illius interrumpunt, magno impetu propellit; & mentem & oculos, & vires, & animam, & corpus contrahit, solum Bra-

2. Cor. 10.

1. Cor. 9. Philip. 3.

uium

uium ſpectans, præterea nihil. Quod ſi Paulus tantus ſe ctator, ac tanta paſſus, adhuc inquit: Si quomodo comprehendam; quid dicemus nos? Hæc ibi.

Quintum Indiciũ.

Indicium Quintum Timoris Dei ſit, de nobis ipſis cogitare, ſentireq; valdè humiliter, ac demiſsè, optareq; ardenter Dei voluntatem in rebus noſtris omnibus agnoſcere, illiq; conſtanter obtemperare. Sic habet S. Auguſtinus: Ante omnia opus eſt Dei timore conuerti ad cognoſcendam eius uoluntatem, ſi quid nobis appetendum, fugiendumq; præcipiat; Timor autem iſte cogitationem de noſtra mortalitate, & de futura morte neceſſe eſt incutiat, & quaſi clauatis carnibus omnes ſuperbiæ motus ligno Crucis affigat.

Lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 7.

De Actionibus, & exercitatione Spei.
Caput XVIII.

Prima Spei Act.

PRima & maximè propria Spei, quæ Theologica Virtus, eſt Actio eſt, certiſſima expectatio æternæ vitæ. In ſpem vitæ æternæ ait Apoſtolus, quam promiſit, qui nõ mentitur Deus, ante tempora ſecularia. Hæc eſt enim repromiſſio (ſcribit S. Ioannes) quam pollicitus eſt nobis, uitam æternam. Eſt autem hæc ipſa beatitudo noſtra, quæ nihil eſt aliud, quàm ipſe Deus à nobis videndus, amandus, fruendus, ſicuti eſt. Iccirco ait: Speramus in Deum viuum. Et cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt. Eſt autem certiſſima hæc expectatio, quia fide nititur, & promiſſioni

Tit. 1.

3. Io. 2.

1. Tim. 4.

1. Ioan. 2.

missioni eius, qui non mentitur, Deus. Quæ iccirco repromissio nominatur in Scripturis, ut quamuis vna facta sufficiat, sæpius tamen repetita, nos promissi maximè certos reddat. Eleganter explicat S. Thomas huius nobilissimæ Actionis rationem. Non enim inquit, minus aliquid à Deo sperandum est, quàm sit ipse, cum non sit minor eius bonitas, per quam bona creaturę communicat, quàm eius essentia. Ideoq; proprium & principale obiectũ Spei est Beatitudo æterna Hæc ille. Hic est ille bonorum finis tantoperè quæsitus à Philosophis, nunquam tamen inuentus. Hoc est illud extremum, & vltimum, quò sunt omnia nostra consilia factaq; referenda. Hoc illud summum, quod in rebus expetendis sequamur oportet. Hoc vnum tandem aliquãdo non adipisci, est extremum malorum omnium, nobis omni contentione, omnibus ut aiunt, uelis remisque fugiendum. Hanc actionem sequitur magna animi lætitia, quòd tanto bono, quantum est æterna vita, ac Deus ipse, quasi iam præsente spe fruamur certa. Ideo enim Apostolus: Spe gaudentes. Et, Spe salui facti sumus. Et, Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Hinc illa sanctorum desideria: Hei mihi, quia incolatus meus prolungatus est. Et desiderium habens dissolui, & esse cum Christo. Amen veni Domine Iesu. sanè sapiens S. Augustini affectio illa; Tanta est pulchritudo iustitiæ, tanta iucunditas lucis æternæ, hoc est incommutabilis veritatis atq; sapientiæ, vt etiam si non liceret amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solũ innummerabiles anni huius vitæ pleni delicijs ac circumfluentia temporalium bonorum rectè meritoque

2. 2. q. 17. art. 2.

Rom. 12. Rom. 8. Rom 5. Psal. 119. Philip. 1. Apoc. vlt. Lib. 3. de libero arbit. c. vlt.

contemnerentur. Non enim falso aut paruo affectu dictum est. Quoniam melior est dies vnus in atrijs tuis, super millia. Deniq; S. Paulus Spem vocat ancoram animæ tutam & firmam incedentem usq; ad interiora velaminis.

Psal. 83.

Hebr. 6.

Secunda Spei Act.

Altera Spei Actio est sperare, certòq; qui sperat, sibi polliceri de Deo promittente, si illi ut debet respondeat, totum illud ac singulare Diuinę liberalitatis beneficium & auxilium, quod necessarium est homini ad æternam vitam consequendam; non enim vult Deus nos Diuinam, immò & nostram beatitudinem expetere, nec appetere ea sine quibus Beatitudo ipsa obtineri nequit; aut illam sperare non speratis ijs quorum adeptione beata uita adipiscenda est. Hæc sunt Remissio peccatorum, Dei gratia & amicitia, Virtutes & dona omnia, quibus expletur, & cumulatur status viri boni & perfecti Christiani, & vno nomine Sanctificatio dici potest: de qua Apostolus: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum uestrum in Sanctificatione, finem verò vitam æternam. Id autem totum maximè speramus, quia Christus Dominus Mediator Dei & hominum, & vera propitiatio pro peccatis nostris, factus nobis à Deo Iustitia, Sanctificatio & Redemptio, sanguine suo meruit ut id speraremus, & assequeremur. Per quem (ait Apostolus) & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in Spe gloriæ filiorum Dei; vnde etiam ortũ habet firmitas Spei; Nam ut ait argutè Gulielmus Parisiensis: In Dei Logica nullum argumentum validius ad bene Syllogizandũ, atq; probandum, quàm mors vnigeniti

Rom. 6.

Rom. 5.

Lib. de moribus cap 3.

geniti filij Dei, nullum ad destruendam hæsitationem adeò efficax aut ualidum, cum non solum inferatur, sed etiam conferatur securitas de omnibus Dei beneficijs per huiusmodi medium. Hæc ille. Atq; hæc est causa cur ab Apostolo non solum mediator nominetur Christus, sed Spes nostra. Ad hoc idem caput referuntur auxilia Dei, quibus nobis in calamitate positis opitulatur; iccirco tam sæpè Dauid in Deo spem suam omnem collocatam vult. Spes mea ab vberibus matris meæ. Spes mea in Deo est. Quoniam tu es Domine spes mea. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. similiter Apostolus, & alij nempe fideiussionem eius habebant. Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum. Et testatum est illud Apostoli, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio uerò Spem.

1. Tim. 2.
1. Tim. 1.
Col. 1.
Psal. 21.
Psal. 64.
Psal. 9.
Psal. 36.
Psal. 90.
Rom. 5.

Tertia Spei Actio, est in Angelorum sanctorumque hominum, qui uel apud Deum in summa illa felicitate viuunt, vel adhuc nobiscum in terris superstites sunt, amore beneuolentia & orationibus stabilis fiducia: Beatissimæ Virginis Deiq; matris in primis. Quãquam enim Spes quæ Theologica Virtus est, hac fiducia non eget, eam tamen non adimit, immò admittit tanquam affinem, & administram; neque nos ea nitimur, aut utimur, nisi quatenus ea Diuinæ Spei atque adeo Diuinæ prouidentiæ famulatur; quod nisi verum esset, ut quid apud Tobiã Angeli Tobiæ ac Sarræ vota preceſq; Domino offerunt? ut quid in Apocalypsi ascendunt sicut fumus aromatũ orationes sanctorũ ante Deũ? ut quid Iob, aut Eliphaz apud Iob iubet conuerti ad aliquem

Tertia Spei Act.
Tob. 3. & 12.
Apoc. 5. & 8.
Iob. 5.

1. Reg. 7. sanctorũ? Israelitæ rogant Samuelẽ ut non cesset pro illis orare? Apostolus se tam sæpè commendat Christianorum populorum orationibus? quare orationes sanctorum, non sunt in Deum iniuriæ, sed Diuinæ prouidentiæ seruiunt; nec nos à Dei cura subtrahimus, cum à Dei amicis opem petimus, sed committimus, ac per amicos & familiares eius ad ipsum nobis aditum patefacimus, ac munimus; nec male speramus aut imprudẽter, si ut Diuinę uoluntati obsequamur, sanctorumque apud Deum gratiam prędicemus, ad sanctorum oratio nes confugimus, ad Beatissimam Virginem præsertim, quę iccirco ab Ecclesia & Sanctis Patribus secundum Deũ unica Spes nostra est, & nominatur. Atq; hæ sunt præcipuè nostrę spei Actiones. Ad quas accedunt aliæ his consentaneæ, & quæ à Sanctis Patribus ponderantur; eas hic breuiter adscribo.

Quarta Spei Act. Quarta igitur Actio Spei est, patientia in tribulationibus, vt nunc ex Apostolo proferebamus; at non quæcunq; patientia, sed perfecta ueteris hominis mortificatio, qua nos ipsos Deo nos uexationibus exercenti, plenè subijcimus, ac propter spem futurę beatitudinis in eius uoluntate patientissimè acquiescimus. S. Augustinus cum docuisset hominis ingenio uarijs artibus domari Camelos, Elephantes, Equos, Leones, Aspides ipsos, sic scribit: Imago Dei doinat feram, & non domat Deus imaginem suam? In illo spes est, ei nos subdamur, & misericordiam precemur; In illo spem nostrã ponamus, & donec domemur, & perdomemur, idest perficiamur, domitorem feramus, plerunq; enim profert domitor noster etiam flagella; si enim tu ad domanda

Ser. 4. de verbo Domini.

manda iumenta tua, profers uirgam, Deus non proferat ad domanda iumenta sua, quæ sumus nos, qui de iumentis suis faciet filios suos? Domas equum tuum tu, & quid daturus es equo tuo, cum te cœperit portare? At domito tibi Deus hæreditatem seruat, quod est ipse Deus, & ad tempus mortuum resuscitat te, carnem tuam vsq; ad numerum capillorum reddet tibi, & constituet te cum Angelis in æternum, ubi iam non indigeas domari, sed tantum à pijssimo possideri; erit enim tum Deus omnia in omnibus; nec erit ulla infelicitas, quę nos exerceat, sed felicitas sola quę pascat. Ipse autem pastor noster, Deus noster est, Ipse potus noster, Deus noster, Honor noster, Deus noster, Diuitię nostrę, Deus noster, quęcunq; hic uaria quęris, ipse tibi unus omnia erit. Ad hanc spem homo domatur. Hęc S. Augustinus. Et hoc est quod tam sæpè ponitur in Scripturis, pręsertim apud S. Paulum: Si compatimur, & conregnabimus. Non sunt condignę passiones huius tẽporis ad futuram gloriã, quę reuelabitur in nobis. Et, Momẽtaneũ & leue tribulationis nostrę supra modũ ęternũ glorię põdus operatur in nobis. Et idẽ alibi. Rom. 8. 2. Cor. 4.

Quinta Spei Actio, est contemptio rerum humanarum, & omnium illorum bonorum, quę uidentur quidem mundanis hominibus bona, re vera tamen speciẽ tantum habent bonorum, adeò sunt fluxa, incerta, caduca. Idem S. Augustinus, cum ad Parabolam illam Euangelicam, in qua mentio fit panis, piscis, & oui, explicasset pane Charitatem, pisce Fidem intelligi, comparandam ouo Spem, ait: Spes enim nondum peruenit ad rem. Et ouum est aliquid, sed nondum est pullus. Quinta Spei Act. De Verbo Domini. ser 29.

lus. Quadrupedes ergo pariunt filios, aues autem spem filiorum. Spes ergò nos adhuc hortatur, vt præsentia cõtemnamus, futura expectemus, ea quæ retrò sunt obliuiscentes cum Apostolo in anteriora extendamur. Sic enim dicit: Vnum autem quæ retrò oblitus, in ea, quæ antè sunt extentus, secundum intentionem sequor ad palmam supernæ Vocationis Dei, in Christo Iesu. Nihil ergò tam inimicum Spei, quam retrò respicere, id est, in eis rebus, quæ præterlabuntur, & transeunt spem ponere: sed in his, quæ nondum datæ sunt, sed dandæ, quandocunq;, & quæ nunquam transibunt, non spera re. Retro respexit vxor Loth, & ubi respexit, ibi remansit; in salem conuersa est, ut prudentes condiret exemplo. Quo tuo scorpium time; vide, quia de cauda percutit, quam retrò habet; non ergo scorpius perimat ouum tuum, mundus iste spem tuam, ut ita dicam veneno cõtrario quo retrahio. Hæc & plura alia cum S. Augustinus præclarè dixisset aduersus mundanos homines, qui nec sperant ipsi cælestes diuitias, nec alios sperare sinunt, vt doceat, qua ratione eam nos depellamus tentationem, Spemq; nostram stabiliamus, addit. Nos ouum nostrum sub alis illius gallinæ ponamus, quæ clamat in Euangelio: Hierusalem Hierusalem, quoties volui, &c. Illa gallina Diuina Sapientia est, sed assumpsit carnem, vt pullis congrueret. Videte gallinam hispidam plumis, demissis alis, voce fracta, & quassa, & lassa, & languida congruere pullis suis. Ouum ergo nostrum id est spem nostram sub alis illius gallinæ ponamus. Animaduertitis fortè, quomodo gallina concidat scorpionem. Vtinam ergo & istos blasphemantes, in terra reptantes, de

Philip. 3.

Matth. 23.

cauernis

cauernis prodeuntes, & malè pungentes, illa gallina cõ cidat, & deuoret, in corpus suum traijciat, & in ouum vertat. Hæc ibi. Similia apud alios Sanctos Patres legimus, præsertim apud S. Chrysostomum, qui quodam loco sic habet: Spes catena aurea est & firma, qua de cælo propensa subducimus animas nostras, quæ breui sursum in illud summum fastigium eos, qui ipsam fortiter manibus seruant, euehit, & seruat supra fluctus præsentis vitæ omnium longè periculosissimos. Auctor etiam Imperfecti, vocat Spem pretiosiorem terrenis rebus omnibus, & uitam iucundiorem omni fruitione carnali. Excelluit tamen S. Augustinus in prędicatione Spei, ac ideò ex illo adhuc alia colligenda.

Lib. de reparatione lapsi ad Theod.

Hom. 12. in Matth.

Sexta spei Actio abdicatis terrenis bonis propter cę lestium spem, seipsum prorsus abnegatum Deo consecrare ac deuouere, propter æternam uitam. Sic S. Augustinus. Amemus vitam ęternam, & ex eo nouerimus, quantum pro vita æterna laborare debeamus, cum videmus homines amatores prędentis vitę ac finiendæ, sic pro illa laborare, vt cum venerit metus mortis, quic quid possunt, faciant, non vt auferant, sed vt differant mortem. Et paulo post. Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, vt differant mortem, & viuant paucos dies, ne perdant paucos dies, quàm stulti sunt, qui sic viuunt, vt perdant diem æternum? & cum æternam vitam vtcunq; descripsisset, hoc inquit, quantum erat emendum, si venale esset, quantum dandum erat, vt emeretur? sufficeret quicquid haberes, etiam si totũ mundum possideres. Et tamen uenale est, eme si uis; nec multum exæstues de re magna propter pretij magnitu-

Sexta Spei Actio.

Serm. de Verbis Domini. 64.

gnitudinem. Tantum ualet, quantum habes. Sed noli quærere quid habeas, sed qualis sis; Res ista te valet, quantum es tu; te da, & habebis illam. Hæc de Actionibus Spei.

Prima occasio Spei.

Occasiones spei Christianis & pijs mentibus sese offerũt plurimæ. Primò inter orandum Est enim Oratio Christiana non solum Spei soboles, sed quæ tota spei fiducia nititur ad id à Domino obtinendum, quod po-

Iacobi 1. stulat; Postulet autem in fide (ait S. Iacobus) nihil hęsi-

1. Ioan 5. tans. Et S. Ioannes. Hęc est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunq; petierimus secundum voluntatẽ

Secunda Occasio. eius audit nos. Secundò in vsu Sacramentorum: sunt enim Sacramenta vasa, immò throni gratię, de quibus

Hebr. 4. aptè dici potest illud Apostolicum: Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratię eius: nec ad hęc accedimus, cum ritè accedimus, si non speramus per illa nos ea

Tertia occasio. consecuturos, ad quę sunt diuinitus instituta. Tertiò inter calamitates, afflictiones, fortunas aduersas: nam mala hęc infligit Deus, ut animos terrenis humanisque subsidijs destitutos, erigamus ad Diuina remedia ma-

Psal. 21. gna spe procuranda In te enim sperauerunt ait Dauid Patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. & quo pluribus miserijs, grauioribusq; calamitatibus opprimimur, eo uehementius cum Deo precibus agendum speran-

Psal. 129. dumq; magis de optimi Parentis Dei misericordia. De profundis ait clamaui ad te Domine. Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

Quarta occasio. Quartò, cum nobis nostra peccata quia grauia, quia nefaria, eum timorem injciunt, qui si non desperationem gignit, ab hac certè propius abest. quæ tentatio humi-

humilitate contriti cordis depellitur; Quoniam Cor contritum & humiliatum Deus nos despicies; maximè verò magna in Christum crucifixum spe. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Atq; hæ ac similes occasiones Spei proximæ nominentur, illæ sunt remotiores. Psal. 50. Ad Tit. 2.

Cum spectamus peccatores à Deo per administros suorum Sacramentorum ad pœnitentiam recipi, cum audimus ex superiore loco nullum esse peccati genus quamuis teterrimi ac maximè detestabilis, quod si eius hominem pœnitet, à Deo non condonetur, cum recurrunt in mentem casus hominum desperatorum Caimi, Iudæ, & aliorum, qui multo grauius apud Deum offenderunt, desperatione obdurati, quàm ob ea scelera propter quæ sibi desperandum ipsi censuerunt. Cum Nouatianos quod reditum ad pœnitentiam peccatoribus intercluderent, ab Ecclesia tamquam hostes, hæreticosque damnatos, intelligimus. Cum nocentissimos homines, inquinatissimas fœminas legimus Dei benignitate ac misericordia in sanctissimos Heroas, Viragineſque conuersos. Testis inter Viros Paulus, Apostolus ex blasphemo. Testis Maria Magdalena inter fœminas Christo longè charissima Discipula, ex ea quæ fuerat in Ciuitate peccatrix. Adhuc remotiores occasiones Spei opportunæ tamen sunt hæ. Hęres institutus est quispiam; at quæ nos hæreditas manet in cælis? Iustificati gratia ipsius hæredes sumus secundum spem vitæ æternæ. Ad optatus est aliquis ab homine nobili & opulento; at quæ spes adoptionis filiorum Dei? Coronatur Miles ob rem militarem strenuè gestam; quæ erit illa corona Quinta occasio. Sexta occasio. Rom. 3.

2. Tim. 4. iustitiæ quam repositã dicit Apostolus apud Deum omnibus qui diligunt aduentum eius. Triumphat Imperator Dux exercitus, effunditur obuiam Ciuitas, comitatur Senatus, omnium ordinum homines, felicissimus, gloriosissimus, augustissimus acclamatur; quid id est nisi simulata lætitia, honor vmbratilis si cum veritate cęlestium triumphorum & æternæ gloriæ comparetur? Opipare epularis, at quid hoc cum Ambrosia illa ac Nectare? Deniq; omnia quæ hic nobis bona sunt, illecebræ sunt, quibus excitemur ad vera illa ac sempiterna expetenda. Vt dulcescat (inquit S. Augustinus) utrunq; munus Dei, ex hoc quod habemus modo. Ad hoc idẽ occasionum genus reuocantur exempla tam multorũ hominũ, quos maximos videmus subire labores, ipsos etiam perferre grauissimos corporis cruciatus, animiq; angores & curas, quòd in his positas habeant aut ducri aut dignitatis spes aliquas, nec magnas plerumque, semper certè fallaces. Nauigat mercator ad Indos, ut inde aurum referat, vbi fortè seipsum perdet, & nos de cælo mercando vix cogitamus? Quid de ambitionibus, quid de cupiditate hominum dicam? quid nõ patiuntur milites, quæ incommoda, quas iniurias non tolerant aulici, modo honoris aut gratię uel tenuis spes ostendatur? & qui arat (ut ait Apostolus) non ne debet, & solet in spe arare? & qui triturat in spe fructus percipiendi? Eodem exemplo hortatur idem ad liberalitatẽ propter spem æternæ mercedis; Qui enim parcè seminat, parcè & metet. Et, Quæ seminauerit homo, hæc & metet; Immò, ex semine mortuo prius, & post viuificato S. Paulus Spem resurrectionis insinuat. Et certè cũ

Serm 64. de Verbis Domini.

1. Cor. 9.

2. Cor. 9.

1. Cor. 15.

corpus

corpus affligimus utilibus ac neceſſarijs vexationibus, cum carnis & appetitus motus comprimimus, cum noſmetipſos ad normam Euangelicam mortificamus, meminerimus illud: Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale, ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Et ſi quæ de commodis eius & uoluptatibus a utilitatem ſpiritus corpori ſubtrahimus, ſi propter Virtutum exercitationem cogimur ſuſtinere incommoda etiam grauia, liniamus hæc illa ſpe, nobis omnia noſtra à Deo planè tandem reſtituenda, & cumulatius quam intelligi aut dici poſſit, compenſanda. Si quidem & capillus de capite veſtro non peribit. Si premimur rebus aduerſis, ſi urgemur malis mundi ac uitæ huius, ſi duri tolerandi labores, illud ſubinde cogitemus, quia labor noſter non eſt inanis in Domino: Et meritò ab Apoſtolo commendari Theſſalonicenſium ſuſtinẽtiam ſpei Domini noſtri Ieſu Chriſti, nimirum, vt Chriſti Domini meritis, fideiuſſione, ac patrocinio innitentes, eandem & ipſi ſuſtinentiam, & ſpem conſectemur. Poſtremò, quotidianæ & faciles occaſiones Spei ſunt, ſtipem pauperibus Chriſti & Dei nomine flagitantibus largiri, cum nec potus aquæ frigidæ careat apud Deũ mercede ſua, condonare iniurias ad Chriſti imitationẽ. Si quidem dimittite, & dimittemini. Occultius benefacere ad inanem gloriã declinandã. Et Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi. Ingratis honorem habere, officia indignis præſtare, gratis benemereri de hominibus, pro benefactis etiam maledicta referre, idq; non ſolum patienter, ſed etiã alacriter tolerare, quia merces ueſtra copioſa eſt in cælis. Poſtremò, quotidianę

Ibid. Matth. 21 1. Theſ. 1. Lucæ 6. Matth. 6. Matth. 5. Octaua occaſio.

tidianæ & efficaces occasiones Spei sunt, quæ afferuntur nuncia certissima, & frequentissima ex Anglia, ex Indijs ab hominibus nostri similibus, immò nostrorũ quorundam filijs alumnis, fratribus, consanguineis, cõdiscipulis, cõtubernalibus, sodalibus, pro Christiana pietate, pro Apostolica doctrina obiri martyria, exantlari immanes labores, cruciatus, tormenta, vitam cum sanguine profundi ad Christi fidem & gloriam amplificandam, Spectacula item, quę nobis quotidie prębent tam multi graues & literati viri, adolescentes nobiles, & optimę indolis, cuiusq; generis ac sexus homines, qui dignitatibus, opibus, parentibus, amicis, ac mundo vniuerso nuncio remisso, se abdunt in monasteria, uel in hoc eodem iamdiu arrepto proposito, religiosis vinculis voluntarijsque constricti votis, sanctissimè in totius Ecclesię oculis perseuerant; quorum sanè nullus est, in quem non propriè quadret illud Apostoli dictũ: Propter spem Israel catena hac circũdatus sum. Hęc de Spei occasionibus. Nũc de Indicijs & Exemplis aliqua.

Act. 28.

Primum Indiciũ.

Primum Spei Indicium est, Gaudium & iucunditas animi in laboribus ac passionibus pro Christo. Spe gaudentes. S. Augustinus cum quęsisset cur à Propheta dictum sit: Labores manuum tuarum quia manducabis. Quis enim labores manducat, & non potius fructus laborum? Respondet; Modo labores habemus, fructus postea erit. Sed quia & ipsi labores non sunt sine gaudio propter spem, modo nos ipsi labores nostri iocundant, & lętos nos faciunt de Spe. Si ergo labor noster potuit manducari, & potuit iucundare, manducatus fructus ipsius laboris qualis erit? Manducabant labores

Rom. 12.

In Ps. 127.

suos,

ſuos, qui euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua. Quanto iucundius manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos? & paulo poſt, Et quid dictum eſt: Qui manducatis panem doloris? Niſi enim manducaretur, non diceretur panis: Niſi autem haberet aliquam ſuauitatẽ panis iſte, nemo illum manducaret. Cum quanta ſuauitate plorat, in gemitu qui orat? Dulciores ſunt lachrymę orantium, quàm gaudia theatrorum. Hęc ille; & alia. Nouimus inquit Abbas Iſaac apud Caſſianum, Beatum Antonium quandoque ſic permanſiſſe in oratione (prę ſuauitate nimirum) vt ipſo frequenter orante in mentis exceſſu, audierimus eum ſępè clamantem in mentis feruore cum Sol cępiſſet oriri; Quid me impedis Sol? qui modo oriris ad hoc, vt abſtrahas me à charitate huius luminis ueri? Quod & alijs ſanctis viris multis accidit, qui prę lachrymarum dulcedine & copia, Orationis tempore penè oculos amiſerunt. Sed de lachrymis Orationis agit Caſſianus ibidem. Qui quanquam non magni eas ęſtimandas putat, nec negligit tamen, & diuinam ſuauitatem & guſtum nec ipſe nec alius meritò poteſt reijcere, cum & Scripturis Sacris ac Patribus ſint conſentanea, & vt retulimus, comitantur Chriſtianam Spem.

Col. 9. cap. 30.

Cap. 28. 29. & ſeq.

Secundum Spei Indicium eſt, Bona conſcientia. S. Auguſtinus illud Apoſtoli ad Timotheum: Charitas de corde puro, conſcientia bona, fide non ficta, ſic explicat, vt loco Spei poſitam putet ab Apoſtolo conſcientiam bonam; ſic enim ſcribit: Pro Spe conſcientiam poſuit; ille enim ſperat, qui bonam conſcientiã gerit.

Secũdum Indiciũ. 1. Tim. 1.

In Pſ. 31. in præfat.

rit. Quem verò pungit mala conſcientia, retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnationem. Vt ergò ſperet regnum, habeat bonam conſcientiam, & vt habeat bonam conſcientiam, credat, & operetur. Hęc non dicit S. Auguſtinus vt ſpem adimat peccatoribus, quippe Spem ſicut & Fidem non exterminat quodcunque peccatum: ſed vt oſtendat, quibus gradibus Spes conſcendat ad id quod ſperat; & peccatorem vitam ęternam quam ſperat, non adepturum, niſi depoſito prius peccato bonam conſcientiam induerit. Hanc Spem exercuerunt Sancti quique in calamitatibus conſtituti. Sanctiſſima Virgo Maria in primis, quæ cum ſponſum Ioſephum de ſua integritate dubitantem non ignoraret, nihil tamen fecit, aut dixit, quo ſuæ exiſtimationi vel minimum conſuleret, certiſſimam ſpem collocatã habens in Deo, qui iccirco per ſeipſum Virginis patrocinio ſuſcepto, Ioſepho per Angelum errorem omnẽ, ac formidinem eripuit. Eandem ſpem præſetuliſſe Suſannam illam apud Danielem à ſenibus impudicis adulterij accuſatam falsò, nemo dubitat, & apertè de ea ſcribitur: Flens ſuſpexit in cælum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Eiuſdem ſpei Paphnutius fuit, eiuſdem Marina Virgo; hæc cum in ſtupri, ille cum in furti falſam & iniquam inſimulationẽ vocati, tacẽt; niſi quod felicior ac magis admiranda Marina, quę etiã damnata tacet, pœnaſq; ſubit, & ignominiam, moriens adhuc tacet, ſolo muto cadauere poſt mortem locutura, cum Fœmina & Virgo integerrima deprehenſa eſt, quæ viuens Vir, & Virginum ſtuprator habebatur.

Matth. 1.

Dan. 13.

Caſſianus Col. 18. cap. 15. Vitæ patrum p. 1. cap. 44. Pet. de Natalib. lib. 6. c. 108.

Tertium Indiciũ.

Tertium Indicium Spei eſt, Suimet deſpicientia, ac

vitæ

vitæ propriæ abiectio, cum fides & Dei gloria ita ferũt, usq; ad Martyrium & sanguinem. Qua in re ita excellit vera Spes, ut longè superet amorem naturalem quemlibet, quantumcunq; ardentissimum, arctissimũque, qualis est parẽtum, filiorum, coniugum, suiipsius. Exempla sint apud nos Symphorosa & Felicitas, apud Hebræos septem filiorum Machabæa mater, cuius sũt ad filios pro fide mox trucidandos hæc postrema verba. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis: neq; enim ego spiritum & animam donaui uobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi; sed enim, Mundi creator qui formauit hominis natiuitatẽ, quique omnium inuenit originem, & spiritum uobis iterũ cum misericordia reddet, & vitam, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter Leges eius. Sed haud scio an ex infinitis mirabilibus exemplis, huius Spei, quę in historijs sacris narrantur ullum sit præstantius exemplo Nataliæ coniugis Sanctissimi Martyris Adriani, & ipsius etiam Adriani. De ea scribitur in Actis S. Adriani. Cum audisset uetitum esse fęminis ne seruirent Martyribus, neve ad eos in carcerem aditus illis aperiretur, totondit capillos suos, & veste virili induta carcerem ingressa, martyres suis officijs recreauit. Quam post secutæ sunt aliæ matronæ habitu similiter emendito; ac tandẽ, cum Maximianus Tyrannus id comperisset, iussit (inquit historicus ille) incudem in carcerem inferri, & martyrum pedibus subijci, vecteq; ferreo manus ac tibias illorum confringi; fecerunt lictores quod iussi fuerant. Id vt vidit B. Natalia, occurrit eis, rogauitq; ut ab Adriano inciperent, obtemperarunt carnifices, & cum imposuissent

2. Mach. 7.

Surius Tomo 5. 8. Septembris.

fuissent Adriani tibiam super incudem, B. Natalia pedẽ eius apprehendens extendit super incudem, carnifices verò multa ui cædentes, amputarunt pedes eius, & crura confregerunt. porrò B. Natalia ait ad Adrianum, precor te mi Domine, ferue Christi, dum adhuc in te hæret spiritus, extende etiam manum vt amputent eam, vt sanctis martyribus similis efficiaris per omnia, maiora enim supplicia illi perpessi sunt quàm tu. Extendit ergo manum Beatissimus Adrianus, & porrexit eam Nataliæ, illa imposuit eam incudi, & carnifices similiter amputarunt. Deinde amouent ab illo incudem, & mox spiritum reddidit. Hæc ibi & alia multa apud Eusebium & Nicephorum.

Eusebius lib. 8. hist. c. 7. Nicephorus lib. 7. per multa capita à 2. & deinceps.

Quartum Indicium est, Patientia cum perseuerãtia, & si fortasse tardius & difficilius, quàm optamus, Spei nostræ præmium attingatur. Expecta Dominum (ait Dauid) viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Erit merces operi tuo, ait alius. Et quanquã longum, & laboriosum esse videtur iter, quod ingredimur ad æternam vitam, est tamen momentaneum & leue (vt ait S. Paulus) quod toleramus propter æternam vitam. Et si quia fragiles sumus, & vasa lutea, ac sæpè labimur, si non in flagitia & scelera, in quotidiana certè ac multa peccata, non ideo despondeamus animum, aut segnius viam incœptam progrediamur, modo cum cadimus, surgamus, & quoties cadimus, toties resurgamus, nosq; ipsos ad nostrimet victoriam, & labores prò Christo acriter concitemus: nam ut rectè scribit S. Augustinus: Optimus ille quidem est, qui & viam tenet, & bene ibi ambulat; sequentis tamen Spei est, qui etsi aliquan-

Quartum Indiciũ. Psal. 26. 2. Par. 15. 2. Cor. 4. In Ps. 31. in præfat.

quantulum claudicat, non omninò errat, aut remanet, sed progreditur, etsi paulatim.

De præcipuis Actionibus & occasionibus Charitatis in Deum. Cap. XIX.

CHaritatis in Deum Actio proprijssima, & nobilissima illa est, quam descriptione Charitatis complexus est S. Augustinus il lis verbis: Charitas est virtus coniungens nos Deo, qua ipsum diligimus. Duplex autem est amoris coniunctio cum Deo. Vna est, cum diligitur Deus ad nostram vtilitatem, etiam sempiternam, qualis est æterna felicitas; & hac ratione (ut alia eius innumera beneficia omittantur) diligitur ut summum bonum nostrum, & finis bonorum. Sancti Patres rem hanc pleriq; omnes vel attingunt, uel explicant. Nobis non est propositum omnes producere, est enim superuacaneum, & alienum à simplicitate institutæ tractationis. Egregiè S. Augustinus & iucundè de hac sic scribit, Christum alloquens. Audiamus ergò quem finem bonorum nobis Christe prescribas; Nec dubium est, quin is erit finis, quo nos summo amore tendere iubes. Diliges inquit Dominum Deum tuum. Dic mihi ēt quęso te, qui sit diligendi modus? vereor enim ne plus minus ue quàm oportet, inflammer desiderio & amore Domini mei. Ex toto inquit corde tuo. Non est satis. Ex tota anima tua. Ne id quidē satis est. Ex tota mente tua. Quid vis amplius? Vellem fortasse si uiderem quid posset esse amplius. Quid ad hæc Paulus? Scimus inquit, quoniam

Lib. demoribus Eccles. c. 11.

Lib. de Moribus Eccl. c. 8.

Matth. 22.

Rom. 8. quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonũ. Dicat etiam ipse dilectionis modum Quis ergo inquit, nos separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Audiuimus quid diligere, & quantum diligere debeamus; eo est omninò tendendum, ad id omnia consilia nostra referẽda. Bonorum summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum. Neq; infrà remanendum nobis est, neque ultra quærendum: alterum enim periculosum, alterum nullum est. Hæc S. Augustinus. Qui quanquam alibi docet, præceptum diligendi Deũ ex toto Corde, & ex tota Mẽte, & ex tota Anima, non posse impleri in hac vita; hoc tamen loco in uita etiam mortali, tanto mandato posse pro nostro modulo satisfieri, ratione aliqua censet. Amor porrò hic, & summus appellatur à S. Augustino, & ut is sit, quem ipse depingit, talis sit oportet, qualem volunt Theologi, cum describunt amorem Dei super omnia; quo nimirum Deum, vt summum bonum quidem, sed plus, & ante omnes alias quaslibet res, etiam ante nos ipsos

Cap. 11. diligamus. Ob quam causam idem S. Augustinus postea auctoritatem ex Apostolo petitam, scilicet, qua docet nihil nos à charitate Christi separare posse, sic explicat: Nemo nos inde separat minando mortem: idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quicquam in diligendo, atq; sequendo præponere. Nemo inde separat pollicẽdo vitam: nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus: non enim est Angelus cum inhæremus Deo,

nostra

noſtra mente potentior. Non ſeparat Virtus: nam ſi Virtus hic illa nominata eſt, quæ aliquam poteſtatem in hoc mundo habet, toto mundo eſt omninò ſublimior mens inhærens Deo. Sin Virtus illa dicta eſt, quæ ipſius animi noſtri rectiſſima affectio eſt; ſi in alio eſt, faciet, ut coniungamur Deo; ſi in nobis eſt, ipſa coniungit. Non ſeparant inſtantes moleſtiæ: hoc enim leuiores eas ſentimus, quo ei vnde nos ſeparare moliuntur, arctius inhęremus. Non ſeparat promiſſio futurorum: nam & quicquid boni futurum eſt, certius promittit Deus, & nihil eſt ipſo Deo melius: qui iam profectò benè ſibi inhęrentibus præſens eſt. Non ſeparat altitudo neq; profundum: etenim, ſi hæc verba ſcientiæ fortè altitudinem ac profunditatem ſignificant, non ero curioſus, ne ſeiungar à Deo, nec cuiusquam doctrina me ab eo ſeparat, ut quaſi depellat errorem, à quo nemo prorſus niſi ſeparatus, erraret. Si uerò altitudine & profundo ſuperna & inferna huius mundi ſignificantur, quis mihi Cęlum polliceatur, ut à Cęli fabricatore ſeiungar? Aut quis tenebat infernus, ut Deum deſeram, quem ſi nunquam deſeruiſſem, inferna neſcirem? Poſtremò, quis me locus ab eius charitate diuellet, qui non vbiq; totus eſſet, ſi ullo contineretur loco? Non inquit ſeparat alia creatura. O altiſſimorum myſteriorum virum. Hæc ille. Aliam creaturam poſt interpretatur, primò ſenſibilem mundum, cuius amore à Deo nunquam ſe ſeparari ſinit qui Deū diligit. Deinde animum ipſum, qui ſolus ſibi ruinæ ac mortis cauſa poteſt eſſe, ſi ſeipſo nimio plus oblectatus & captus, à ſummo ſuo bono Deo hoc ipſo ſe abſtrahat; hic non eſt planè gratuitus

amor. Et de eo plura diximus in Opere de Disciplina.

Lib.3.c.6. Altera coniunctio cum Deo est, cum diligitur Deus propter seipsum, & non eius beneficia. Hæc adeo superiore nobilior actio est, ut illa præ hac non

De verbis Domini Serm. 49. casta iudicetur à Patribus. Vnus id asserat S. Augustinus. Quisquis à Deo præter Deum aliquid quærit, non castè Deum quęrit. Si vxor amet maritum quia diues est, non est casta: non enim maritum amat, sed aurum mariti; si autem uerè maritum amet, etiam pauperem plus amat, quia cum misericordia amat. Et Deus noster numquam pauper esse potest, diues est, ipse fecit omnia; non (tamen) tibi promisit nisi se; inueni aliquid pretiosius, & hoc dabit. Pulchra est Terra, Cælũ & Angeli, sed pulchrior est, qui fecit hæc. & quia id non sine maxima victoria sui, omniumq; humanorum & creatorum commodorum perfecta & plena abdicatione fit ab homine, de eadem ipsa re alibi

Lib. de vera Relig. cap. 47. breuius sic S. Augustinus: Ille ergò verissimè atq; certissimè inuictus homo est, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud

Serm. 32. de tempore, cap. 4. quàm ipsum inhærere Deo, bonum est. Et alio loco: Quid nam dulcius à Deo pręmium, quàm ipse Deus?

Hom. 42. in 1. Cor. S. Chrysostomo similiter nulla maior merces est, quàm amare Deum. Quod non dicitur, quia spe pręmij amandus Deus non sit, cum scriptum sit:

Psal. 118. Inchnaui cor meũ ad faciendas iustificationes tuas propter retributionẽ. sed ut quod in amore perfectius est, indicetur. Et S. Bernardus. Causa diligendi Deum Deus est. Proprietates huius amoris in libro de Perfectis, explicantur, & post aliquæ etiam hic commemorantur.

Quo-

Quoniam verò amandi Deum nullus finis, est enim Deus infinitè amabilis; & Charitas numquam excidit; 1. Cor. 13. &, vt ait idem S. Bernardus: Modus diligendi Deum, est sine modo diligere; iccirco à quibusdam amor noster quo Deum amamus in hac vita, amor desiderij dicitur. Explicat id Gulielmus Abbas S. Theodorici. Certus sum ait per gratiam tuam, desiderium desiderij tui, & amorem amoris tui habere me in toto corde, & in tota anima mea. Huc vsq; te adiuuante profeci, ut desiderē desiderare te, & amem amare, sed hoc amans, nescio quid amem. Quid enim est amare amorem, & desidera re desiderium? Et postea: Sed respondet mihi in corde meo Veritas consolationis tuæ, & consolatio Veritatis tuæ. Est amor desiderij, & est amor fruitionis; Amor desiderij meretur aliquando visionem, visio fruitionem, fruitio amoris perfectionem. Gratias ago gratiæ tuæ, qui loqui dignaris ad Cor serui tui, & anxijs eius quæstionibus aliquatenus respondere. Suscipio & amplector hanc Spiritus tui arrham, & lætus expecto in arrha promissionem tuam. Desidero itaq; amare te, & amo desiderare te: & hoc modo curro, ut apprehendam in quo apprehensus sum, scilicet, vt amem te perfectè aliquando, ò qui prior nos amasti amande & amabilis Domine. Hęc ille. Hoc amoris desiderium S. Chrysostomus nominat coronam maximam, & quid quouis diademate præclarius. Nunc ponendæ Occasiones. Lib. de Amore. In Ps. 115.

Occasiones Amorem Dei excitantes in nobis sunt infinitę. Sunt enim infinita beneficia Dei, & omnia Diuini amoris insignes notæ; ac (vt ait S. Chrysostomus) præparant animum, ut omnia despiciamus, & vt ei, qui Hom. 27. in Genes.

tanta

tanta in nos beneficia contulit, adhæreamus, amorem in illum singulis diebus augeri declarantes. Ac propterea idem alio loco hortatur, vt per singulos dies vnusquisque intra se computet non tantum communia beneficia, verùm & propriè sibi collata: non tantum promulgata & omnibus manifesta, sed etiam peculiaria multosq; latentia. Hæc percensere facultatis meæ non est, sed nec delibare. Consideret se quisq; cum seipsum recognoscit, quod aliquãdo faciunt etiam illi, qui quidlibet aliud faciunt, recognoscit inquam semet, se esse non alium, sui ipsius se curam gerere, seipsum tutari oportere, se non quemlibet, sed certum vnum è ciuibus suis esse, certo genere, certo loco natum, certis cognationibus, affinitatibus, amicitijs circumscriptum, certa corporis constitutione ac forma, certo ingenio ac viribus animi, certa ætate, certo deniq; ac ita proprio statu, vt is sibi cum nullo alio mortalium prorsus communis sit, aut esse possit; Cum id in mentem venit, recogitet se, qui ante non multos annos adhuc inter homines non erat, & erat nihil, vnde nam repentè extiterit is, qui est, quærat ex seipso, ex singulis animi, corporisque partibus, quis eas animauerit, quis formauerit, quis aluerit, quis auxerit, quis in lucem produxerit, quis uitam, quis totum se, tantum, quantus est, & talem, qualis est, ad istam ætatem statumq; prouexerit, & intelliget ni fallor, antedicta omnia non aliam vocem mittere, quàm hanc vnam: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Ipsius enim & genus sumus; genus ergò cum simus Dei, Deo non minus quàm terræ stirpes, inhæreamus, vt à quo vitam accepimus, ex eodem vitæ propagationem

Hom. 72. ad populum.

Psal. 99. Act. 17.

nem & robur hauriamus; inhæremus autem amore. Amemus igitur, & amandi occasiones capiamus ex nobis. Dedit amicus librum, ensem, equum, cum uides quod ille donauit, amici subit animũ tuum grata memoria. Dedit sponsus annulum, gemmam, torquem, aspectus eius illecebra est amoris ad sponsum. Dedit te tibi Deus, dedit inquam hominem animãtium omniũ nobilissimum, regalem animum, Diuinum Spiritum humano corpore Dei item opere artificiosissimo gerentem, & cum te intueris, cum tui memineris, non veniet in mentem tantæ liberalitatis Dei magnificentia, tanta benignitas, tantis amor? Tunc beneficia scirbit S. Chrysostomus, duplicia sunt cum & natura magna sũt, & conferuntur in eum, qui est nihili. Quid tibi teipso maius? hoc totum ex vno Deo habes; quid magis nihili quàm id ipsum quod nihil nominatur, quod ita nihil est, vt minus adhuc sit quàm figmentum ac somnium? hoc ipsum quilibet nostrum extitit antequàm Deus nos ipsos nobis donaret, hoc est ex nihilo faceret homines; & non erit hic acerrimus stimulus auctorem recognoscendi, & diligendi? Hæc nemo non videt quam verè & meritò amplificari possent. Sed ne minuam dicẽdo potius, simpliciter pono quæ Sacris literis simpliciter traduntur. Creauit Deus hominem. Manus Dei plasmauerunt. Nonne sicut hac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me, vitam & misericordiam tribuisti mihi. Dat vitam, inspirationem & omnia. Ad imaginem Dei creauit illum. Reliquit illum in manu consilij sui. Minuisti eum paulo minus ab Angelis; Gloria

In Ps. 115.

Genes. 1. Psal. 115. Iob. 10.

Act. 17. Genes. 1. Eccl. 15. Psal. 8.

ria & honore coronasti eum; Posuisti eum super opera manuum tuarum; Omnia subiecisti sub pedibus eius.
Act. 17. Habitare fecit super vniuersam faciem terræ, quærere Deum si fortè attrectent eum, quia non longè est ab
Psal. 8. unoquoq; nostrum. Quid est homo quod memor es eius, aut filius hominis, quia visitas eum? Hæc de hominis creatione, & omnibus quæ cum creatione coniuncta sunt Diuina beneficia plurima amplissimaq;.

Sed quanquam Creatio hominis occasio est homini amandi creatorem; non minus facilè fuerit amorem eundem elicere ex Diuinæ erga hominem prouidentiæ commemoratione; & fortasse facilius, quia in oculis est, & quasi manu tangitur. Cernis hominem non integro corpore ac sano ipse tu sanus & integer? alium, te fortè meliorem cõtemptum, abiectum, destitutum cõsilijs, bonis amicis, & tua tibi nõ infeliciter succedere? afflictum aliquem animo, uexatum corpore, carentem liberis, nec vxore & familia ad voluntatem vtentem, fortuna minus florente, ipse interim tua contentus sorte? exules alios, alios ære alieno penuria, bello, tyrannide oppressos, alios decedentes è vita, ad sepulchrum elatos, alios peste, alios incendio naufragioue extinctos, te, tuaq; procul esse ab his calamitatibus, alijsque sexcentis, quas singulis penè momentis & horis propè intueris alios incurrere? Hæc tu inquam cernis? quære igitur tantorum bonorum fontem, & intelliges hunc non alium esse nisi Deum; qui enim te genuit, is te edu-
Sap. 11. cat, is seruat, & tuetur. Quomodo enim (ait Salomon) posset aliquid permanere nisi tu uoluisses, & quod à te uocatum non esset, conseruaretur? Is est cui cura est de

nobis;

nobis; qui homines & iumenta saluat; qui dat escam omni carni ad usum hominis; qui produit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum, rigans montes de superioribus suis, de fructu operum suorum terram satians; is denique cui omnes capilli capitis numerati sunt; & qui regit me, & nihil mihi deerit. Hæc quid agunt omnia, singula quid à nobis petunt, nisi vt non solum quæramus Deum, sed (quod Apostolus addidit) Act. 17. attrectemus etiam non manu, sed amoris affectu? ut quemadmodum sunt Diuini amoris vestigia ac signa, sint similiter Diuini amoris voces, & faces. Diligam te Psal. 17. Domine (ait Dauid dignissimus tali magistro discipulus) fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meũ, & liberator meus. Deus adiutor meus, & sperabo in eum, protector meus, & cornu salutis meę, & susceptor meus. Et infrà; Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuẽs me; Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcũ ęreum brachia mea; Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me. Et alio loco: Diligite Psal. 30. Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum. Ad hanc communicationem amoris & laudis inuitat idẽ sæpè creatas res omnes, quòd nimirũ illæ cõmodis & vtilitatibus hominũ maximè seruiant, sintq; singulæ propterea maximũ Diuini amoris incitamentũ, præsertim ea, quæ nos propius attingũt, qualia sunt esculẽta, poculẽta, vestimẽta, tã multa, tã varia, tã apta, tã pretiosa, & iucũda; qualia patrocinia, amicitiæ, opes, prædia, domus, supellex, dignitates, patrimonia, clientelæ, seruitia, pacis & belli instrumenta, nauigia,

equi, vtilium animantium armenta, & greges; uoluptariorum etiam, ad domesticas delicias, ad venationem, ad pastum, ad tripudium. qualia deniq; sunt remotiora illa nemora, sylvæ, montium vestitus densissimi, luxuriosa frumēta, eaq; adeo multiplicia, fructus agrorum, & arborum, riparum ornatus, hortorum amœnitates, quicquid denique Cæli complexu continetur, in aere, aquis, terra, urbibus, pagis, villis; quid dico complexu Cælum? cum Cæli ipsi & sidera à Deo creata dicantur à Moyse in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cælo sunt; ea nempè de causa, quòd tam Cæli & astra, quàm Elementa, & reliqua omnia, quæ terra vel fert, vel sustinet, res sunt, quibus tāquam administris vtitur Deus ad uitam hominum sustentandam propagandamque; Nec ijs solum, sed Angelis ipsis qui nobilissimi spiritus sunt, Deoq; affines; sunt .n. ait Apostolus administratorij spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quare & verè & sapienter à S. Gregorio dictum illud est: Vitam hominum solus hanc conditor qui creauit, administrat. Et ecce tibi amoris incentiuæ creatæ res omnes, quas oculis cernis, omnes enim vt homini vel maximè, uel proximè seruiant constitutum est à Deo, cuius vnius nutu arbitrioq; gubernantur, ita, vt nec folium, aut pluma, aut atomus quolibet uel minimo uentulo leuiter etiam moueatur, nisi ad Dei voluntatem. Attrectat igitur nos Deus, immò replet, & obruit continuis magnisq; beneficijs suis, in Deo tanquā pisces in mari viuimus, mouemur, & sumus, & non quæremus cogitatione Deum, non amore affectuq; tangemus? Hæ sint Occasiones quas ferè nobis

Deut. 4.

Hebr. 1.

Hom. 10. in Euang.

bis præbent, oculi Deum amandi. Veniamus ad aures. Et sanè illud prædicare & ipsi possumus. Domine auribus nostris audiuimus, Patres nostri annunciauerunt nobis, opus, quod operatus es in diebus antiquis. Fides enim, quę est ex auditu, quàm multa, quàm certa, quàm pręclara proponit ad amorem Diuinum inuitamenta. Breuiter Duo omninò sunt Dei præcipua testimonia, quæ Scriptura Duo Dei Testamenta nominat. De quibus sic S. Augustinus. Hæc est breuissima & apertissima differentia duorum Testamentorum, Timor, & Amor. & alibi. Quanquam enim vtrunq; in vtroq; sit, prævalet tamen in Vetere Timor, Amor in Nouo. Et ecce tibi in ipso limine primam amoris notam; natus es enim non sub priori Testamento, Timore regnante, sed sub posteriori, beatissimo inquam Amoris dominatu. Huius autem Testamẽti principium & finis Christus vnus est, propè dixerim Amor ipse. Explicemus quamuis nõ latè. Quid Patrem vt Filium mitteret, adduxit? Amor. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum vnigenitum daret. Quem habitũ induit Filius, cum uenit? Amoris. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Quid idem in terras detulit? Amoris ignem. Ignem veni mittere in terram. Spiritus Sanctus quid adiecit? Amorem Charitatis. Charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Cum Christus quasi Sol alter mundum lustraret, quid ex eius aspectu emicuit? Amoris radij. Nec est qui se abscondat à calore eius. Quæ summa doctrinæ eius? Amor. Diliges Dominum Deum tuum; Diliges proximum tuum, in his duobus mandatis vniuersa Lex pen-

Psalm 43.

Lib. Aduersus Adimantum, c. 17. De Moribus Eccle siæ, c. 28.

Ioan. 3.

Psal. 18.

Lucæ. 12.

Rom. 8.

Psal. 18.

Matth. 22.

det & prophetæ. Quid legauit Testamento? Amorem.
Ioan. 15. Hæc mando vobis, ut diligatis inuicem. Qua nota in-
Ioan. 13. signes esse uoluit discipulos? Amoris. In hoc cogno-
scent omnes, quod discipuli mei eritis, si dilectionem
habueritis ad inuicem. Quid potissimum rogauit Patrē?
Ioan. 17. Amorem. Vt sint vnum, sicut & nos. Vitam humilli-
mam, & laboriosissimam cur totos triginta tres annos
Ephes. 5o. traduxit? ob Amorem Sponsę. Dilexit enim Ecclesiā.
Et sanè de hoc mystico Iacob dici uerius potest illud:
Gen. 29. Et uidebantur illi dies pauci præ amoris magnitudine.
Quis ex eo miracula, & gratias sanitatum, mortuorum
Ioan. 11. etiā hominum susciationes elicuit? Amor. Ecce quem
amas, infirmatur. Quis illi lachrymas excussit? Amor.
Ecce quomodo amabat eum. Quis ad sanguinem pro
Apocal. 1. hominibus profundendum impulit? Amor. Dilexit
nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo.
Quid ad Diuinum planè ac inexplicabile mysterium
Eucharistiæ instituendum, & commendandum? Amor.
1. Cor. 11. Hoc facite in meam commemorationem. Quis adegit
Origenes Homil. 2. in Cant. in Crucem? Amor. Amor meus dicebat Sanctissimus
Ignatius, Crucifixus est. Quis detrusit ad inferos, reuo-
Psal. 138. cauit ad vitam? Amor. Exurrexi & adhuc tecum sum.
Ioan. 16. Quis in Cælum sustulit? Amor. Expedit uobis, vt ego
Ioan. 14. vadam. Vado parare vobis locum; Assummam vos ad
me ipsum. Quid nunc cum regnat in Cælis agit? Amat.
1. Ioan. 2. Et ad eum veniemus, & mansionem apud eum facie-
mus. Amoris præstat officium. Aduocatum habemus
apud Patrem Iesum Christum iustum. Ergo cum nomē
Christi audis, non fingas animo, sed certò credas, te no
Cant. 5. men Amoris audire. Et ipse est amicus meus ait Spon-

sa in

ſa in Cãticis; hoc eſt, ut habet alia verſio, ipſe eſt Amor meus. Et Eccleſia: Ieſu noſtra redemptio, Amor & deſiderium. Eadem ex S. Bernardo: Amor Ieſu dulciſſime. Cum audis Euangelium, audis amoris nuntium: audis omnia bona. Quærit Origenes, Cur cum dicat Iſaias Euangelizantium bonum, Apoſtolus referat Euãgelizantium bona? Quia inquit non ſolum aut vnum bonum Ieſus, ſed omnia bona. Vita bonum eſt, Ieſus eſt Vita. Reſurrectio bonum eſt, Ieſus eſt reſurrectio. Lux mundi bonum eſt, Ieſus eſt Lux mundi uera, ueritas, via, oſtium, ſapientia, potentia, theſaurus denique omnium bonorum Ieſus eſt. Hunc ait Euangelizauit Paulus hominẽ factũ, ut principiũ omniũ bonorum noſtrorum; mortuum, vt nos viueremus; reſurgentem, ut nos reſurrectioni eius conformes eſſe mus; deniq; ut iuſtitiam, ſanctificationem, & redemptionem noſtram, quia infinita bona eſt Ieſus, & finis & complementum omnium bonorum noſtrorum, in quo beneplacitum eſt Deo omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter habitare. Hæc omnia bona Euangelizat, qui Ieſum Euangelizat: & qui Ieſum, omnia bona. Hęc ex Origene. Quam rectè igitur, quàm ſanctè, quàm appoſitè dictum eſt illud ab Apoſtolo. Siquis non amat Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, Anathema. Quod idem de Amore in Deum à nobis eſt aſſiduè cogitandum, & aſſerendum. Hęc quàm multa magnaque ſit amoris in Deum ſeges, nemo non videt, complectitur enim quid quid Sacris literis Euangelio præſertim continetur; quicquid à Deo ad hominis beneficium patratum ſupernaturaliter eſt; quicquid egit, dixit, paſſus eſt viuens

In Iubilo.

Præfat. in Ioan.

Iſaia. 52. Rom. 10.

1. Cor. 16.

& mo-

& moriens Christus Dominus ac Redéptor; quicquid Apostoli de Christo eiusq; rebus gestis & institutis pro mulgarunt orbi vniuerso; quicquid gesserunt ipsi, quic quid cruciatus & laboris, quicquid calamitatis & mortis propter Christum subierunt, deniq; quicquid est caput & membra Christi, Christus inquam & Ecclesia, pro qua se Christus tam profusè tradidit, ut eam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ, in verbo vitæ, & exhiberet eam sibi gloriosam, non habentem maculam neq; rugam. Hæc omnia sunt amoris Diuini clarissima monumenta, hæc quę ipsum in nobis excitant, & nutriunt, cum attentè recogitantur, modo cum leguntur, & audiuntur ea cogitandi, indeq; amandi Deum occasionem arripiamus.

Eph. 5.

Ad beneficia Euangelica consentaneum est maximum donorum omnium quę Deus optimus maximus adeo largè, effuseq; donauit hominibus; Hoc autem est Adoptio filiorum. Non enim accepistis (ait Apostolus) Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Qua de re sic S. Leo Papa. Magnum est Dilectissimi huius muneris Sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet Patrem. Per has enim appellationes sentitur, & discitur, quis ad tãtam altitudinem ascendat effectus. Nam si in progenie carnali & stirpe terrena claris parentibus genitos vitia malæ conuersationis obscurant, & ipso maiorum suorum lumine soboles indigna confunditur: in quem exitum venient, qui propter amorem mundi à generatione Christi non

Rom. 8.

Serm. 6 in Natiuitat.

metuunt

metuunt abdicari? si autem ad humanam pertinet laudem, vt patrum decus in prole resplendeat, quanto magis glorioſum est, ex Deo natos in auctoris sui imaginem refulgere, & illum in se qui illos genera uit ostendere? Hæc S. Leo. Hanc amoris in Deum occasionem habemus, cum Deum siue orando, siue loquendo nominamus Patrem, cum Ecclesiam appellamus Matrem, quod frequẽs est in ore Christianorum, cum nos ipsos Dei filios agnoscimus, & profitemur, cum nos redemptos à Diaboli seruitute gaudemus, cũ Sacro nos Christi Baptismate initiatos, restitutos nos intelligimus in libertatem gloriæ filiorum Dei. Ad huiusmodi occasiones non negligendas, S. Ioannes hortatur, cum ait: Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus. 1. Ioan. 3. Quod si nonnunquam propter Christum aut contemnimur, aut etiam odio habemur à mundanis hominibus, istud ipsum Amoris Dei, & Patris nostri nobis sit argumentum, & occasio. Propter hoc addit idem: Mundus non nouit nos, quia non nouit eum. Charissimi nunc filij Dei sumus. Est porrò commemorationis huius opportunum tempus, cum nos alicunde allici ad peccandum animaduertimus; tunc enim illud maximè refricandum: Qui natus est ex Deo, non peccat. Ibidem. Cum item nos angit præteritorum expiatorum licet criminum conscientia, siquidem miseretur omnium Deus, filiorum autem clementissimè, & cumulatissimè. Verum excitatur in Dei filio maximè Diuini Amoris flamma, cũ subit animũ illud: Quoniam ipse prior dilexit nos, & quidem cum inimici essemus. 1. Ioan. 3. Quis autem ait S. Augustinus, non redamare affectet Lib. de Catechizan-

dis rudi, cap.22. fectet iuſtiſſimum, & miſericordiſſimum Deum, qui prior ſic amauit iniuſtiſſimos, & ſuperbiſſimos homines, vt propter eos mitteret vnicum filium, per quem fecit omnia? Sed hęc ſunt cõmunia, & promulgata Dei beneficia, ſic vt ſuprà retulimus dicta à S. Chryſoſtomo, quibus etiam auctore eodem dicat Dauid Pſalmum centeſimum tertium.

Quam occaſionem pręſtabit Amoris recognitio beneficiorum, quæ idem S. Chryſoſtomus nominat propria, atq; latentia. Hæc autem numeret ſecum quiſq; ; cenſet aliqua Dauid Pſalmo centeſimo ſecundo. Capi-
1 ta præcipua ſint. Educatio & pietas Parentum. Hui c
Lib. 9. Cõ feſ. cap. 9. plurimum ſe debere fatetur S. Auguſtinus: Suxiſſe cum
2 lacte matris veram Religionem. Quod ſi contrà factũ
Lib. 3. c. 4. eſt, an non magnum beneficium eſt ex impijs parenti-
3 bus tanquam è ſpinis roſam pium extitiſſe? an non beatitudo quędam eſt, per externos homines à Spiritu Sã-
Matth. 16. cto edoctum ſuper ſenes intellexiſſe? Certè B. Petro à Domino dictum eſt: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi. Magiſtorum honeſta diſciplina. Conſuetudo virorum bonorum. Et ſi in
4 5 6 perditos incidiſti, quale Dei donum eſt, quod te non planè perdideris, quod gradum reuocaueris, quod vel
7 ſerò ſapere cęperis? In adoleſcentia vel Virginitatem retinuiſſe, uel caſtitatem amplexum, carnis illecebras
8 repudiaſſe. Et ſi fragilitate prolapſus ſis, teipsũ recuperaſſe, ad pœnitentiam recurriſſe, vſui ſacramentorum, ſacræ lectioni, orationi, corporis afflictationi inſtitiſſe,
9 Chriſtianam certam vocationem elegiſſe, in ea ex vir-
10 tute viuere, charitatis operibus operam dare, iniquitatẽ

ex

ex animo odisse, pietatem diligere, colere religionem, pacem sectari, mortem si non appetere, certè cogitare, ad eamq; in tempore fortiter ferendam se comparare. Deo deniq; quacunq; ratione possit placere semper, ac 11
seruire, vehementer optare. At hæc etiam sat generalia & multis communia beneficia Dei sunt, quanquam præclara & singularia. Alia sunt, quæ tecta fortasse ad alienos facilè sint, nobis qui nobis ipsis intimi sumus, ac planè scimus quid intus in animo & corpore nostro agatur, aperta sint necesse est; nec propterea ab alijs hęc sed à nobis solum ponderari possunt. Exempla hic aliqua pono, non vti rerum certarum explicator, aut historicus, sed potius vti præsultor ludi; ad ea se quisq; explo ret. Illa ætatula tu salutare nutricis tuæ lac hausisti, qua 1
coæuus tuus cum lacte febrim, pituitam, morbum regium, pestem suxit ex sua. Ita te curauit eadem, ac serua 2
uit, ut nullo graui lapsu tui sint tibi pedes cruraq; confracta, sicuti accidit Miphiposeth, nec alia quauis cor- 2. Reg. 4.
poris parte detrimentum factum. Quoties cecidisti, 3
nec offendisti? Vix in lucem editi multi, cum parentibus orbati repentè sunt, alijsq; præsidijs infantibus, pue 4
ris, adolescentibus vtilibus, aut etiam necessarijs spoliati, nullius penè curæ commissi, nullis puerilibus ac multò minus grauioribus disciplinis exculti. Tibi contrà, rebus in omnibus à parentibus, à curatoribus & tutoribus optimè consultum, ac prouisum est, te iam tunc & deinceps semper tuorum oculi & aures speculabantur accuratè, diligenterq; custodiebant, te magistri instituerunt, bonis moribus informarunt assiduè, nec destiterunt priusquam vir inter viros factus, res tuas, ac teipsũ

5 magis planè regere didicisses. Alij grauibus, periodicis
alij morbis sæpè tentantur. Tu ferè bona semper es ac
6 firma valetudine. Ægrotasti periculosè, ægrotauit &
alius, immò quamplurimi & mortui sunt, tu conualui-
7 sti. Adiuisti periculum capitis & fortunarum, adiuerunt
8 & alij, nec effugerunt, tu propulsasti. Quam multi ex fe
licibus infelices, ex beatissimis facti sunt miserrimi, aut
aliqua sua culpa, aut occulto Dei consilio, aut inimico-
rum iniuria & impotentia, & tu eodem ac pristino sta-
tu adhuc es, nihil aut minimum mutatus ab illo, qui fue
ras, fortunatus, amicis charus, inimicos uel non, uel mi-
tigatos habens. Occulta porrò & incognita Diuina aut
9 Angelica beneficia huiusmodi quam multa Deus bo-
ne? ictus fulmine non sum, non percussus tegulæ aut
marmorei lapidis casu, non fortuito iaculo petitus,
non belluæ aut bestiæ cuiuspiam feræ morsu ex im-
prouiso laceratus, non cornu vulneratus, non prostra-
tus impetu, non plumbea glande ex sclopeto temerè
disploſa traiectus, non obrutus vndis, non extinctus in
cendio, non peste consumptus, deniq; à sexcentis vitæ
periculis immò ab infinitis procul absum, cum ea tamē
quotidie quolibet puncto temporis immineant capi-
ti; quis depellit ista, quis auertit, cuius munere toties
seruamur superstites, & incolumes, quoties hisce peri-
culis vita non adimitur? Dei videlicet optimi parentis
summa cura, maxima prouidentia, propensissima volū
tate. At sint hæc corporis & vitæ mortalis, sint ualetu-
dinis subsidia, & tuitiones, Diuina certè & magna Dei
beneficia. Sed si conferantur cum ijs, quæ in animo
Psal. 102. efficit, exigua. Benedic (aiebat Dauid) anima mea Do-
mino,

mino,& omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Excitauit Satanas immoderatarum tuarum passionum impotentes motus,Odij,Inuidiæ,Superbiæ, Libidinis, Iracundiæ,Vindictæ, Dirarum, Execrationum, Spiritũ fortè Blasphemiæ aduersus Deum, Diuosq;, Desperationem salutis, Contemptum Virtutis, Odium Obseruantiæ,Pietatis,Religionis,Profligatæ vitę amorem, & alia huiusmodi,quę tela inimici ignea vocat Apostolus, Ephes.6. & Iob prunarum ardorem Diaboli halitu ventilatum: Iob.41. his te inquam commotionibus pulsauit Diabolus, nec consensisti;ecce magnum Dei beneficium;consensisti, sed illico resipuisti? ecce alterum beneficium; non resipuisti,cohibuisti tamen motus animi,ne foras erumperent? & hoc beneficium est non exiguum; eruperunt quidem foras, sed intempestiuè, & cum ignominia? & hoc est Diuinum beneficium; exarseris etiam libidinibus, saturaueris animum, expleueris cupiditates tuas, teipsum effuderis in omni intemperantia,at eo ipso tẽpore te momordit conscientia, te pupugit metus? & hoc est beneficium; non consenuisti in flagitijs, tui te tandem puduit,pœnituit præteritæ vitæ,mutasti consilium,sanã mentem recepisti?& hoc quantum est Diuinæ misericordiæ beneficium? Esto etiam, perditus sis, nec vlla spes ostendatur,te tui dissimilem euasurum,an hoc est contemnendum beneficium,quo te benignitas Dei expectat, & hac tanta patientia ac dissimulatione ad pœnitentiam adducit? Interiora & illa magis sunt; antequam in scelus rueres, quoties te retinuit Deus? nunc metu reuocans, nunc pudore; Cum manus dedisti, ac decreuisti te tam crudeli Domino mancipare,

quoties ne quo cœperas, pergeres, impediuit, quot ademit occasiones, quot certas spes tuas fefellit, quibus te interim tenebris circumfusum afflixit, molestijs animi vexationibusque versauit, turbauit anxietatibus, confixit timoris aculeis, conscientię stimulis exagitauit? quæ salutaria documenta non tibi iniecit in mentem, ut ad ea expergiscereris uel inuitus? Maiorum monita æqualium exempla, sceleratorum & tui similium exitus repentinos, infelices, miserandos, tuum ipsum animum ac cor peccatis ut erat, obrutum, quibus non concussit mœroris, doloris, immò & amoris motibus? morbum illum periculosum, quo penè extinctus es, Deus immisit, vt tu ex animo morbum peccati longè periculosiorem depelleres. Alio tempore venisti in apertum illud vitæ discrimen, atq; (ut aiebat Dauid) eo uentum erat, ut vno tantum gradu tu, morsq; diuideremini, eripuit te ex illo Deus, ut ipse te ex salutis æternæ discrimine, ac tyrannide Satanę quantocyus eriperes, & cum tu scelera sceleribus cumulares, nihilq; te vno in Deum esset ingratius, tunc te tanquam obsequentem piumq; remunerans, nouis beneficijs, hominum gratia, gloriaq; adauxit, ut quem à flagitijs non abstraxerat supplicij sensus, pudore saltem suffunderent insolita in indignissimum hominem collata Diuinitus munera. Ac si se ita cum inimicis gerit Deus, quem se præstabit amicis? Ab his vt amouet peccandi voluntatem, sic sæpissimè eosdem abstrahit ab omnibus peccandi occasionibus, quippè, quos adstringit & quidem libentes legibus continuæ disciplinæ. Quod si interdum ex occasione tentatione aliqua pulsari permittit, ea animi firmita-

Lib. 2. Reg. 20.

te

te eos sic roborat, vt confligant quidem cum hoste, sed de hoste gloriosè triumphent. Solicitatus ad adulteriũ opportunitate præsentissima Ioseph à Domina; ad mortem adferendam inimico Sauli, quem comitatu destitutum, oppressum somno ante pedes suos positum intuebatur Dauid; S. Bernardus ab hospita; S. Thomas Aquinas à muliere impudica remotis arbitris ad facinus, non solum non victi sunt, sed ipsi aduersarios ita fuderunt, fregeruntq;, vt ad eandem periclitationem serò admodum ac fortasse nunquam postea cum ijsdẽ redierit Satanas; si quidem ut ait Cassianus, retorquetur in Dæmones illa confusio, quæ nos manebat, si ab ipsis fuissemus elisi, secundum illud: Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. Et, Conuertetur dolor eius in caput eius. Et, Captio quàm abscondit, apprehendat eum. Gen. 39. 1. Reg. 26. Col. 7. cap. 21. Psal. 139. Psal. 7. Psal. 34.

Id facit Deus auertendo mala à suis, at quæ in eorũ animos congerit bona? quot mentis illustrationes subitas, diuturnas, ad se, ad Deum cognoscendum, ad Sacras literas percipiendas, ad rerum spiritualium arcana quælibet perueſtiganda, ad iuuandos proximos? Quam sanctis cogitationibus, & spiritualium voluptatum illecebris mentes voluntatesq; eorum ad se allicit, trahit, sustentat, facultatum internarum vires corroborat, cõplet? Et si ad tempus aut ipse languefacit, ut probet sine vllo eorum crimine, aut ad aliquam expiandam culpã languere permittit, quàm citò ac liberaliter eos reuisit, recreat suæ præsentiæ solatio, amplectitur, ac stringit charitatis vinculis, suauissimi amoris sui osculis mulcet? Deniq;, nunquam non exercet suos vtiliter Deus,

vt in

vt in Virtutum ſolidarum fructu, ſtudioq; propriæ perfectionis progreſſiones in dies maiores faciant. Ad hęc ſiquidem capita duo reuocat Dauid hæc aduerſus Sanctos Diuinæ charitatis & rectionis officia. Benedic anima mea Domino; Qui replet in bonis deſideriũ tuum. Ecce primum. Renouabitur vt Aquila iuuentus tua, & hoc eſt ſecundum.

Pſal. 102.

Hæc eò pertinent, vt intelligamus, quàm multas, quàm proximas occaſiones amandi Deum extra, adeoque magis intra nos ipſos habeamus. Vt quid enim nobis benefacit Deus, niſi vt beneficijs conciliatos ſibi perpetuò in amore coniungat? At inquis mercenarius eſt huiuſmodi amor, & amare Deum propter ſeipſum, multo optabilius eſt longèq; perfectius. Ita quidem certè, nihilo minus ſanctus eſt etiam amor hic; & quando nos plerumq; ij ſumus, qui non niſi utilitatibus noſtris ducimur, magnum Diuinæ benignitatis munus eſt, quod ſe Deus ad hominis genium, naturæque noſtræ propenſionem accommodet, gratumque & acceptum habeat cum qualicunq; ratione, etiam ſi commodis & uoluptatibus ad illum trahimur.

Prima.

Propono tamen breuiter Occaſiones quattuor amãdi Deum propter ſe. Prima eſt hęc ipſa, qua Deum diligimus vt in nos beneficum. Eſt is amor gradus ad amandum Deum propter ſeipſum, etiam ſi nobis nihil hactenus præſtitiſſet, nec præſtaturus eſſet aliquando. Purga amorem, dicebat S. Auguſtinus, & aquam fluentem in cloacam, conuerte ad hortum. Sic dicamus nos, & purgemus amorem noſtrum in Deum, non quidem aliqua fœculenta impuritate, neq; enim eſt ut dixi vitioſus

Præfat. in Pſal. 31.

sus amor mercenarius, sed ne nos in Deum rapiat proprij boni cupiditate, verum sola Dei bonitate & pulchritudine. Veh.n. tali amori tuo dicit idem pater, si In Ps. 44.
vel suspicaris aliquid pulchrius, quàm est ille, à quo est omne pulchrum. Quo loco cum quæreret, cur Psalmus qui est de sponsi pulchritudine, scribitur enim in eo: Speciosus forma præ filijs hominum; &, Specie tua, & pulchritudine tua inscriptus esset in intellectu filijs Chore, respondet, vt hæc fides nostra qua purgamur, ad inuisibilia præparetur, hoc est, quod in intellectu filijs Chorè facta sunt omnia ista, ut detraherentur sanctis ipsa quæ habebant, detraheretur & ipsa uita temporalis, vt non propter hæc ipsa temporalia colerent ipsum æternum, sed amore illius casto tolerarent hæc omnia, quæ pro tempore paterentur. Propterea quia intellexerunt, dicunt, hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te. Amemus igitur initio Deum tanquam beneficiarij, eum qui effusè adeò de nobis benemeritus est, & quotidie benè meretur, ac in omnem æternitatem benè merebitur; procedente autem spirituali ætate, amorem hunc quacunq; beneficiaria ratione exuamus, diligamusq; fontem bonorum omnium diuinam ipsam per sese summè colendam & obseruandam bonitatem.

Secunda Occasio amoris Dei per seipsum, est, cum Secunda.
cogitatur, aut nominatur à nobis Deus, vt Deus est, ve niũtq; in mẽtẽ aut cõmemorãtur illa attributa Dei, quæ dicimus absoluta, quia eorum conceptione notione ue nullus ad res creatas respectus includitur; qualia sũt Maiestas, Potestas, & vis infinita, Sapientia, Bonitas, Immensitas,

mensitas, Simplicitas omnis prorsus concretionis expers, Infinitas, deniq; omnis Perfectio, quam vocant Theologi simpliciter, & quæ ex S. Anselmi descriptione receptissima, ea est, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa. Cuius rationis est hoc ipsum nomen DEVS, & si quæ sunt alia tam Latina quàm Greca, & cuiusuis alterius linguæ nomina Dei, quæ affecta non sint, aut relatiua; quale certè est apud Hebræos Sacratissimum Nomẽ Tetagrammaton. Et, Ego sum, qui sum. &, Qui est. Siue Grecè τὸ ὤν. Hæc quia referunt ac obijciunt nobis Deum uti est per se, excitant etiam amorem cùm recogitantur exutũ omnia alia re, aut affectione, qua Deus non sit, aut ad ipsam Diuinitatem non attingat per se, amorem inquam quo diligamus Deum, uti Deus est, Omnipotentem, Sapientissimum, Optimum, Immensum, & Infinitum, Perfectissimum, & quo nihil excogitari possit maius, aut melius, qualis prorsus ipsissimus est in se, & suprà omnem creatam capacitatem cuiuscũque mentis adhuc infinitè perfectior, maior, & melior, & fortè hunc amoris actum & in Deum obseruantiæ Dauid induerat, cum dixit: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. &, Quis sicut Dominus Deus noster? Et Vacate, & uidete, quoniam ego sum Deus. &, cum frequenter admodum in ore habet illud: Quis similis tibi? Isaias etiam: Cui similem fecistis Deũ aut quam imaginem ponetis ei? Idem Angeli, Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Prosologio, cap. 5. & 11.
Psal. 15.
Psal. 45.
Psal. 34. 39. 70. 81. 85. 88.
Isaia. 40.
Isaias. 6.

Tertia Occasio amoris huius perpurgatissimi, est ipse Dei Amor in homines; amauit enim Deus hominem ipse prior, ut ait S. Ioannes; amauit teste Apostolo:

1. Ioan. 3.

Cum

Cum inimici essemus, amauit, & vi amoris impulsus ad demerendum & ornandum hominem, ea excogitauit, & fecit, quæ solus Diuinus amor inuenire potuit, solus exhibere. Amauit postremò homunciones vilissimos, indignissimos, & quos ingratissimos fore non ignorabat; an non maximè vacuus & purus est hic amor, ab omni suspicione vtilitatis & commodi? an non maximè voluntarius, & ad quem nihil induxerit, aut inducere potuerit Deum, nisi semet Deus ipse pro sua insita, inexhausta, infinita bonitate? Demum castissimus est hic amor, purissimus, Diuinissimus, quo hominem amat Deus, vt amat, & non nisi Deus sic amasset. Rom. 5.

Quarta Occasio est ratio amicitiæ, quæ Deo est cũ hominibus: Scriptum est enim in Sacris literis, Viros fideles & bonos participes factos esse amicitiæ Dei. Et Christus non solum amicos nominauit Apostolos, sed cur eos amicos haberet, explicauit: Quia inquit, omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci uobis. Nec arcana cõmunicauit solum Deus, sed Filiũ ipsum, & cum eo omnia simul nobis donauit. Porrò, hæc Dei amicitia erga homines gratuita prorsus est, ea enim nos diligit Deus ad nostra commoda, non ad sua. Quare si nos in hoc Amore Deo nõ respondemus, quæ inter Deum nosq; est amicitia? ex nostra parte sine dubio claudicat. Amemus igitur Deum, quia per se maximè amabilis est, illudq; spectemus vnum semper, vt eius fiat voluntas in nobis, & quando idem uelle ac nolle cum illo nobis esse debet, ne optemus ad nostram voluntatem Diuinã flecti, sed nostram Diuinæ in rebus omnibus libentissimè subijciamus, hocq; antè omnia velle velimus, ama- Sap. 7. Ioan. 15.

ri à nobis Deum per seipsum, adeò, ut (quod fieri non potest) si nulla in nos manasset nec manaret à Deo vtilitas, nec vlla speranda sit inquam, maneat tamen illud ac fixum sit animo, Deum semper amandi atq; colendi quanto maximo, purissimoq; possimus amore, ac obseruantia; idq; tum maximè præstemus, cum mentem subit hæc tam sanctæ amicitiæ sacrosancta Lex, Amicus propter se amandus. Hæcq; de Occasionibus Charitatis in Deum satis sint.

Amoris in Deum & Christum Dominum exercendi occasiones, Indicia & exempla.
Caput XX.

Quomodo amandus Christus Dominus à nobis.

MAximum omnium certissimumq; Indiciũ Amoris nostri in Deum, est, cum ita Deũ diligimus, quemadmodum Christus Dominus Patrẽ nosq; dilexit, quo sanè amore flagrare etiam nos oportet aduersus eundem Christum; cur enim separemus amore, quos eadem Diuinitas iũgit? Qua de re tota luculẽter & piè S. Bernardus sic scripsit: Disce o Christiane à Christo, quemadmodum diligas Christum. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter, ne illecti, prudenter, ne decepti, fortiter, ne oppressi ab amore Domini auertamur. Ne mundi gloria seu carnis voluptatibus abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Ne seducaris spiritu mendacij & erroris, lucescat tibi veritas Christus. Ne aduersitatibus fatigeris, confortet te Virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, informet

Serm. 20. in Cant.

met scientia, firmet constantia, sit feruidus, sit circumspectus, sit inuictus. Nec temporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. Et vide, ne forte tria ista & in lege tradita fuerint, dicente Deo Diliges Dominũ Deum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. Deut. 6. Mihi videtur amor quidem cordis, ad zelũ quendam pertinere affectionis, animæ uerò amor ad industriam seu iudicium rationis: Virtutis autem dilectio ad animi posse referri costantiam vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu, dilige tota rationis vigilantia & circunspectione, dilige & tota virtute, vt nec mori pro eius amore pertimescas, sicut scriptum est: Quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. sit suauis & dulcis affectui tuo Dominus Iesus contra malè vtiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem. sit nihilo minus intellectui præuia lux, & dux rationi; sit etiã fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus nec succumbens laboribus. Ergo amemus affectuosè. circũspectè, & validè, scientes amorem cordis quem affectuosum dicimus, absq; eo qui dicitur animæ, dulcem quidem, sed uetibilem, istum verò absq; illo qui virtutis est, rationabilem esse, sed fragilem. Hæc S. Bernardus quæ explicat exemplis Euangelicis latè. Amorem autem Christi talem fuisse qualem descripsit hactenus, ante ostenderat, ac propterea nos ad eum imitandum inuitauerat: & nos afferimus postea, cum de charitate in proximum differimus. Esse verò Christum Dominũ amoris nostri exemplar, nemo dubitat; si enim reliquarum omnium Virtutum Idea & Regula, ad quam nos

ipsos dirigeremus à Patre hominibus datus est, cur nō multò magis & amoris qui arx, caput, finis est omnis
Ioan. 15. Virtutis, ac perfectionis? Si præcepta inquit, mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione. Et paulò antè optare se insinuat, certè etiam ad imitan-
Ioan. 14. dum; Vt cognoscat (inquit) mundus, quia diligo Patrē, hic facio: hoc est, pro hominibus mortem ignominiæ plenissimam oppeto libentissimè. Ac ne quis dicat primam hanc amoris Dei proprietatem, dulcedinem nimirum & suauitatem, optabilem potius esse, quàm parabilem, nec in nostra esse potestate, & fortasse nec etiam uiro forti optandam esse, quippè, cuius proprium sit, omni voluptate posthabita, doloreq; contempto ac superato, magna aggredi fortiter, maioraq; patienter tō-
1. Pet. 2. lerare; aio suauitatem hanc per se amorem Dei sequi; Si tamen gustastis, ait S. Petrus. Nec contemnendam aut non æstimandam esse, cum ad eam hortetur Scri-
Psal. 33. ptura: Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus; & indicium esse aliquod Diuini constantisq; amoris. Ic circo familiare est sanctis uiris, si ea destituuntur, flagitare eam à Deo summis precibus; quod feciſſe Sponsam illis verbis: Osculetur me osculo oris sui, auctor est
Serm. 9. in Cant. idem S. Bernardus, qui cum docuisset Sponsam osculo pedum sponsi per pœnitentiam peccatorum veniam consecutam esse, ac post adeptione Virtutum locupletatam, ad oscula manuum, existimare debere sibi factū esse satis à Sponso, nec quiquam ultra quærere, inducit illam sic reclamantem: Non quiesco ait, nisi osculetur me osculo oris sui. Gratias de osculo pedum, gratias &

de

de manus, sed si cura est illi vlla de me, osculetur me osculo oris sui. Non sum ingrata, sed amo. Accepi fateor, meritis potiora, sed prorsus inferiora uotis. Desiderio feror, non ratione; ne quęso causemini rationem, ubi affectio vrget. Pudor sanè reclamat, sed superat amor. Nec ignoro, quod honor Regis iudicium diligit, sed præceps amor nec iudicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subijcitur. Rogo, supplico, flagito, osculetur me osculo oris sui. Deinde cum commemorasset quibus nam virtutis actionibus ex Dei voluntate multò iam tempore detineretur addit: Ceterum, quod in his omnibus est, totũ constat de consuetudine, de dulcedine nihil. Mandata forsam utcunq; adimpleo, sed anima mea sicut terra sine aqua in illis. Vt igitur holocaustum meum pingue fiat, osculetur me quæso osculo oris sui. Hæc ibi. Consequitur similiter amorem Dei altera etiam proprietas, quam nominat discretionem S. Bernardus, tùm, quia amore augescit ipsamet Dei cognitio, quæ fons est spiritualis prudentiæ, cognoscimus enim (ait S. Augustinus) vt diligamus Deum, & diligendo plenius cognoscimus: tùm, quia amor ipse sua solicitudine mentem acuit & illustrat ad seipsam circumspiciendam, fraudesque hostis omnes perueſtigandas & eludendas, siquidẽ spiritualis omnia iudicat. Sed potissima amoris Diuini affectio est tertia illa proprietas ferẽdi fortiter res quascunq; quantumlibet aduersas, perpessiones quaslibet asperas propter Deum. Ea quippe est amantium Lex (ait S. Chrysostomus,) vt se tum demum felices putẽt, cum aduersa pro his quos diligunt sustinent. Ita ergo

Serm. 11. de Verbis Domini.

1. Cor. 2.

Hom. 3. in epist. ad Philemonem.

& nos

& nos erga Dominum noſtrum afficiamur. Quare ſe potius ad patientiam comparant qui ſic Deum amant, cogitant potius, & quærunt quid pro Chriſto tolerẽt, etiám ſi pericula ſint ſubeunda grauiſſima, quàm guſta re quàm ſuauis ſit Dominus. Ac quanquam ſuauitatẽ amoris non negligant, ſuauitati tamen laborum tolerã-
Hom. 54. in Geneſ. tiam anteponunt. Idem S. Chryſoſtomus ſic habet alibi. Quando quis ſauciatur Charitatis deſiderio, nihil difficile ſpectat, ſed id, quod fuerit plenum periculis, & multa miſeria, leuiter fert, hoc vnum intuens, quomo-
Gen. 29. do ſuo potiatur uoto & deſiderio. Nam ſi iuſtus ille propter puellæ amorem ſeptennium ſeruire, ferreq; paſtoralium laborum ærumnas decreuit, & non ſentit uel laboris, uel temporis longitudinem, ſed illi omnia leuia & facilia videntur, expectatione & ſpe fructus alitur, ita vt dies paucos longum illud tempus putet, qualem nos habebimus excuſationem, qui non pari ſtudio erga Dominum noſtrum & benefactorem, & curatorem, & qui nobis eſt omnia, afficimur? & paulo poſt adferens S. Pauli exemplum, addit: Verum & ſi nos tã ingrati, non ita Beatus Paulus, qui tanta feruebat & ignitus erat Charitate in Deum, vt verba illa tanto vito di-
Rom. 8. gna loqueretur clamans: Quis nos ſeparabit à Charitate Dei. Vide dictionis emphaſin, & latentem vim, vide amoris violenti furorem, vide Charitatem incenſam. Quid inquit, eſt quod poſſit nos à Charitate Dei ſeparare? quid inter viſibilia? quid inter inuiſibilia? Deinde volens omnia numerare, ſimul manifeſtum facere deſiderium nullo frẽno frẽnandum quod erga Dominum gerebat, ſubdidit: num afflictio? num anguſtia? num fames?

mes? num persequutio? num nuditas? num periculum? num gladius? O animam sana furentem insania, eaq; quæ continentiæ mater est. Et paulo post: Nullus alius sic à Deo dignatus est diligere Dominum, sicut beata illa anima. Quasi enim liberatus à corpore, es sublimis factus, & ut ita dicam, neq; super terram ambulare se putans, ita loquitur: Amor enim in Deum & succensa Charitas, mentem eius à sensibilibus ad spiritualia transtulit, & à præsentibus ad futura, & à visibilibus ad inuisibilia. Eodem modo se habent Fides & Charitas in Deum. Et vt discas magnam eius gratitudinem, vide eum, qui sic Dominum dilexit & eius Charitate exarsit, fugari, persecutionem pati, flagellari, innumera grauia ferre, & dicere: In laboribus abundantius, in plagis supra modũ, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadraginta vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis in falsis fratribus, in labore & ærumna, & talia patiens gaudebat, & exultabat. Studeamus igitur & nos diligere Christum, & hoc fuerit regnum cælorum, infinitaq; bona, & fructus bonorũ assequi, si germanè & sicut oportet, eum dilexeris. Hæc ibi; & alibi addit de corporis infirmitatibus ac morbis sic: Nihil est tam horridum, tanq; tremendum, quod hi qui vel morbo aut pœnis discruciantur, non superent, si Diuino sint amore incẽsi, & ita ut neq; ignis neq; ferrum, neq; inopia, neq; lãguor aliquis, neq; mors, neq; aliud quidpiam istiusmodi, graue aut molestium appareat ei, qui hunc sit erga Deum consecutus, quin etiam aspernatus cuncta, & irridens,

Hom. 18. De Dei amore, & tolerãtia.

ridens, subleuabitur ad Cælum, ubi pari cum reliquis ibidem uersantibus fruetur beatitudine. & post: Afficiamur itaq; amore eiusmodi, quem æquiparare nihil potest, nec solum præsentium aut futurorum gratia, quin his amissis, ob ipsius amoris naturam. Hæc S. Chrysostomus.

Secundum Indicium Amoris Dei.

Secundum Indicium Amoris nostri erga Deum est, ita Deū diligere, vt præ vi amoris ignoremus ipsi quid amemus aliud præter Deum, amoreq; ita extra nos rapiamur, vt penè nostrimet obliuiscamur. Hoc acutè & piè vt omnia S. Augustinus, Anima inquit se respexerat, sibiq; placuerat, suæq; potestatis amatrix facta fuerat: recessit ab illo, & non remansit in se, & à se repellitur, & ab illo excluditur, in exteriora prloabitur, Amat mundum, amat temporalia, amat terrena, quæ si seipsá amaret, neglecto à quo facta est, iam minus esset, iam deficeret amando quod minus est, minus est enim ipsa, quàm Deus, & longè minus, tantoq; minus, quàntò minus est res facta quàm factor. Ergo amādus erat Deus, & amandus est Deus ita, vt si fieri potest, nosipsos obliuiscamur. Hoc inde multò ante S. Augustinum significatum fuerat in Canticis: vbi enim nos legimus: Ordinauit in me Charitatem, vertunt alij: Vexillum super me Charitas; vt enim in exercitu vexillum attollitur supra omnia, sic in animo omnibus anteit. Dicitur autem super me: quia vt ait doctissimus Pater Barradius, non solum ceteras creaturas, verum etiam ipsum hominē, qui Deum amat, superare debet Dei amor ita ut dicere possit, super me Charitas, hoc est Deum multò maiori quàm me amore complector: immò si me diligo, non

Lib. 50. Homil. Hom. 34.

Cant. 1.

Tomo 1. Concord. Lib. 4. c. 8.

nisi

nisi propter Deum diligo. Vexillum totus sequitur exercitus, Charitatem Dei reliqui sequuntur amores affectusque animi, nulla enim res nisi propter Deum amari debet. Amor enim singularis qualis est Diuinus (vt ait Richardus) consortem non recipit; Exempla autem hominum qui sui obliti sunt præ amore Dei & Christi, reliquerunt nobis omnes penè Martyres, illi præsertim, qui non solum patienter, sed alacriter etiam immanissimos quoslibet cruciatus corporis tolerarunt pro Christo. Præter Martytes multi etiam Viri sancti qui ita Deo hærebant animo, itaq; curam corporis ac sui ipsius dimiserunt, ac si ad seipsos non pertinerent ipsi. Illustris in hoc genere S. Bernardus extitit. Quoties (ait eius vitæ scriptor) sibi pia ministrantium fraude deceptus liquores pro alijs alios sumpsit? nam & oleum aliquando per errorem sibi propinatum bibit, & penitus ignorauit, & cum à Claraualle Cartusiam vsq; venisset, insidens stramento equi minus paupertatem præferente, mirante Cartusiæ Priore, miratus & ipse est, quærebatq; quale illud esset, cum toto illo itinere nunquã vidisset, nunquam considerasset, & usq; in horam illam quale esset, omninò nesciret. Deniq; iuxta Lacum Lemanum totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Affinia sunt exempla illorum, qui etsi viderẽt res alias, homines, Angelos ipsos, non magni admodũ facerent, in vnum Deum cogitandum quærendumq; defixis animis prorsus intenti. Scribit S. Nilus cum monacho cuidam Deum contemplanti obuij in itinere Angeli fuissent, ab eo prætermissos esse, ac penè neglectos; vt hinc etiam verax S. Pauli ora-

Lib. 4. de Cõtempl. cap. 15.

Lib. 3 c. 2.

culum intelligeretur neq; Angeli poterunt nos separa-
Rom. 8. re à charitate Dei. Sed quàm singularis ac præstans in hac rerum humanarum, immò etiam Angelorum ex Dei amore incuria & incogitantia fuit Maria Magdalena? quę cum Christum quæreret in sepulchro, Angelosque in eo inuenisset, ad eorumq; interrogationem responso breuiter reddito, Tulerunt Dominum meum,
Ioan. 20. & nescio ubi posuerunt eum; ait Euangelista: Hęc cum
Tomo 2. Hom. Maria stabat ad monumẽtum foris. dixisset, conuersa est retrorsum. Cur hoc? inquit Origenes, quia onerosi mihi sunt omnes consolatores, grauant me, & non consolantur, ego enim quæro creatorem, & ideo grauis mihi est ad videndum omnis creatura, nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere; quia possunt dolorem augere, & non possunt penitus delere; Deniq; ego non quæro Angelos, sed eum qui fecit me, & Angelos. Huius autem proprietatis Diuini Amoris hæc potest adferri ratio: quod ebrietas quædã spiritualis est Dei Amor & suimet Dei Amantẽ compo-
2. Cor. 5. tem esse non sinit interdum. Siue ait Apostolus, mente excedimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. Si hæc sobrietas quo modo sua propria ratione illa non sit ebrietas?

Tertium Indicium Amoris Dei. Tertium Indicium Amoris Dei est orandi studium. Est enim amantis eius quem amat aspectu, colloquio, consuetudine velle semper frui, si possit. Oratio autem conuersatio cum Deo est, aiunt Patres; propterea sancti quiq; Viri quo magis Dei amatores, eo orationis studiosiores extiterunt. Exempla post Apostolos dederũt nobis Dei amantissimi S. Dominicus & S. Franciscus, quorum vita Oratio perpetua fuit; quod eo maiorem habet admirationem, cum nihil interim quod ad homi

num

num salutem, Ecclesiæq; vtilitatem pertineret prætermiserunt vnquam; nimirum, quod ut scriptum est de S. Bernardo, in quolibet cætu hominum vel tumultu, nisi eorũ intentionem causa deposceret, tota facilitate animum colligentes, interiori quadam, quam ubique ipsi sibi circumferebant, solitudine fruebãtur, nil prorsus attendentes quid sonaret, vel appareret exterius. Lib. 3. Vitæ, cap. 1.

Quartum Indicium eiusdem Diuini Amoris, sit affectio ad Christum Dominum, in primis ad eius passionẽ & mortem pro salute hominum obitam, nonnisi ueheme ntissimo amoris eius in patrem hominesq; impulsu. Quo affectu incensum Apostolum nemo dubitat qui eius epistolas vel primis labris attigerit. Certè S. Chrysostomus de Pauli in Christum amore ea prędicat, quæ ut uerissima sunt, sic etiam maxima admiratione digniſſima; aliqua adscribam. Corinthijs inquit scribẽs, Placeo mihi in periculis, & infirmitatibus meis. Itaque cum inter medias inimicorum versaretur insidias, ouãs tamen de omni referebat eorum impugnatione victorias: & ubiq; cæsus verberibus, affectus iniurijs atq; maledictis, quasi triumphales pompas ageret, crebra trophæa strueret, orabat, gratiasq; referebat Deo dicens: Deo autem gratias, qui semper triumphat nos. Itaq; ad confusiones & iniurias quas ob prædicandum Christũ sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamẽta properabat, mortem potius quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulẽtiam, & multo amplius laborem desiderans quàm alij requiem post laborẽ, ac mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem, studiosius pro inimicis orans, quàm alij aduersus inimicos. Et postea: Quartum Indicium Amoris Dei. Homil. 2. de laudibus Pauli.

Non dico quia nihil præsentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas Vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates, Hæc enim ille quasi arenam vilia reputabat: sed ea ipsa penè quæ promittuntur in cælis: & tunc eius ardentem amorem in Christum videbis: hic siquidem præ illius dulcedine non Angelorum non Archangelorum admiratus est dignitatem, neq; quicquam horum simile concupiuit. Quod enim erat maius omnibus, Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem neq; dominatuum, neq; principatuum socius esse cupiebat, sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, immò etiam ex numero punitorũ, quàm sine hac inter summos, & honore sublimes: hoc enim erat illi maximum & singulare tormentum, ab hac charitate discedere, hęc illi erat gehenna, hæc sola pœna, hæc intoleranda supplicia: sicut etiam perfrui Charitate Christi, hæc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præsentia, hoc futura, hoc Regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera; præter hoc verò nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ habentur, nihil asperum, nihil etiam suaue reputabat; sic despiciebat vniuersa, quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos uerò ipsos, ac populos spirantes furorem, uelut esse quosdam culices existimabat. Mortem uerò & cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret; Tunc enim, tunc amplectebatur libenter, & decorabatur uinctus catena magis, quam diademate coronatus; etenim coarctatus

carcere

carcere habitabat Cælum, ac libentius uerbera excipiebat & vulnera, quàm alij brauia diripiunt, & dolores non minus quàm præmia diligebat, cum ipsos vtiq; dolores loco duceret præmiorum. Hæc S. Chrisostomus. Qualem ergo dicemus hunc Pauli amorem aduersus Christum, an non planè Heroicum atq; Diuinissimum. eodem inflammati sine dubio fuerunt & alij Apostoli Christi, & qui eos postimitati sunt innumeri Viri Apostolici, fœminæue, præsertim Petrus, Andreas, Polycarpus, Irenæus, Ignatius, Laurentius, Sebastianus, Vincentius, Agnes, Cęcilia, Agatha, Lucia, Catherina, Sympho rosa, Felicitas, quos ad supplicia quidem tormentaque rapuere Tyranni, ad ea verò ipsi tanqnàm ad nuptias conuolabant, robur & alas vno Christi crucifixi amore subministrante. Et sanè quid nos arctiore ardentioreq; astringat amore cum Christo, quàm Christi pro nobis sponte crucifixi commemoratio? S. Bernardus cum alia quædam amoris in Christum incitamenta produxisset, addit: Sed est, quod me plus mouet, plus urget, plus accendit. Super omnia inquam reddit amabilem te mihi Iesu bone calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omnino amorem nostrum facilè vendicat totum sibi. Hoc in quam est, quod nostram deuotionem & blandius allicit, & iustius exigit, & arctius stringit, & afficit uehementius. Multum quippe laborau it in eo Saluator, nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Illa denique dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. At verò hoc, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobra-

Serm. 20. in Cant.

probratores. Ecce quomodo dilexit. sic S. Bernardus.

Quintum Indiciũ est, omnem rerum omnium, quæ Deus non sunt, amorem a se prorsus abijcere, ac in vnũ Deum transfundere, nulliq; alij solatio quàm Dei seruitutis ac voluntatis eius explendæ addictum esse eum,
Phil. 3. qui ex animo Deũ diligit, talis fuit Apostolus, cũ omnia vt stercora arbitrabatur propter Christũ, tales alij Christi discipuli cum vni Christi amori ac fidei posthabenda prædicabant terrena commoda ac emolumenta om-
2. Cor. 1. nia, vitam etiam ipsam quanquam vt ait S. Paulus responsum mortis haberent. tales qui se ab omni affiniũ, amicorum, ciuium, parentum consuetudine ita abstraxerunt, vt non solum loca deserta ciuitatibus, tuguria casasq; magnificis ædibus ac palatijs, sed solitudinem & mendicitatem hominum quoruncunque chariſſimorũ conuictui iucundiſſimo, opibus ipsis maximisq; diuitijs longè præferrent. Sunt hi Ecclesiæ Dei clarissima lumina, Pauli, Antonij, Hilariones, Macarij, & alij innumerabiles vtriusq; sexus homines, qui horum vestigia deinceps sunt secuti; quibus recensendis nil est quod immorer, hoc iter institutumq; tenuerunt post ad horũ xẽpla in omnibus religiosis ordinibus sanctiſſimi quique viri, qui summa cũ laude admiratione q; omniũ hominum perfectam rerum omnium abdicationem propter Christum coluerunt. Immò & perfecti illi Heroes Euangeliciq; pastores, qui etsi rebus mundanis omni-
1. Cor. 7. bus affluerent, ijs tamen ita vtebantur ex Apostoli règula, ac si non vterentur, nihil in suas suorumue, omnia in
Lib. 20. Vitę c. 40. pauperum vtilitates deriuantes. Quare de S. Gregorio Papa scribit Ioannes Diaconus, Viro solitario ac sum-

mæ

mæ continentiæ qui Gregorianas diuitias ſuæ paupertati conferebat, diuinitus indicatum fuiſſe in hæc verba: Quando diuitem non poſſeſſio diuitiarum faciat, ſed cupido, cur audes paupertatem tuam Gregorij diuitijs comparare, qui magis illum felem quem habes, quotidie palpando, nulliq; conferendo diligere comprobaris, quàm ille, qui tantas diuitias non amando, ſed contemnendo, cunctisq; liberaliter largiendo diſpergit? Ita ſolitarius increpatus ait, Deo gratias retulit. Sed ex priorum numero ſingulare nobis reliquit huius perfectæ abdicationis exemplum Ioannes monachus apud Theodoretū, de eo is ita narrat: Eſt autem humanis omnibus adeò ſuperior, ut nullo ex eis fruatur ſolatio. Afferam autem huius rei indicium euidens. Nam cum propter torum eius herbaceum vir quidam bonus plantaſſet amygdalum, & ea deinde procedente tēpore arbor euaſiſſet, adeo vt & ei vmbram præberet, & oculos paſceret, iuſſit eam excindi, ut ex ea nullam reciperet recreationem. Hæc ille, ſed antiquorum omnium paupertatem non ſolum æquauit S. Franciſcus, ſed longè ſuperauit, nimirum Dei & Chriſti flagrantiſſimus amator, cæleſtibus Seraphinis adhuc in terris poſitus, perſimillimus.

Hiſt. Sanctorum patrū c. 20.

Actio-

Actiones charitatis erga proximum. Occasio eas obeundi fraternè corrigendo, atque sublata omni excusatione rectæ correctionis Ratio.
Caput XXI.

CHaritas quanquam eadem est, qua Deum & proximum diligimus, estque amor Dei nobilior multò quàm proximi, completur tamen ac perficitur amore proximi. Si
1. Ioan. 4. diligamus inuicem ait S. Ioannes, charitas Dei in nobis perfecta est. Ex quo intelligitur, quæ sit propria & præcipua Actio charitatis erga proximum, nimirum diligere proximum propter Deum; quid autem hoc sit, non
2. 2. q. 25. art. 1. potest magis propriè explicari quam S. Thomæ verbis. Ratio ait diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere vt in Deo sit. atq; hoc est,
Ioan. 15. quod Dominus tradidit: Hoc est præceptu meum, vt di
In Ioan. tract. 83. ligatis inuicem, sicut dilexi vos. Vt quid enim ait S. Augustinus, diligit nos Christus, nisi vt regnare possimus cum Christo? quæ sanè diligendi ratio paucorum est, quia & pauci sunt, qui vt debent, diligant Deum. ideo subdit idem pater. Ad hoc ergo & nos inuicem diligamus, vt dilectionem nostram discernamus à cęteris, qui non ad hoc se inuicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt: ergo vt se diligant, Deum diligunt. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus: pauci se propterea diligunt, vt sit Deus omnia in omnibus: hæc S. Augustinus. Ex quibus vltimis verbis, quã altè spectet charitas

in

in proximum, quàmq; insignis ac prope diuinus sit hic dilectionis gradus, nemo non videt, integram nimirũ & plenam postulans Dei in hominem amoris dominationem, mutuamq; hominis in Deum amoris seruitutem, qua solus Deus planè sit omnia in omnibus nobis. De hac præstantissima Charitatis Actione sic scribit S. Chrysostomus: Vt intelligas, quàm pulchra & præclara sit Actio, eam verbis describemus, quando nõ videmus eam rebus apparere: Nobis veniat in mentem si ea vbiq; esset, affatim, quanta bona ubiq; existerent. Nam si omnes diligerent, & diligerentur, nullus cuiq; faceret iniuriam. Sed cædes, & pugnæ, & bella, & seditiones, & rapinæ, & propter nimirum habendi cupiditatem circumscriptiones, & omnia mala procul abessent, & ad nomen vsq; ignoratum esset vitium. Signa autem (hoc est miracula) hoc non efficiunt, sed ad inanem gloriam & insolentiam efferunt eos, qui non attendũt. Et quod charitatis est admirabile, alia quidem bona mala habent adiuncta, ut qui pauper est, quod suas abdicarit facultates, propterea sæpè intumescit. Qui est dicendi facultate præditus, laborat vesana gloriæ cupiditate. Humilis propter hoc ipsum in sua insolescit, & superbit conscientia. Charitas ab omni eiusmodi pernicie est libera. Nam aduersus eum qui diligitur nemo vnquam fuerit elatus. Nec mihi posueris vnum diligentẽ, sed omnes similiter, & tunc eius videbis virtutem. Vel potius si vis, pone vnum, qui diligitur, & vnum, qui diligit, diligit autem, vt par est diligere. Is terram tanquã cælum habitabit, ubiq; & semper fruens tranquillitate, & innumerabiles sibi contexens coronas: Nam qui est

Hom. 32. in primã ad Cor.

eiusmodi is ab odio, & ira, & inuidia, & arrogantia, & vanagloria, & à mala cupiditate, & ab omni prauo ac nefario amore, & ab omni mala ægritudine suam purã conseruabit animam. Et post: Propterea Dominus perfectæ in ipsum charitatis signum esse dixit, proximum
Ioan. 21. diligere. Si enim o Petre me plus his diligis ait, pasce oues meas. Hæc S. Chrysostomus. Ex quibus perspicitur, quæ sit ratio, quamobrem charitas tam multa immo omnia bona secum afferat, auertat omnia mala, & præsertim animum à prauis cupiditatibus liberet, quia nimirum diligendi proximum ex charitate Deus solus vt est auctor, sic ratio & forma est; fieri autem non potest, vt qui se intelligit, à Deo moueri ad amandum proximũ, amori huic aliquid admisceat, quod aut proximum aut Deum offendat: Propterea addit S. Chrysostomus: Si hoc exactè seruaretur, non esset seruus, non liber, non princeps, non qui pareret principi, nõ diues, non pauper, non paruus, non magnus, non Diabolus vnquàm esset cognitus. Non hic dico solus, sed etiam si alius talis, immò verò & si centum, vel etiam decies mille essent eiusmodi, nihil valuissent, si illa esset: ignis enim immissionem magis tulerit fœnum, quàm flammam charitatis Diabolus: Hęc ille. Ac ne gratis S. Chrysostomus hæc de charitate prædicasse videretur, paulo
1. Cor. 13. post ex eodem Apostolo id confirmat, ait enim: Non irritatur, non cogitat malum vide(ait)non solum in vitium dominatum obtinere, sed nec omninò sinere, vt consistat, non enim dixit, irritatur quidem & superat, sed nec irritatur quidem; neq; dixit, non operatur malum, sed, ne cogitat quidem: nihil enim mali non modo

comparat

comparat aduersus eum, quem diligit, sed ne suspicatur quidem. & post. Hinc non æmulatur, hinc non inflatur: nam aliena mala sua esse existimat. Vidisti quemadmodum Angelum suum alumnum paulatim facit charitas? Quando enim fuerit ab Ira remotus, & ab Inuidia mundus, & liber ab omni Tyrannica animi perturbatione, traductus est etiam ad ipsam Angelorum impatibilitatem. Vide ibidē alia. Atq; hæc sit potissima Actio charitatis aduersus proximum. Est & altera Actio charitatis eiusdem, quæ nō ita propriè ad eam pertinet sicut antedicta, maximè tamen pertinet, estq; cum re ipsa proximo præstamus, quod nobis noster in eum amor dictat, amor in quam charitatis. Et quia hæc Actio multiplex est, ad hanc quippè omnes penè aliarum virtutū actiones reuocari possunt, omnes enim charitas imperat; S. Augustinus eam bipartitò generatim distribuit his verbis: Partim corpori partim animæ hominis bene facit, qui hominem diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est, ad animam autem disciplina. Sed medicinam nunc uoco, quicquid omninò corporis vel tuetur, vel instaurat salutem. Ad hanc itaq; pertinet non ea tantum, quæ ars eorum exhibet, qui propriè Medici nominantur, sed etiam cibus & potus, regmen & tectum, defensio deniq; omnis, atque munitio, qua nostrum corpus aduersus externos ictus, actusq; seruatur. Atq; ad hoc caput misericordiæ corporalis opera reduci omnia ibidem postea insinuat idem S. Pater. Qui deinde de altero sic scribit. Quod autem attinet ad disciplinam, per quam ipsi animo sanitas instauratur, animi medicina est, & quantum Scripturis ipsis Di-

Lib. de morib. Eccles. c. 27.

Cap. 28.

uinis colligi licet, in duo distribuitur, Coercitionem, & Instructionem. Coercitio timore, Instructio uerò amore perficitur eius dico cui per disciplinã subuenitur, nã qui subuenit, nihil horum duorum habet nisi amare. Hæc S. Augustinus. Hæq; sunt actiones charitatis in proximum, nunc exponendæ Occasiones.

Occasiones charitatis in proximum sunt tot, quot sunt miseriæ eius & indigentiæ; eas tamen ex S. Augustini doctrina nunc allata, redigimus ad duo illa capita disciplinæ, Coercitionem & Instructionem: si quidem ea pars quæ ad medicinam aut subsidium corporis attinet, est misericordiæ. Porro coercitio communis Actio est maiorum qui cum potestate & imperio animas regunt, & nostri similium æqualiumq; qui similiter nobis in aliorum potestate sunt; Coercent autem hi non regio paternoue more ac superciliò, vt illi, sed fraternè omninò: nec factis, nisi fortè exemplo, sed verbis spiritu charitatis compositis & animatis. Ac de maioribus quidem nihil aliud in præsentia dicendum videtur, quàm quod scribit S. Gregorius Ioanni Episcopo Corinthiorum: Sit igitur (ait) erga subiectos solicitudo laudabilis; exhibeatur cum mansuetudine disciplina; sit cum discretione correctio; Iram benignitas mitiget, benignitatem Zelus exacuat: & ita alterum condiatur ex altero, ut nec immoderata vltio plusquàm oportet afligat, nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. Occasionem officij huius accipiant Præsides, cum ad aures eorum peruenit delictum, caueantq; ne eneruati sint & languidi, dum corrigunt, nec nimis molli brachio obiurgent filios peccantes, ne in eam perniciem incurrant,

Superiores quomodo debeant corrigere.

Lib. 4. Regist. epist. 99.

incurrant, in quam incidit ſacerdos Heli propter videlicet inbecillitatem animi, obiurgationisq; mollitiem. Lib. 1. Regum, c. 2. Corripiamus verbis ait S. Auguſtinus, & ſi opus eſt, corripiamus & verberibus, ſed delictum dimittamus, culpam uerò de corde abijciamus. Ideo enim Dominus ſubdidit: De cordibus ueſtris, ut ſi per charitatem imponitur diſcipliua, de corde leuitas non recedat. Quid enim tam pium, quàm medicus ferens ferramentum? plorat ſecandus, & ſecatur, plorat urendus, & uritur; non eſt iſta crudelitas; ſæuit in vulnus, ut homo ſanetur, quia ſi vulnus palpetur, homo perditur. Hęc ille Hæcq; de Maiorum reprehenſione. Serm. 15. de Verbis Domini.

Æquales autem & pares monentur à Domino: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, &c. & certum eſt præceptum hoc non ſolum Euangelicum eſſe, ſed etiam ipſius Naturæ Legis. Cõſtet igitur primum peccaſſe fratrem, nec nos eodem peccato teneri, muniamus pectus charitate & prudentia, & fortiter ac ſuauiter peccantem fraternè aggrediamur opportunitate captata. Non deerit autẽ uolenti & parato opportunitas, verendum potius, ne deſit uoluntas. Quare non tam laborandum nobis eſt in proponendis corrigendi occaſionibus, quàm in perſuadendo, ne prętermittantur oblatæ, uarijs uaniſq; ut ſolet fieri, excuſationibus allatis. Numerat iſtas S. Chryſoſtomus, ijſq; reſpondet non minus eleganter ac ſolidè, quàm dignum eſt Chryſoſtomo. Prima excuſatio eſt Quid mihi curę eſt, ſuperuacaneas ſuſcipere inimicitias? Hæc ſunt inquit, uerba delira beſtiarum, uel potius Dæmonum. Non poteſt enim fieri, ut temerè & Matth. 18. Hom. 44. in primã ad Cor. Prima excuſatio nõ corrigẽdi.

ſine

sine causa odio habeatur qui hoc facit non ob correctionem, sed ob magna bona, & coronas ineffabiles.

Secunda. Secunda excusatio; Si autem dicas: Quid uerò non ipse sapit? Audies inquit à nobis, eum non sapere, est enim animi perturbatione ebrius: si enim in externis iudicijs ij qui iniuria afficiuntur, non possunt pro se dicere, ut qui ira ferueant, (quanquã non est uitium hæc commiseratio), multò magis ij qui tenentur mala consuetudine. Propterea dico, quod etiam si millies sit sapiens, mentem non habet uigilantem. Quid enim erat

Psal. 50. Dauide sapientius, qui dicebat: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. Sed quando iniustis oculis vidit vxorem militis, tunc dicebat, id sibi accidere,

Psal. 106. quod ijs qui nauigãt in mari furienti. Omnis sapientia mea est absorpta, & opus habebat alijs, qui corrigerẽt, nec sentiebat quidem in qualibus & quantis intus versaretur malis. Quam ob rem sua deflens peccata dice-

Psal. 37. bat. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Non sapit ergo, nec mentem habet, qui peccat, est enim ebrius, & eius caligant oculi.

Tertia. Tertia excusatio. Ne dicas illud, non est mihi curæ. Vnusquisq; enim suum onus portabit. Etenim inquit, vel maximum tibi crimen oritur, quòd cum vidisses errantem in viam non reduxeris: Si enim iumentum ini-

Deut. 22. mici in Iudæorum lege non licet despicere, qui non iumentum, neq; inimici animam, sed amici despicit, quãnam assequetur veniam? Time eum, qui primus dixit

Genes. 4. hoc uerbum, non est mihi curæ: nam illud: Numquid sum custos fratris mei, eodem quod hoc recidit. Hinc mala nascuntur omnia, quod quæ sunt nostri corporis,

aliena

aliena esse ducimus. Si non est tibi curæ, cui erit curæ? Infideline, qui eius malis lætatur, exprobratq; & insultat? At diabolo, qui impellit, & supplantat? Quarta excusatio; Et vndenam intelligam, quod proficiam dicens, & consulens? Vndenam inquit, est perspicuum, quod non proficies? Hoc est extremæ amentiæ, cum in incerto sit finis, certum subire crimen negligentiæ? Atqui Deus futura præsciens sæpè dixit, & nihil profecit, & neq; sic destitit, idq; cum sciret, se non persuasurum. Quam tu igitur habebis excusationem, qui futurum omninò ignoras, pigrescisq; & torpescis? Etenim multi sæpè aggressi profecerunt, & cum maximè desperassent, tũc maximè sunt assecuti. Quod si etiam nil id amplius effeceris, fecisti quod tuum est. Ne sis ergo inhumanus, neq; immisericors, neque negligens: nam quod hæc verba sint crudelitatis & socordiæ, illinc est perspicuum. Cur enim cum vnum ex tuis membris laborat, non dicis: Quid mihi curæ, & vnum mihi constabit, quod si eius curam geram, conualescet? Deinde mẽbrorum corporis tantam curam gerimus, membra autem Christi negligemus? Quomodo enim non est horrendum putrescentem carnem tuam aspicere & despicere? Christi autem corpus videns repletum scabie, prætercurris? & non existimas hæc esse digna mille fulminibus? hæc contra excusationes S. Chrysostomus. De occasionibus autem correctionis faciendæ multa dici possunt. Primò enim Deus ipse longè petito principio inchoat Caimi reprehensionem ab illa interrogatione; Vbi est Abel frater tuus? Altius multò repetito proœmio, nimirum ab externa parabola Nathan Propheta

Quarta.

Genes 2.

cum

Lib. 2. Regum c. 12. cum ad Dauidem adisset, vt eum grauissimi illius sceleris quod patrarat, argueret, Deniq; insinuatione & circuitione subire animũ eius qui peccauit consilium est sapientum, & gradus ad emendationem vitij. Illud etiã valde opportunum, si ea oratione utamur, quæ alienissima sit non solum à conuitio & iniuria, sed etiam ab omni asperitate verborum. Ne loquaris ita Rex, ait Iosaphat itidem Rex, corrigens Regem Israel. Quin minimè ad corrigendum apposita si condiatur potius humanitate corrigentis oratio. Qua de re tota S. Chrysostomus præclarè sic scribit. Accede inquit ad illum, & paruum dic fratris encomium, alijs quæ habet commodis & dotibus id componens, & tanquam aqua calida
1 fouens laudibus ita deprime furorem eius vulneris. Te
2 quoq; ipsum pronuncia miserum: Accusa commune
3 genus hominum: ostende nos omnes esse in peccatis.
4 Veniam pete dicens, te maiora aggredi, quàm quæ vi-
5 res tuę ferre possint, sed charitatem omnia audere. Deinde consulens hoc fac, non tanquam imperans, sed vt frater, cum his omnibus phlegmonem depresseris, & lenieris dolorem, qui accidit ex sectione futuræ reprehensionis, & sæpè usus fueris excusatione, & rogaueris, ne irascatur; cum eum his ligaueris, tunc plagam inflige, nec vulnus alligans, nec dissoluens, ut neq; illinc desiliat, neq; hinc despiciat: nam si certum non dederis vulnus, nihil amplius efficies; sin autem vehementer
6 percusseris, efficies, vt resiliat. Sexto loco S. Chrysostomus auctor est, vt quia quod ab eo fit encomij materia non est, excusetur intentio si fiere id posse criminis ratio patitur, vt cum quis bonum alioquin opus versat,

sed

sed imprudenter, & cum periculo. Addit postea. Nec statim adiungas supplicia proposita ijs, qui offendunt, & scandalum adferunt. Sed eius quoq; assume testimonium dicens: Non opus est, vt hæc à me discas, tu ipse scis. Et breue quidem sit consilium, venia autem sit multa, & frequens, & continuò surge ad charitatem, eorum quæ dicta sunt, contegens grauitatem, & molestiá. Da etiam illi potestatem dicens: Ego quidem hæc suadeo, & consulo, in tua autem potestate est, ut persuadearis, neq; enim cogo, nec uim affero, sed totum permitto libero tuo arbitrio. Hæc ex S. Chrysostomo: Maximè demum curandum est vt correctio opportuno tempore fiat, ne si dum efferuescit quis libidine, aut furit iracundia, corrigatur, non tam extrahatur, quàm impellatur in scelus. Quamobrem laudanda semper imitandaq; Abigailis prudentia, quæ viro suo periculum quod illa ab eius ceruice fortunisq; depulerat, non indicauit vespere, erat enim ebrius, donec scilicet vinum mane digessisset. Atq; de charitatis regula in corrigendo adhibenda non plura. Sequitur altera disciplinæ pars, quam nominat S. Augustinus vt diximus, instructionem.

7 8 9

Lib. 1. Regum 25.

In qua exercenda innumeræ se se offerunt charitatis Christianę atq; perfectę Occasiones.

Occasiones charitatis Christianæ iuuandis in spiritu excolendisq; hominibus præsertim in disciplina Christiana, & Sacris confessionibus. Caput XXII.

PArs disciplinæ hactenus explicatæ ad Christianos omnes pertinet, non ita quæ superest posterior pars in instituendo proximo posita. Hęc enim in primis Episcoporum est maximè propria, quibus à Domino dicitur in Petri persona: Pasce oues meas; ideò S. Gregorius Episcopo cuidam: Instructio inquit, commissi populi fraternitatis vestrę sit Actio. Secundum Episcopos eius magistri sũt, qui vel ex officio, vel ex instituto. Vocationis animas Domino lucrantur, aut curant: Parochi, Religiosi pleriq;, alij studiorum eorum æmuli; ausim dicere etiam laici si prudentes & docti sint, zeloque salutis animarum exardescant: Quales multi sunt pleriſq; pijs sodalitijs Actionibusq; charitatis operam dantes, dum nec temere, nec clanculum, nec Maioribus inuitis id faciunt.

Joan. 21. Ep. 99. lib. 1. Regist.

Actio hæc vniuersa charitatis ampliſſima seges est. habet enim plerunq; eas difficultates, quas sola potest charitas superare. Quare eæ ex parte hic recensendæ sunt, vt quot sint, & quàm vtiles occasiones charitatis proximo exhibendæ, ex difficultatum numero perspicuum sit. Nihil hic dico de ea disciplina, quæ pro concione ex superiore loco populo explicatur. Constat. n. ex Apostolo concionem sine charitate esse cimbalum tinniens,

1. Cor. 13.

tinniens, aut æs sonans; & magnos qui propterea suscipiuntur labores, sola charitate quæ omnia suffert, mitigari. Nihil de ea difficultate, quam experiuntur, qui pueris rudioribusq; hominibus Christianam Doctrinã tradunt, de qua suprà aliqua diximus, & palam est, solã charitatem Actionis specie humillimæ illecebram esse: Contraho orationem ad priuatam institutionem, quæ tam in Sacramento Confessionis quàm extra, Christianis hominibus nostris in quam fratribus in Christo ut ad Dominum conuertantur, impenditur. Qua in re (quamuis de Catechismo scribens) S. Augustinus præclaræ ut solet, versatus est, sed simul etiam ita ad rem nostram appositè, ut nihil desideres amplius; modo pro Catechistę & Catechumeni Confessarij & Pęnitentis nomina subieceris.

Maximè igitur ex S. Augustino, ex S. Chrysostomo etiam & alijs quas hic pono difficultates, & ad has vincendas documenta charitatis accipio.

Prima difficultas institutionis cuiuslibet qui Christianæ disciplinæ aut pœnitentiæ causa ad nos accedat, est, si is veniat non, paratus, sola vt accidit, consuetudine, aut simili alia quapiam ratione ductus, quod sanè malum est non contemnẽdum, sed illud peius, si adeat Sacramentum commodi aut alicuius terrenæ cupiditatis causa. S. Augustinus. Rarissimè accidit, vt quisquã veniat volens fieri Christianus (aut confiteri, peccata sua) qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Si enim aliquod commodum spectando ab hominibus, non fieri vult potius quàm fingere. Sed planè sæpè adest misericordia Dei per ministerium Catechizantis, ut ser- Lib. de Catechizãd. rudibus cap. 50.

mone commotus, iam fieri velit, quod decreuerat fingere. Sicq; cum illo debemus agere, ut fiat in illo hæc uoluntas, etiam si non est: Nihil enim deperit, quando si est, vtiq; tali nostra actione firmatur. Sed si ficto pectore accesserit humana commoda cupiés, vel incommoda fugiens, vtiq; mentiturus est: tamen ex eo ipso, quod mentitur, capiendum est principium, & faciamus eum delectari esse se talem, qualem videri vult. (id intellige tantisper, dum occasionem dederit ille nobis ipsum apertè redarguendi.) si autē dixerit aliud quàm oportet esse in animo eius, qui Christiana fide imbuendus est (aut pœnitentiæ Sacramento initiandus) blandius & lenius reprehendendo tanquam ignarum, facias eum uelle quod aut per errorem, aut per simulationem nondum volebat.

De Cat. rud. c. 10. Secunda difficultas est, si non capiat auditor, quæ magister vt ad salutem eius necessaria tradit. S. Augustinus hic docet quantum se demittere debeat ad Christi Domini imitationem spiritualis magister & nutricum more omnia, minima etiam, ad eius animæ incolumitatem spectantia quasi præmansa in cordis eius os per corporis aures inferre charitate impellente, & præeunte eius verba suprà retulimus. S. Chrysostomus. Sic nos cum (fratribus) sermonem conferamus cum demissione & charitate. Ea est enim magna magistra, aptaq; & idonea ad abducendum ab errore, & ad mores componendos, & adducendum ad Philosophiam, & ad efficiendum homines ex lapidibus. Et si uis eius vim intelligere adduc ad me vnum timidum, & qui vel solo terreatur strepitu, & ipsas vmbras pertimescat, sitq; iracundus,

Hom. 33. in primā ad Cor.

dus, & asper, & sit potius fera, quàm homo, salaxque & libidinosus, & qui omni laboret vitio, & trade eum in manus charitatis, & eum adduc in hoc Gymnasium, & videbis illum timidum & ignauum, fieri fortem, magniq; & excelsi animi facileq; quidquis audere, & quod est admirabile, hæc non fiunt eius mutata natura, sed in ipsa timida anima suam vim ostendit charitas. Hęc S. Chrysostomus.

Tertia difficultas est, cum non animaduertimus audientem aut pœnitentem moueri; siue humana verecũdia reprimatur, siue dicta non intelligat, siue contemnat. S. Augustinus. Quandoquidem nobis non cernentibus animum eius, incertum est, omnia sermone tentanda sunt, quæ ad eum excitandum, & tanquam de latebris eruendum possint valere: nam & timor nimius blanda exhortatione pellendus est, & insinuando fraternam societatem, uerecundia temperanda: & interrogatione quęrendum vtrum intelligat, & danda fiducia ut liberè proferat. Quod si nimis tardus est, & ab omni tali suauitate absurdus & auersus, misericorditer sufferendus est, breuiter decursis ceteris ea quæ maximè necessaria sunt, propter futurum iudicium terribiliter inculcanda sunt, magisq; pro illo ad Deum, quàm illi de Deo multa dicenda. Idem S. Augustinus alio loco adfert exemplum accommodatum ad persuadendum ne cuiusquam quamuis infirmissimi & desperatissimi salutem desperemus. Etiam ait: Lethargici multi sanantur; ipsis enim similes sunt qui non sæuiunt in Christũ, nec malitiosi sunt aduersus Christum, sed tantum differendo langueſcunt verbis somnolentis, & in lucem oculos

De Cat. rud. c. 13.

Serm. de Verb. Domini 59.

oculos extẽdere pigreſcunt; & illis qui eos excitare volunt moleſti ſunt. Recede à me inquit languidus Lethargicus, obſecro te, recede à me. Quare? Dormire volo, ſed ille. Morieris inde. Ille amore ſomni mori uolo reſpondet. Et charitas deſuper: Nolo. Plerunq; iſtum charitatis affectum exhibet etiam filius ſeni Patri moriturò poſt paucos dies, iam utiq; ætate finita, ſi Lethargicum uidet, & Lethargico morbo premi ſuum Patrẽ à medico agnoſcit, dicẽte ſibi: excita Patrem tuum, ſi uis ut uiuat: adeſt puer ſeni, pulſat, uellicat, pungit, pietate moleſtus eſt, nec mori cito permittit cito moriturum. Quanto maiore charitate nos amicis noſtris moleſti eſſe debemus, cum quibus non paucos in hoc mundo dies, ſed apud Deum in æternum viuamus. Ament ergo nos, & faciãt quod audiunt per nos, & colant quem colimus & nos, ut recipiãt quẽ ſperamus & nos, hęc ibi.

Quarta difficultas eſt cum exigua, aut nulla ſpes oſtenditur futuræ emendationis eius, in quo nos operam noſtram ponimus ac ſtudium: ſed veremur potius, ne vel redeat ad ingenium, ſitq; ſibi ſemper ſimilis, vel fiat etiam vitioſior & deterior: Cui affinis eſt illa, ſi ſit is medicamẽti impatiens, nec vllam quantucunq; ſalutarem ac lenem curationem ferat. Et quidem quod ad primam attinet, præſtemus ipſi erga ægrotum hominem quem tractamus, id, quod muneris noſtri eſt, reliqua Deo committamus, fretiq; eius miſericordia & Sacramenti virtute, ſperemus potius de homine bene, pro illoq; oremus & ingemiſcamus ante Dominum, qui potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, & cuius opus eſt tota peccatoris conuerſio, & confirma-

tio;

tio; & si secus accidat hominis culpa, non nostra, nec tunc tamen iccirco nobis letandum est, quod nos nostro munere ritè functi sumus, ille autem suo vitio recidit in scelus, vt enim lætitia hæc peccatum non sit, postulat tamen charitas vt casum fratris doleamus ex animo, pro illoq; obnixè ac continuo Dominum deprecemur. Hic sanè sensus erat S. Bernardi cum sic scripsit: Dicas forsan quia liberaui animam meam, & mundus sum à sanguine hominis, cui annunciaui, & locutus sū, ut auerteretur à uia sua mala, & viueret. Sed etsi innumera talia addas, ne tamen ista minimè consolantur mortem filij intuentem, &c. De secunda verò ita loquitur S. Augustinus, si resilierit, & curari recusauerit, cōsoletur nos Dominicum illud exemplum, qui offensis hominibus ex verbo suo, & tanquam durum refugientibus, etiam ijs, qui remanserant ait: Nunquid & vos vultis ire? satis enim fixum atq; immobile debet corde retineri Hierusalem captiuam ab huius seculi Babylonia decursis temporibus liberari, nullumque ex illa esse periturum, quia qui perierit, non ex illa erat. Firmum enim fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui sunt eius, & recedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. Ista cogitantes & inuocantes Dominum in cor nostrum, minus timebimus incertos exitus sermonis nostri, delectabitq; nos etiam ipsa perpessio molestiarum pro misericordi opere, si non in eo nostram gloriam requiramus. Tunc enim est verè opus bonum cum à charitate iaculatur agentis intentio, & tanquam ad locum suum rediens rursus in charitate requiescit. Hæc S. Augusti-

Serm. 42. in Cant.

De Cat. rud. c. 11.

Ioan. 6.

2. Tim 2.

nus.

nus. Atq; hæ sunt pleræq; difficultates quæ non ex nobis, hoc est ex institutoribus ipsis & confessarijs existunt, sed ex auditoribus. Ex nobis sunt quę sequũtur.

Quinta difficultas est, cum nos ipsi occupatione aliqua vtili ita distinemur, ut graue admodum sit ab ea diuelli, vt confessioni aut disciplinæ proximi nauetur opera, qualis est lectio sacra, auditio Doctrinæ grauioris à docto magistro, aut alia aliqua fortassis ad speciem necessaria Actio. S. Augustinus. Lectio verò quæ nos delectat, aut aliqua auditio melioris eloquij, ut eam pro mendo sermoni nostro (& audiendæ confessionis ministerio) præponere uolentes, cum pigritia, uel tædio loquamur, alacriores nos suscipiet, iucundiorq; præstabitur post laborem; & maiore fiducia deprecabimur, vt loquatur nobis Deus, quomodo volumus, si suscipiamus hilariter, vt loquatur per nos quomodo possumus: ita fit, vt diligentibus Deum omnia concurrant in bonum. Alio posteà loco; Si autem confregit animum tuum alterius Actionis, cui tanquam magis necessariæ iam suspensus eras, omissio, & propterea tristis insuauiter Catechizas (aut pęnitentem audis) cogitare debes, excepto quod scimus, misericorditer nobis agendum esse quicquid cum hominibus agimus, & ex officio syncerissimæ charitatis: Hoc ergo excepto, incertum esse, quid vtilius agamus, & quid opportunius aut intermittamus, aut omittamus omninò. Quia enim merita hominum pro quibus agimus, qualia sunt apud Dominũ non nouimus, quid eis ad tempus expediat, aut nulla aut tenuissima & incertissima coniectura suspicamur, potius quàm conprehendimus. Quapropter res quidẽ agendas

De Cat. rud. c. 11.

De Cat. rud. c. 14.

agendas pro noſtro captu ordinare debemus: quas eo modo quo ſtatuimus, ſi peragere potuimus, non ideo gaudeamus, qui à nobis, ſed quia Deo ſic eas agi placuit, ſi autem aliqua inciderit neceſſitas, qua noſter ille ordo turbetur, flectamur facile ne frangamur: ut quem Deus noſtro præpoſuit, ipſe ſit noſter. Æquius eſt. n. ut nos eius, quàm vt ille noſtrá voluntatẽ ſequatur, quia & ordo agendarũ rerũ quẽ noſtro arbitrio tenere volumus, ille vtiq; approbandus eſt vbi potiora præcedunt: Cur ergo nos dolemus homines à Domino Deo tanto potiore præcedi, ut eo ipſo quo noſtrum amamus ordinem, inordinati eſſe cupiamus? Nemo enim melius ordinat quid agat, niſi qui paratior eſt nõ agere, quòd Diuina poteſtate prohibetur, quàm cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. Quia multæ cogitationes ſunt in corde viri, conſilium autẽ Domini manet in æternum. Hæc S. Auguſtinus, quæ ſi quadrant in oẽs Chriſti vineę operarios, quanto magis in eos, quibus ex inſtituto iuuãdi animas munus incũbit, quibuſque pro tempore à Maioribus imponitur? Prou. 19.

Sexta difficultas eſt, cum grauiter ferimus faſtidium, idem ſaxum ſemper verſandi, eadem audiendi peccata, & ea peccata plerunque à quorum commemoratione maximè abhorrent aures, ob quam cauſam eadem ſemper interroganda, eadem paranda ac præbẽda remedia, eadem refricanda & inculcanda ſuaſio, impulſio, rogatio, commotio affectus, hortatio, ad idem ſuſcipiendum conſilium, firmandum idem propoſitum, fugiendi eaſdem occaſiones, frequentandi eaſdem Actiones ſalutares & neceſſarias ad vitam no-

uam instituendam, quæ sine dubio molesta sunt ex se-
se,& Diaboli etiam tentatione nonnunquam molestio
De Cat. rud. c. 12. ra redduntur. S. Augustinus. Iam verò si vsitata & par-
uulis congruentia(dicam & pœnitentibus)sæpè repete
re fastidimus,congruamus eis per fraternum, paternũ,
maternumq; amorem,& copulatis cordi eorum etiam
nobis noua videbuntur. Tantum enim valet animi cõ-
patientis affectus, vt cum illi afficiuntur nobis loquen-
tibus,& nos illis discentibus,habitemus in inuicem: at-
que ita & illi quæ audiunt, quasi loquantur in nobis, &
nos in illis discamus quodammodo quæ docemus.
Nonne accidere hoc solet cum loca quædam ampla &
pulchra vel vrbium,vel agrorum, quæ nos sæpè viden-
do sine aliqua voluptate præteribamus , ostendimus
eis, qui antea nunquam viderant, vt nostra delectatio
in eorum nouitatis delectatione renouetur? & tanto
magis,quanto sunt amicitiores:quia per amoris vincu-
lum in quantum in illis sumus,in tantum & nobis noua
fiunt, quæ vetera fuerunt,sed nolumus eos, quos diligi
mus lætari & stupere, cum intuentur opera manuum
hominum, sed volumus eos exurgere in admirationẽ
laudemq; omnicreantis Dei, vbi amoris fructuosissi-
mus finis est:quanto ergo magis delectari nos oportet,
cum ipsum Dominum iam discere homines accedunt,
propter quem discenda sunt, quæcunq; discenda sunt,
& in eorum nouitate innouari, vt si frigidior est solito
nostra prædicatio, eorum insolita auditione feruescat.
Huc accedit ad comparandam lætitiam, quod cogita-
mus & consideramus, de qua erroris morte in uitam
fidei transeat homo. Et si vicos vsitatissimos cum be-
nefica

nifica hilaritate transimus, quando alicui fortè qui errando laborauerat, demonstramus viam; quanto alacrius & cum gaudio maiore in Doctrina salutari & iam illa quæ propter nos retexere non opus est, perambulare debemus: cum animam miserandam & erroribus seculi fatigatam per itinera pacis ipso qui nobis eam præstitit, iubente deducimus?

Septima difficultas est cum ipsi fastidio nostro tabescimus, fumusq; uel scandalo, vel tædio aliquo ita affecti, vt quidlibet velimus aliud, quàm proximis operam præstare. S. Augustinus; Si ex aliquo scandalo perturbatus animus, non valet edere serenum iucundumq; sermonem, tantã esse charitatem in eos, pro quibus Christus mortuus est, volens eos pretio sanguinis sui ab errore secularium morte redimere, ut hoc ipsum quod nobis tristibus nunciatur, præsto esse aliquem qui desideret fieri Christianus (aut peccata expiare Sacramento) ad consolationem illius resolutionemq; tristitiæ valere debeat, sicut solent lucrorum gaudia dolorem lenire damnorum. Non enim nos scandalum contristat alicuius, nisi quem perire, aut per quem perire infirmũ vel credimus, vel videmus. Ille igitur qui initiãdus aduenit, dum speratur posse proficere, dolorem deficientis abstergat. Si autem de aliquo errato nostro vel peccato nos mœstitudo comprehendit: non tantum memi nerimus, sacrificium Deo spiritum esse contribulatum, sed etiam illud: Quia sicut aqua ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Et quia misericordiam inquit, magis volo, quàm sacrificium. Sicut ergo si periclitaremur incendio, ad aquam vtiq; curreremus, qua posset extin

De Cat. rud. c. 14.

Psal. 50.

Eccles. 3.

Osee. 6.

gui, & gratularemur, si quis eam de proximo offerret: ita si de nostro fœno aliqua peccati flamma surrexerit, & propterea perturbamur, data occasione misericordissimi operis, tanquam de oblato fonte gaudeamus, ut inde illud quod exarserat opprimatur. Nisi fortè tam stulti sumus, ut alacrius arbitremur, cum pane currendum, quo uentrem esurientis impleamus, quàm cũ uerbo Dei quo mentem studentis instruamus. Huc accedit, quia si tantum modo prodesset hoc facere, non facere autem nihil obesset, infeliciter in periculo salutis, non iam proximi, sed nostræ oblatum remedium sperneremus. Cum uerò ex ore Domini tam minaciter
Luc. 19. sonet: Serue nequam & piger dares pecuniam nummularijs, quæ tandem dementia est, quoniam peccatum nostrum nos angit, ideo rursus uelle peccare non dando pecuniam Dominicam uolenti, & petenti? Hactenus de septima difficultate.

Octaua difficultas est cum suboritur timor ille, ne nostra institutio ac ministerium detrimentum adferat homini ad nos adeunti, suo scilicet uitio abusuro Dei tanta liberalitate, nec uitam in melius commutaturo, quod non paucis hominibus accidere non sine summo animi dolore quotidie cernimus. Cui dubitationi
De Catechiz. rud. c. 14. aliquid suprà respondimus: & S. Augustinus hæc nunc. Quod si timor ille suggeritur, ne fiat proselytus filius gehennæ, dum multi tales uersantur ante oculos, ex quibus ea oriuntur, quibus urimur, scandala, non ad retardandos nos pertinere debet, sed magis ad excitandos, & acuendos. Quin & quem imbuimus, moneamus, ut caueat imitationem eorum, qui non ipsa uerita-

te,

te, sed solo nomine Christiani sunt, ne eorum turba commotus aut sectari uelit eos, aut Christum nolit sectari propter eos; & aut nolit esse in Ecclesia Dei, ubi illi sunt, aut talis uelit esse quales illi sunt. Et nescio quomodo in huiusmodi motu ardentior sermo est, cui fomitem suum ministrat præsens dolor. Hæc ibi, & ecce tibi quanta charitatis materia, quàm multæ graues & necessariæ eam obeundi opportunitates.

Nona difficultas hic inseritur ex S. Gregorio (2. p. Past. c. 5.) Fit inquit plerũq; ut dũ Rectoris animus alienatẽtamenta cõdescendẽdo cognoscit, auditis tẽtationibus etiam ipse pulsetur, quia eadem per quam populi diluitur, aqua proculdubio lutis inquinatur. Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta dispensante tanto facilius à sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

Supereſt adhuc una difficultas, quam sola possit charitas explicare, quomodo cum tam uarijs omnis generis hominibus accedentibus nos gerere debeamus, non enim omnibus eadem institutio conuenit, nec omnes eandem planè medicinam ac curationem flagitent. Sed alij aliam pro cuiusque hominis statu, conditione, morbis. Huic etiam satisfacit S. Augustinus. De meipso testis tibi sum, aliter atq; aliter me moueri cum ante me Catechizandum uideo eruditum, inertem, ciuem, peregrinum, diuitem, pauperem, priuatum, honoratum, in potestate aliqua constitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis, aut sexus, ex illa aut illa secta, ex illo aut ex illo uulgari errore uenientem, ac pro diuersitate motus mei sermo ipse & pro- De Cat. rud. c. 15.

& procedit, & progreditur, & finitur. Et quia cum eadē omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item charitas alios parturit, cum alijs infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiscit offendere, ad alios se inclinat, ad alios se erigit, alijs blanda, alijs seuera, nulli inimica, omnibus mater. Hæc ibi.

Postremo ne quid huic tractationi deesset, idem S. Doctor Magistro disciplinæ huius scopum designat & statuit, ad quem vniuersam actionem & operam suam dirigat, efficiatq; vt illum attingat siue Catechumenus, siue pœnitens quem instituit. Scribit enim ita. Qui autem propter beatitudinem sempiternam, & perpetuā requiem, quæ post hanc vitam sanctis futura promitti tur, vult fieri Christianus, ut non eat in ignem æternum cum Diabolo, sed in regnum ęternum intret cum Christo, verè ipse Christianus est: cautus in omni tentatione, ne prosperis rebus corrumpatur, & ne frangatur aduersis, & in abundantia bonorum terrenorum modestus & temperans, & in tribulationibus fortis & patiens. Qui etiam proficiendo perueniet ad talem animum, vt plus amet Dominum, quàm timeat gehennam, ut etiam si dicat illi Deus, vtere delicijs carnalibus sempiternis, & quantum potes, pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat, & omninò non peccet, non iam ut in illud quod timebat, non incidat, sed ne illum, quem sic amat, offendat; in quo vna est requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quā præparauit Deus diligentibus se. Hęc ibi.

De Cat. rud. c. 17.

1. Cor. 2.

Et

Et quoniam huiuſmodi homines ſiue viri, ſiue fœminæ beneficio huius inſtitutionis allecti, & continuato miniſterio recreati plusquam par eſt, plerunque ſpiritualibus Catechiſtis & Confeſſarijs affici animo ſolent, & ad eorum ora ac latera ambitioſius ne dicam an accidius adhæreſcere; huic etiam malo S. Auguſtinus vt medeatur ſic ait. Ad extremum ne ſpes eius in homine ponatur ſedulo monendus eſt: quia neq; facilè ab homine iudicari poteſt, quis homo ſit iuſtus, & ſi facilè poſſet, non ideo proponi nobis exempla iuſtorum, ut ab eis iuſtificemur, ſed ut eos imitantes ab eorum iuſtificatore nos quoque iuſtificari ſciamus. Hinc enim fiet, quod maximè commendādum eſt, vt cum ille qui nos audit, immò per nos audit Deũ, moribus & ſcientia proficere cęperit, & viam Chriſti cum alacritate ingredi, nec nobis audeat aſſignare, nec ſibi: ſed ſeipſum & nos, & quoſcunque alios diligit amicos, in illo, & propter illum diligit, qui eum dilexit inimicum, ut iuſtificans faceret amicum. De Cat. rud. c. 7.

Hæc ex S. Auguſtino, vt propterea eius liber ex quo iſta de vſu charitatis deprompta ſunt, non tam de Catechizandis rudibus, quàm de veræ & Chriſtianæ charitatis ingenio ac induſtria inſcribendus mihi non immeritò videatur.

Indicia

Indicia & Exempla Christianæ charitatis in proximum. Caput XXIII.

PRimum Indicium Christianæ charitatis in proximum vt etiam nos alibi insinuasse meminimus, nunc paulo latius explicandum est ardens cupiditas salutis animarũ. De S. Francisco S. Bonauẽtura sic scripsit: Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit; saluti animarum nihil præferendum esse ducebat, eo magis probans, quod vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in Cruce pendere. De S. Paulo sic S. Chrysostomus. Audi quàm sit Paulus summus. Quis inquit infirmatur, & ego non infirmor? Quis scãdalizatur, & ego non vror? non dixit, & ego non molestia afficior: sed ego, non vror, dixit, vrendi verbo ostẽdere volens summum dolorem. Et rursus scribens in alia Epistola dicit: Sine nobis regnauistis, & vtinam regnauissetis. Et rursus: Nunc viuimus, si vos statis in Domino. Vide, quantopere studebat, vt res fratrum se rectè haberent, qui nec viuere quidem se existimabat, si illi non essent salui. Homo qui fuerat raptus ad tertiũ cælum, & delatus in paradisum, & qui fuerat particeps mysteriorum ineffabilium, & tantam apud Deum assecutus erat fiduciam, illorum bonorum sensum non vt de accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse saluos. Sciebat enim apertè, sciebat charitate nihil esse maius, neq; quod sit cum ea conferendum, nec ipsum quidem martyrium, quod est summa bonorum. Nam cha-

In vita S. Francisci cap. 5.

In Encomio S. Romani martyris apud Surium Tomo. 6. 18. Nou.

2. Cor. 11.

1. Cor. 4.

1. Thes. 3.

ritas

ritas quidem absque martyrio facit Christi discipulos: martyrium autem sine charitate non potest hoc facere: hæc S. Chrysostomus. Qui pluribus locis cum de S. Pauli charitate aduersus proximos loquitur, ita efferuescit spiritu, adeo alta admiratione tantę charitatis suspēditur, & abripitur animo, vt uix apud se sit, uix se ipsum capiat, præsertim cum illud explicat: Optabam anathema esse à Christo (hoc est inquit carere æterna remuneratione & Christi præsenti conspectu) pro fratribus meis, qui sunt Israelitæ; sic exponit in Commentarijs Epistolæ ad Romanos, at alibi optabat inquit in gehennam mitti, & iudicium subire perpetuum, pro eorum salute à quibus fuerat sæpè lapidatus, qui eum interficere contenderāt, ut hi tantarum ei auctores afflictionum per fidem corpori Christi iungerentur. Quis ita dilexit Christum? Si tamen hoc dilectione, & non amore maius est aliquid nuncupandum. Alio item loco scribit & aliud non minus minum. Is qui eligebat gehennæ cruciatum, ut Iudæos omnes ad fidem posset inducere, liquet profecto, quod non potitus uoti sui grauius afficiebatur, quàm hi, qui in gehenna cruciantur, quandoquidem hoc potius, quàm illud cupiebat. Quæ tamen omnia Anathemata optauit Apostolus modo nulla sua culpa cōtingerent: Nec aliter sentit S. Chrysostomus. Cæterum idem S. Pater alia quadam homilia uarias charitatis formas, & quasi personas recognoscit in Apostolo, quas operæpretium est hic producere tanquam Ideas perfectissimi amoris in Deum & proximum. Ait primò Pauli charitatem fuisse (quod indicium esse charitatis magnum post dicemus) commiseratione plenissi-

Rom. 9.

Hom. 16.

De dign. sacerd. lib. 4. c4.

Lib. 3. de prouid.

Homil. 3. de laud. S. Pauli.

mam, & quam potius iniurię ſuppliciaq; illata prouocarent, quàm offenderent. Quanto amplius offerebantur inimici, tanto eorum magis miſerebatur inſaniam. Vt cum aliquis indulgentiſſimus pater afficitur erga filium phreneſi correptum, cuius quanto magis conuitijs percuſſionibusq; pulſatur, tanto eum potius miſeratur, ac deflet. Ita Paulus qui de magnitudine paſſionum eorum à quibus afligebatur, æſtimaret furorem, maiora illis adhibet fomēta pietatis. Audi igitur, quàm patienter, quàm manſuetè nobis pro illis loquatur, qui eum quinquies verberauerunt, qui eum catenis onerauerunt, qui vinculis ſæpè cōſtrinxerant, qui eius ipſum ſitiebāt cruorem, quiq; illum quotidie diſcerpere geſtiebant. Teſtimonium inquit illis perhibeo, quoniam
Rom. 10. Zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Et
rurſus eos, qui ſe ſupra illos ſuperbius efferebant, refrę-
Rom. 11. nans ait: Noli altum ſapere, ſed time; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Sæpè lachrymabatur vehementer, & pro illis dolebat, uolentes illis inſultare prohibebat, atq; in quantum poterat, laborabat vmbram eis aliquam excuſationis obtendere. Et quia propter pertinaciam, atq; duritiam perſuadere eis fidem ſermone non poterat, ad orationes conuertebatur Fratres, inquit, voluntas quidem cordis mei,
Rom. 10. & obſecratio à Deum fit pro illis in ſalutem. Spe quoq;
Rom. 11. meliore illos ſolicitat dicens; ſine pęnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei, ut non pertinaci uſq; ad finem deſperatione moriantur. Quæ vtiq; omnia ſunt verba amantis, & ualde eorum vtilitatibus prouidentis. Vt cū
Iſaias 59. dixit: Veniet ex Siō, qui eripiat, & auertat impietates à

Iacob;

Iacob; mordebatur enim, ac penitus dissecabatur, cum eos pereuntes videret. Atq; hoc est Apostolicæ charitatis simulachrum.

Alterum eius charitatis exemplum est aduersus eos, qui Iudæi non erant. His autem inquit, qui sine lege erant, factus sum quasi sine lege essem, ut omnes lucrifacerem. 1. Cor. 9. Audi quid à Timotheum sit locutus: Seruum Dei non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, Doctorem patientem, cum modestia corripientẽ eos, qui resistunt, si quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem. 2. Tim. 2.

Tertiũ exẽplũ Apostolicũ est modestia charitatis eius aduersus eos qui lapsi erant in crimina; Vis autem ait S. Chrysostomus probare, quàm modestè ẽt & cũ illis loquatur, qui in peccata corruerũt? Audi quid Corinthijs dicat: Timeo, ne cum uenero, homiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & impudicitia quam gesserunt. 2. Cor. 12. Et ad Galatas: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in uobis. Galat. 4. Et in causa eius qui fuerat fornicatus non minus quàm ipse, qui peccato suo lamentabatur, dolet, proq; illo alios deprecatur dicens: Confirmate in illum charitatem. 2. Cor. 2. Sed etiam quando illum ab Ecclesiæ corpore separabat, quam multis hoc lachrymis gemituq; faciebat? ex multa inquit tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis quoniam charitatem habeã abundantius in uos. Et rursus: Factus sum Iudæis tanquam Iudæus, his qui sub lege erant, tanquam sub lege 2. Cor. 9.

essem, factus sum infirmus infirmis, omnia omnibus fa ctus sum, ut omnes saluos facerem. Vidisti ne quæso animam omnia superantem? omnem enim prorsus ho minem Deo exhibere cupiebat, & omnes quantum ad ipsum spectat, exhibuit, quasi vniuersum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, pollicendo, meditando, tum orando, pro ipsis, tum etiam ipsis supplicando, & terrendo, & dæmones animarum fugando, aliquando Epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes uerò firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpētes oleo exhortationis animare, inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, more optimi cuiusdam Ducis ac medici artis suę instrumenta gestantis, protector ipse bellantium, ipse sedulus ægrotorum minister, & vnus omnium officiorum personas & exercitium vbique custodiens.

Quartum exemplum charitatis Apostolicæ est illud quod S. Paulus simul edidit in procurandis proximo subsidijs etiam terrenis & ad mortalis vitæ vsus necessarijs. In carnalibus (ait S. Chrysostomus) non in spiritualibus solum plurima solicitudinis ac prouidentiæ suæ documenta præstabat. Audi quomodo pro una
Rom. vlt. muliere ad vniuersum scribat populum. Commendo autem vobis Phœbem sororem meam, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino dignè sanctis, & assistatis ei in negotio quo cunque vestri indiguerit. Et iterum: Nostis ait domum

Ste-

Stephanæ, & vos ſubditi ſitis eiuſmodi. Et rurſus: Cognoſcite, quæ huiuſmodi ſunt. Poſt confirmans idem exemplo etiam Eliſæi Prophetæ, addit, nec de viatico illorum quos euocabat, curam gerere dedignatus eſt. 4. Reg. 4. Tito ait: Zenam legis peritum & Apollo ſolicitè præmitte, ut nihil illis deſit. Tit. 3. Qui autem pro vno ſeruulo fugitiuo Oneſimo, & qui ex rebus Domini multa ſubtraxerat, integram omniq; affectu plenam Epiſtolam ad Philemonem ſine cunctatione compoſuit, qualis circa alios fuerit perpende. Vnum enim hoc ille pudore dignum putauit, aliquid ſcilicet pro cuiuslibet ſalute negligere. Propter hoc agebat omnia, nec omninò quicquam pro his qui ſaluandi erant, cunctabatur impendere, non verba, non pecunias, nō corpus ipſum. Quoniam inquit libenter impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris. 2. Cor. 12.

Ad extremum narrationem tantæ charitatis ſic claudit S. Chryſoſtomus. Cum celſus in omnium conſiſteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Vt.n. miſſum in ignem ferrum totum profecto ignis efficitur, ſic Paulus charitate ſuccenſus, totus factus eſt charitas, qui quaſi communis totius mundi eſſet Pater, ita in amore omnium ipſos eorum imitabatur parentes, immò cunctos non carnales tantum, ſed ſpirituales etiam Patres ſolicitudine ac pietate ſuperabat, & pecunias, & uerba, & corpus, & animam pro his quos diligebat impendens. Hæc de S. Pauli exemplis ex S. Chryſoſtomo. Quæ quàm ſint utroq; digna documenta charitatis, nemo non uidet.

De

De ipsomet tamen S. Chrysostomo illustri admodum tanti magistri imitatione discipulo, est, quod aliquid adferamus, quo intelligatur quanta fuerit illius in proximos charitatis flamma.

Secundū igitur indiciū perfectę charitatis in proximos est, & quidē ad ante dictū maximè cōsentaneū, animus paratus ac prōptus ad quidlibet perferendu, pro salute animarum, si opus sit, ét si illud sit nō solum cū labore, dolore, cruciatuq; corporis coniunctum, sed cuiuscunque etiam ignominiæ ac probri sordibus delibutum. S. Chrysostomus igitur, sic de se scribit. Velleni si fieri posset, vestris oculis ostendere, quam in uos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis iucundius, & desiderabilius, ne hæc ipsa quidem Lux: Millies enim optarē ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas conuertere, adeo ipsa luce mihi est vestra salus iucundior. Quid enim me iuuant solares radij, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras? Lux enim tunc est bona, quando apparet in lætitia. Et paulo post: Implere gaudium meum, liceat uobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem: uobis dari salutem, me verò accusari, quod meum munus non impleuerim. Non enim curo, vt per me salui sitis, sed vt salui sitis quacunq; ratione. Probant hoc idem indicium ea quæ ante attulimus de S. Pauli laboribus, perpessionibus, probris. Et quidem contemptionis huius ac dispicientiæ rerum omnium præ animarum lucro origo est Dei amor, & proximi. Est etiam ptopria ratione species ipsa animæ sanguine Christi expiatæ, quam cum semel S. Catharinę Senensi

Homil. in Acta.

In eius vita B. Rai-

datum

datum diuinitus esset animo contueri, ita exarsit Zelo salutis animarum, vt dixerit. Tanta est animarum dignitas & pulchritudo, ut ad eas lucrandas nullus par labor esse possit. Idque gloriosissimis factis à se in hunc finem gestis, maximisq; laboribus periculisq; susceptis ita esse vt dicebat ostendit. Plenæ etiam sunt Sacrę literæ, & historiæ Ecclesiasticæ Apostolicus exemplis innumerabilium hominum, qui & vitam salutis aliorum causa libentissimè profuderunt, & ipsas etiam grauissimę ignominiæ notas subierunt eandem ob causam, ut sine culpa, sic laudabiliter; vt propterea necesse non sit longũ facere in ijs recẽsendis. Vnũ non omitto, quod nostræ societatis homines ijsq; similes non paucos, quos in Ecclesia tenet sua quenq; vocatio, animare possit ad contemnenda & pro nihilo putanda præ salute proximorum speciosa quæq; munera, ad abijciendumq; sese ad vilissima officia, Actionesque despicatissimas, modo ex ijs Dei gloria & animarum salus colligatur. Dicebat B. P. Ignatius Societatis nostrę parens, se si quid ad animarum salutem pertineret, paratissimum esse nudis pedibus cornibusq; onustum per plateas incedere: nullumque recusare habitum, aut ridiculum ac probrosum vestimẽti genus, quod esse vtile hominibus posset, quod re ipsa comprobauit, si quando sese occasio obtulit. mundus Capuan.

Ita scribit P. Ribadineira, qui eiusdem Patris eximia & sui despicientiæ pleniſſima documenta plura charitatis in proximos latè exponit eodem loco: Nimirum hi fructus erant eorum seminum, quæ imitationis humilitatis Christi in tam multas partes suorum Exercitiorum, immò & Cõstitutionum libris sparsit, vt nos eos nobis Lib. 5. Vitæ cap. 2.

deme-

demeteremus, & in eundem vsum ederemus temporibus suis, atque hoc illud est Apostoli: Charitas non est
1. Cor. 13. ambitiosa. Hoc est vt exponunt quidam, non est fastidiosa. Idest nihil sibi indecorum putat, quamlibet vile
Vatablus ibid. officium, modo prosit.

Tertium Indicium charitatis erga proximum, est pergere in amore, quamuis non respondeat in amore, minusque officio nostro proficiat is, quem in Domino diligimus, & cuius causa laboramus. Exemplo Apostoli, qui sic scribit: Ego autem libentissimè impendam, &
2. Cor. 12. superimpēdar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar Considera ait S. Chysostomus,
Gradus charit. S. Pauli. quot gradus commemorat. Licebat accipere, ipse autē
Hom. 26. in primā ad Cor. non accipiebat. Ecce primum opus bonum: & quamuis inopia premeretur, ecce secundum: & illis prædicans, en tertium: & impendit, ecce quartum: & non sim
1 2 3 4 5 6 7 8 pliciter adiecit, sed cum incremento, ecce quintum: & non solum pecuniam, sed & seipsum, en sextum: & his qui non valde diligebant, ecce septimum: & his, qui valde diligebantur, ecce octauum. Hoc sanè & nos imitemur. Hęc S. Pater. Quam ob rem S. Anselmus his rationibus probabat, eum qui charitatem habet, maius aliquid habere, quàm illum, ad quem charitas habetur, ideoque optabilius esse charitate diligere, quàm diligi.
Prima ratio S. Anselmi. Primo enim aiebat ille (ut auctor est, qui eius vitam posteris mandauit) Qui charitatem habet, hoc vnde Deus ei scit gratias, habet: ille uerò ad quem tantummodo habetur, minimè. Quas etenim gratias mihi debet Deus, si tu me, vel quilibet alius diligit? Quod si maius est habere hoc, vnde Deus scit homini grates, quàm

hoc

hoc vnde nullas, cum pro habita charitate gratias sciat, pro suscepta non adeo: colligitur, eum qui charitatem erga aliũ habet, maius quid habere, quàm ipsũ cui impẽditur. Amplius: Is cui dilectio alterius seruit, solius commodi munus perfunctoriè suscipit, verbi gratia, honorem vnum, beneficium vnum, prandium vnum, vel quodlibet officij genus, in hunc modum. Alius verò charitatem quæ commodi munus exhibuit, sibi retinuit. Ad hæc conuersus ad fratres coram quibus verba faciebat, si ex ipso officio circa vos aliquid charitatis in me creuit, & hoc ipsum vobis ad cumulum retributionis erit, qui fecistis, vnde mihi tantum bonum prouenit. Hæc igitur si recta consideratione attendimus, profecto perspiciemus, magis nobis esse gaudendum, si alios diligimus, quàm si diligimur ab alijs. Quod quia non omnes faciunt, multi potius ab alijs amari, quàm amare alios cupiunt. S. Thomas etiam docet charitati magis conuenire amare quàm amari, est enim amare actus proprius eius, non item amari, quod potius rationem quandam indicat amoris alterius erga eum in quo est charitas. Et huius ait, duplex est signum. Primum quidem, quod amici magis laudantur ex hoc quod amant, quàm ex hoc quod amantur, quinimo si non amant, & amentur, vituperantur. Secundum, quia matres quæ maximè amant, plus quærunt amare, quàm amari, hæc S. Thomas.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

2.2. q. 27. art. 1.

Quartum Indicium eiusdem charitatis est commiseratio calamitatis alterius perinde ac nostræmet. S. Augustinus, quomodo se inuicem amant membra corporis nostri, si nos inuicem amare voluerimus, perfecta in

Lib. 50. homil. homil. 15.

nobis charitas poterit custodire. Quando sanum est caput, congaudent omnia membra, quando aliquid mali patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Ecce spinam calcat pes. Quid tam longè ab oculis quàm pes? longè est loco, proximus charitatis affectu. Modicum pungit spina, & perparuum locum tenet in pede, uide quomodo illuc conuertuntur omnia membra? Primò ipsa spina dorsi incuruat se, & deponunt se omnia membra. Nunquid oculi cessant quærere? Nunquid aures cessant audire? forte alij qui vident, vbi sit, dicunt, ecce ibi est, statim hoc aures audiunt, & sequuntur consilium: ibi & oculi quærunt, & manus operantur, & ut dixi, totum corpus illuc incuruatur, & nihil vacat in homine ad subueniendum: solum in pede factum est vulnus, & totum quod est in homine operatur, omnia membta sana sunt, etiam pes, nisi ibi vbi punctus est: Non est ergo communis calamitas omnibus, sed per compassionem charitatis omnia ueniunt ad subueniendum, & omnia volunt succurrere,
1. Cor. 12. vt impleatur quod ait Apostolus. Si patitur vnum membrum compatiuntur omnia membra Probat deinde S. Augustinus perfectæ charitatis esse miserari proximi damna, eaq; nostra reputare, ex eo quod Christus ipse caput & princeps omnis charitatis suorum persecutio-
Act. 9. nes, suas esse profitetur, cum ait Saule Saule quid me persequeris.

Quintum charitatis Indicium est omnes iniurias criminaq; alterius ex animo illi condonare. Idq; non semel, sed iterum, & quotiescunq; ille peccauerit, & errorem deposuerit, immò & si non deposuerit, quemad-

modum

modum qui nobis vel inuitissimis inimici esse volunt: Quoties debeo ignoscere? vsq; septies? quærit Petrus, Matth. 18. non vsq; septies ait Dominus, sed vsq; septuagesies septies. S. Augustinus. Et si septuagies octies peccauerit, Hom. 15. De Verbis Domini. ignoscе, & si centies peccauerit, ignoscе. Ipsum Dominum audi loquentem in Apostolo, vbi modus & numerus præfixus non est: Donantes vobismetipsis, si quis Colos. 3. aduersus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donauit uobis. Audistis formam, si septuagies septies peccata tibi Christus donauit, si hucusq; ignouit, & ultra negauit, pone & tu limitem, & vlterius noli ignoscere, si autem Christus millia peccata peccatorū inuenit, & tamen omnia donauit, noli subducere misericordiā, sed posce illius numeri solutionem. Post declarat numerum illum finitum Dominum posuisse pro infinito: Quomodo etiam cum aliqua numerauimus, & optamus intelligi adhuc plura supersse, vulgo dicimus, & sexcenta alia: ad indicandum eius numeri nullum finem esse.

Porrò quàm insignia fuerint in Christo Domino, hęc charitatis indicia omnia, & plurima alia his adhuc multò maiora, quis est, qui explicet? Zelo animarum ita exarsit, vt coarctaretur, vt ipse ait, donec Baptismo sanguinis sui pro earum salute ablutus seipsum patri Hostiam viuentem immolaret. Passionem & mortem probrosissimam obiuit spōte, libensq; & gaudēs sustinuit, quod optauit ardenter, ut opprobria exprobrantium Deo in ipsū recideret oīa, fieretq; vnus pro oīum gloria opprobrium hominum, & abiectio plebis. Quàm verò constanter in amore ingratissimæ & pessimę gen- Luc. 12.

tis perſeuerauerit, quàm ardēter nec amatus & capitaliſſimo odio habitus ab inimicis ciuibus, & popularibus ſuis inimicos ipſe dilexerit, quàm facilis ad ignoſcendum fuerit ſuismet hoſtibus & interfectoribus immaniſſimis, efferatiſſimis, in ipſo feruore tāti ſceleris mortis ſuæ, locupletiſſimè teſtatur vel vna illa eius oratio.

Luc. 23. Pater dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt. Ad quā rem faciunt quæ ſcribit S. Bernardus in eadem verba.

Ser. fer. 4. hebd doma de pœnoſæ. O inquit, quàm multus es ad ignoſcendum, o quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine. O quàm longè cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris: o quàm firmata eſt etiam ſuper impios miſericordia tua? Mira res: ille clamat: Ignoſce, Iudæi, Crucifige. Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleū, & iſti ſunt iacula. O charitas patiens, ſed & cōpatiēs. Charitas patiēs eſt, ſufficit: Charitas benigna eſt cumulus eſt. Noli vinci à malo, charitas abundans, ſed vince in bono malū, ſuperabundans eſt. Non enim ſola patientia, ſed & benignitas Dei ad pœnitentiam Iudæos adduxit, quia benigna charitas etiam quos tolerat, amat, & amat tam ardenter: patiens charitas diſſimulat, expectat, ſuſtinet delinquentes, ſed benigna trahit, adducit, conuerti facit ab errore vię ſuę. Deniq; cooperit multitudinem peccatorum. O Iudæi lapides eſtis, ſed lapidem percutitis molliorem, de quo reſonat tinniens pietatis, & ebulliēs oleum charitatis. Quomodo potabis Domine deſiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui ſic perfundis crucifigentes te oleo miſericordiæ tuæ? hæc ille: Vt mirum propterea non ſit, ſi etiam miraculis & prodigijs imitatoribus ſuis Chriſtus oſtendat, quàm ſibi gratum ſit

hoc

hoc tantum perfectissimę charitatis officium. Exemplũ vnum adfero Ioannis Gualberti, post Sãctissimi Abbatis ac Patris Monachorum Vmbrosæ vallis, tunc adhuc in seculo constituti, & inimicitiarum irarumq; parentis non minus quàm facultatum hæredis. Incidit is semel in hostem & interfectorem propinqui sui, cuius diu exoptauerat interitum, loco tam angusto, ut neuter posset de uia deflectere. Tum uerò hostis quòd inermis esset, nihil nisi mortem præsentem expectans concepta tamen repente fiducia de Ioannis clementia desilijt ab equo, humiq; prostratus ueniam iunctis manibus sibi dari pro crucifixi amore suppliciter petijt. Audito crucifixi nomine compunctus Ioannes, amore crucifixi pacem illi obtulit, iussumq; è terra surgere liberum hominem dimisit. Ingressus post Ioannes in Ecclesiam S. Miniati quæ nunc arce Florẽtinæ Ciuitatis obducitur, cum coram crucifixi imagine flexisset genua, uidit à Cruce pendentis caput ad se inclinari, tanquam ipsi gratias agentis, quod pro eius amore ac in eum pietate hosti capitali peperciſſet. Hodieque, hoc est post annos quingentos adhuc uisitur & piè colitur sacra illa Christi Crucifixi statua. Cerniturque ad facti memoriam sempiternam etiam nunc caput eius exporrecta fronte motum longius à ligno cui suffixa illa est non in grauati morem demissum, sed eius potius qui amicum benignè salutet, illiq; præstitum officium gratuletur. Surius Tomo 4. Iul. 12.

DE

DE VIRTVTIS ACTIONIBVS EX SANCTIS SCRIPTVRIS ET PATRIBVS,

LIBER SECVNDVS.

In quo de Moralium Virtutum Actionibus agitur.

De Prudentiæ Christianæ, & spiritualis Actione potissima. Caput I.



RIum illarum Prudentiæ partium Consilij, Iudicij, & Imperij de quibus alibi latè dictum est à nobis, Prudentiam sibi maximè imperium vendicare, & propriè in imperando positam esse, sic confirmant viri docti. Certum illud & tritum est, & ab Aristotele etiam positum: Non posse quempiam prudentem esse, nisi bonus sit, alioquin Virtus moralis non esset prudentia, & solius hominis boni est illud per imperium rationis rectè statuere, quod in vnaquaq; re bene agendum sit: Consilio autem & iudicio valere possunt etiam improbi, habereq; vel naturalem industriam ut S. Thomas colligit ex Philosopho, ab bonum & malum, vel etiam astutiam ad malum solum,

P. Valētia Tom. 3 d. 4. q. 1. p. 1. Lib. 6. Eth. c. 12. & 13.

2. 2. q. 47. art. 4. ad 3.

lum, quæ falsa prudentia est, aut prudentia carnis. Vera autem Prudentia circa ea tantum versatur quæ iusta, honesta, & bona homini sunt, ea verò sunt huiusmodi quæ agunt viri boni. Sic loquitur idem Aristoteles. Ex his duo conficiuntur. Vnum: Prudentiam repugnare peccato, nec posse vt ait Salomon, sapientiam hanc habitare in corpore subdito peccatis, quoniam vt S. Thomas scribit, Prudentia est præceptiua rectorum operũ, quod non contingit, nisi existente appetitu recto. peccatum verò procedit ex peruersitate appetitus. Alterũ, est propriam & præcipuam Prudentiæ actionem esse, imperare, ad quod præparant mentem, quæ illud antecunt consilium, & iudicium, suntque veluti mancipia duo aut ancillę prudentiæ. Ceterum vt ex Philosophis S. Thomas accepit multas alias virtutes proximè administras habet Prudentia, quibus ad munus præcipiendi ritè obeundum instruitur, & adornatur. Hæ numerantur octo. Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Prouidentia, Circumspectio, Cautio. Memoria est cognitio præteritarum rerum: Intelligentia præsentiũ: Docilitas quæ per institutionem acquiritur notitia: Solertia quæ propria inuentione & rectè conijciendo: Ratio, quæ argumentatione ratiocinationeq; concluditur. Prouidentia est ipsa dispositio rerum ad finem consequendum idonearũ: Circumspectio, est ad circunstãtias rei ipsius qua de agitur, attentio: Cautio deniq; machinatio quædam mentis est aduersus quæ sese obijciunt, impedimenta.

Ibid. c. 13.

Sap. 1.

Ibid. ad 2.

2. 2. q. 48. art. vnico.

Proposito igitur bono & fine, consulit mens, quibus rationibus illud adipisci possit, aduocat in consiliũ

res

res præteritas memoria duce, & comite experimento, ponderat res præsentes, adhibet peritos bonosq; consiliarios, seipsam excitat & acuit ad bene conijciẽdum, conficit aliquid ex his quæ vel antè nouit, vel tunc primùm audit, ac inuestigat noua industria; circumspicit attentè circunstantias omnes loci, temporis, facti, personarum; prospicit si quid immineat mali, damniue. Definit qua ratione superandæ sint difficultates, si quæ incidunt, sic rationibus omnibus in medium antè adductis, diligenter examinatis ad vnam rectæ rationis normam sapienter iudicat, quæ nam ex illis ad consequendum finem accommodatior, aptior, opportuniorq; sit, ac tum demum efficaciter imperat Voluntati vt consentiat, velitq; illud amplecti, quo nihil rectæ rationi magis cõsonum, honestius nihil, nihil vtilius sibi tunc esse perspicuè intelligit. Quare Prudentia soboles est rectæ rationis, & parens appetitus recti. Ex illa enim siue ex Synderesi (quæ habitus est innatus principiorum primorum practicorum) ortum ducit, indeque accersit primam suæ bonitatis originem, & primum quasi semen, quod deinde mentis gremio receptum, & antedictis cõceptionibus elaboratum, foras erumpens, appetitum efflorescentem, rectum, & Virtutibus conformatum reddit. Porrò nec Prudentiæ origo procreatio & actio Scripturis Sacris etiam continetur. Siquidem de memoria & experientia scriptum est apud Iob: In antiquis est Sapiẽtia, & in multo tempore Prudentia. Meditationi & considerationi rerum quibus de agitur seriò incumbendum, indicatur in Psalmo: Os meum loquetur Sapientiam, & meditatio cordis mei Prudẽtiam. Audiendos

Iob. 12.

Psal. 48.

diendos alios, & doctiores nobis, & consiliarios fortasse pares sępè præcipit Salomon; audiens sapiens sapien tior erit: Animaduertet verba sapientum. Ego sapientia, habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus. Circumspectè considerandas circunstantias, idem scribit Salomon. Prou. 1. Prou. 8.

Qui sapiens est timet. stultus autem transilit, & confidit. Astutus considerat gressus suos. & qui timet Deũ nihil negligit. Timorem autem Dei veram sapientiam Salomoni esse vulgatissimum est. Apud eundem est, prospiciendum antè quàm deliberes. Sapientia inquit callidi est intelligere viam suam, imprudentia stultorũ errans; & palpebræ tuæ pręcedant gressus tuos. Et sis sapiens in nouissimis tuis. Consultandum item de malis auertendis & declinandis, consilium ait, custodiet te, & prudentia seruabit te. Postremo ubi consulueris mẽtis imperio ad obtemperandum volũtatem inducendã esse, insinuat Salomon, cum ait: Sapiens corde pręcepta suscipit. Et qui sapiens est corde, appellabitur prudens. Deniq; considerauit agrum & emit eum. At ni me mea fallit opinio, explicatè de imperatrice prudentiæ actione differit, ostenditq; quàm imbecillis ea sit sine consilio, & quantum firmitatis & roboris ex probatis consilijs accipiat, cum ait: Dissipantur cogitationes, vbi non est consilium, vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur. Prou. 14. Eccl. 7. Prou. 14. Prou. 19. Prou. 2. Prou. 10. Prou. 16. Prou. 31. Prou. 15.

Ad similem deliberandi rationem vocat, instituitq; Israeliticum populum Moyses, cum vt confirmet ille voluntatem perpetuò Deo vero seruiendi, eiusq; legis præceptis ob temperandi, Ethnicis simulachris omni-

bus repudiatis altè petito principio ab antiquissimorũ rerum à Deo gestarum commemoratione inchoans, ait: Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt antè ex die, quo creauit Deus hominem super terram à summo cælo, vsq; ad summum eius, si facta est aliquando huiuscemodi res, aut vnquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, &c. Deinde proximè actas res, recentesq; & quasi præsentes vt recogitet diligenter, ait, audisti verba illius de medio ignis, in terra ostendit tibi ignem suum maximum, &c. circunstantias etiam facti ponit ob oculos. Vt tolleret sibi gentem in medio nationum, per tentationes, signa, atq; portenta, per pugnam, & robustam manum, extentumq; brachium, & horribiles visiones excitat simul ad prospiciendam futuram felicitatem, & ad sperandum omnia ad eam impedimenta remouenda, ut deleret inquit, nationes maximas, & fortiores te in introitu tuo, & introduceret te, daretq; tibi terram earũ in possessionem, sicut cernis in præsenti die. Ac demũ vt illud prudenti firmaq; & immutabili ratione apud se statuat, animoque pari fortitudine complectatur, non alium sibi habendum, colendumq; Deum, quàm hunc tantæ suæ salutis auctorem, concludit, scito ergo hodie, & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse sit Deus in cælo sursum, & in terra deorsum, & nõ sit alius.

Deut. 4.

Prima parte Past. cap. 9.

Eandem viam secuti sunt patres. S. Gregorius vt qualis futurus sit in cura aliorum gerenda is, qui tunc primum ad eam vocatus est, qualemq; seipsum comparare debeat, sic scribit: Mentis oculos ad opera transacta reuocet, pensetq; quisq; quid subiectus egerit, & repentè co-

tè cognoscet, si prælatus bona agere, quæ proposuerat, possit, quia nequaquam ualet in culmine humilitatem discere, qui in imo positus non desinit superbire. Nescit laudem cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit, cum deesset annhelare. Nequaquam vincere auaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditur is, cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex anteacta ergo vita se vnusquisq; inueniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. hæc ibi. Ecce quomodo ex ijs quę in nobis ipsi de nobis experti sumus, possimus probabiliter immò certò conijcere ac diuinare, quales futuri simus in posterũ quę prior pars prudentię est, qua homo seipsum adhibet in consilium. Cogitandas deinde circunstantias esse, & prouidenda futura idẽ Pater sæpè monet, sed præsertim cum præcipites instituit. Hi inquit, dum bonorum actuum pręueniunt tempus, meritum peruertunt, & sæpè in malis corruunt, quia bona minimè discernunt. 3. p. Past. Admouit. 16.

Qui nequaquam quid, quomodo, uel quando, quęque agunt, inspiciunt sed plerunq; acta quia ita non debent agere, cognoscunt. Quibus sub auditoris specie rectè per Salomonem dicitur: Fili mi sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit. Et rursum: Palpebræ tuæ pręcedant gressus tuos. Palpebrę quidem gressus præcedunt, cum operationem nostram recta consilia præueniunt. Qui enim negligit considerando præuidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed præuidendo sibimetipsi non antecedit. Hæc ibi. Eccl. 33. Prou. 4.

Postremò vbi consultum & cogitatum diu ac satis

est, maturæ facto opus esse, idq; ratione appetitui ac sibi subiectis facultatibus animæ omnibus fortiter impe-
3. p. Past. cap. 1. Admonit. 35. rante tradit idem S. Gregorius. Qui proposita ait, non perficiunt, etiam quæ sunt cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum solicita intentione nõ crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis est, contra ictum fluminis condescendentis, uno in loco nequaq; stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat. Hinc est enim,
Prou. 18. quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, frater est sua opera dissipãtis. Quia videlicet qui cępta bona distrietè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc
Apoc. 3. Sardis Ecclesię ab Angelo dicitur: Esto vigilans, & confirma cetera, quæ moritura erant, non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo. Quia ergo plena coram Deo eius opera inuenta nõ fuerant, moritura etiã reliqua, quæ erant gesta, prædicabat, si enim quod mortuum in nobis est, ad vitam non accenditur, hoc etiam extinguitur, quod quasi adhuc viuum tenetur. Hæc S. Gregorius. Cuius aliquæ sententiæ quanquam de ipsa externa actione intelliguntur, pleręq; tamen omnes in Actiones etiam mentis internas quadrant. Præsertim in Rationis imperium, quando post consilium iudiciumque aut nullum est, aut perinde ac nullum minimè efficax, languidum, & enervatum, quòd peccatum est incõsiderationis, & inconstantiam aduersus, prouidentiam,

soler-

ſolertiã, & intelligentiã. Ex quibus propriè exiſtit ratio nis imperium. Quare imprudens homo à ſapiente dici tur diſſipare theſaurum, bonarum nimirum & vtilium cogitationum. Et componitur cum errante, & eo qui minoratur corde. Minoratur enim corde cum errore inanium cogitationum ad alia diſtractus, nihil dignum homine concipit animo, nihil deliberat, aut agit, quod cordis ſtuporem excutiat. Contrà verò de prudente ſcribitur: Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificij non diſſoluetur: ſic & cor confirmatum in cogitatione conſilij & cogitatus ſenſati in omni tempore metu non deprauabitur Quod ab alijs ſic uertitur clarius, ut compages & iugamenta lignea ædificio indita concuſſu non diſſoluuntur, ſic animus firmatus perpenſo conſilio, nullo tempore pertimeſcet.

Prou. 21. Eccl. 16. Eccl. 22.

Quæ autem dicta ſunt de Actione Prudentiæ quæ uerſatur circa bonum proprium & peculiare vniuſcuiuſque, & Ethica ſiue Moralis nominatur, eadem prorſus conueniunt partibus Prudentiæ, quæ ſpectant commune bonum: Regiæ nimirum, qua Rex Princepsue curat bonum Regni, aut Tetrarchiæ: Politicæ qua ciues in idem incumbunt: Militari & Oeconomicæ, quarum illa exercitus vniuerſi, hęc familię conſulit vtilitatibus. Et hęc dicta ſint de Actione Prudentię Moralis.

Prudentia Chriſtiana nobilior multo altiorq; eſt, Heroica uidelicet, Diuina. Hęc in Prouerbijs diſertè appellatur Scientia Sanctorum, & de ea ſcriptum eſt: Ex ore Domini Prudentia, & Scientia. Hęc exercetur maximè per Diuinos inſtinctus, præſertim per donum Spiritus ſancti, quod dicitur Conſilium, quo in Scripturis Sacris

Prou. 9. Prou. 2.

non

Eph. 1. non solum ipsa consultatio significatur, sed etiam iudicium, & imperium, ut cum Apostolus de Deo loquens ait, secundum consilium uoluntatis suæ. Est autem hęc Prudentia à Deo, non solum quia à Deo creatur in anima, sed quia ut S. Thomas loquitur, animam à Deo mobilem reddit, & ad res diuinas erigit, & inflammat. Adde, ad eam iudicandi rationem hominem instituit, quæ Diuinæ propior est. Huius generis sine dubio fuit sententia Salomonis de matre pueri, quo se priuatam maluit, quàm ne eum vita priuatum videret. Nam vt ait S. Hieronymus, contra ætatis suæ mensuram de intimo humanæ naturæ suo iudicauit affectu, vnde & admiratus est, & pertimuit illum omnis Israel. Videntes vt Scriptura dicit, sapiẽtiam Dei esse in eo ad faciendũ iudicium. Sed mirabilior longè utpotè longè diuinior Christi Domini Prudentia, cum mulierem adulteram eripit ab imminenti vitæ discrimine illo dicto: Qui sine peccato est uestrum, primus in eam lapidem mittat. illa item cum Pharisæorum dolosa consilia tam facilè eludit. Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

2. 2. q. 52. art. 1.

Lib. 3. Reg. 3.

Ep. ad Rufinum de Salomonis Iudicio.

Io. 8.

Matth. 22.

Sed & alia ratione superat humanam Christiana Prudentia. Consiliarios habet plures, clariores, locupletiores, certiores, nempè diuinos libros Deo dictante conscriptos; Diuinos item homines adeo integros & incorruptos, adeo sapientes & expertos, sanctos inquam Doctores, aut vita functos, aut adhuc superstites, Ecclesiæ etiam pastores, quibus (summo præsertim cui tanquam capiti & magistro subijciuntur reliqui) certò scimus assistere Spiritum sanctum. Ex quo efficitur, ut consilium

Chri-

Christianæ prudentię lõge meliore loco sit quàm consi liũ morale, propterea q; longè plura sint & nobiliora, quæ iuuant & roborant eas partes quibus illud con- stat: Memoriam scilicet, Intelligentiam, Docilitatem.

Sed & pręter Diuinum consilium accedit plerunq; aliqua Diuini luminis illustratio, qua consultãtiũ mens nouo beneficio à Deo completur, ita, ut quod quærit sine multarum ratiocinationum circuitione ac penè subito assequatur. Hac excelluerunt Prophetæ, vt cum Daniel iudicium mortis aduersus Susannam tanta iniu ria constitutum repente retractat, & cum clandestinas comestiones & nocturna facinora Sacerdotũ Belis ex vestigijs cineri pauimento aspersi impressis deprehen- dit, ac detegit. Hac Apostoli, ut cum Petrus tam impro- uiso manifesti sceleris conuincit Ananiam & Saphirá. Certè S. Paulus cum de virginibus consilium dat, cau- sam hanc reddit: Puto inquit, quod & ego spiritum Dei habeam. Adhibet interdum ad eandem lucem adferen dam animis Deus miracula & somnia, reuelationes etiã quæ tamen vt vera Diuinæ voluntatis indicia sint, mi- nus certa sunt, quàm Scripturarum Diuina testimonia. Vt propterea ad Scripturarum regulam omninò exami nanda sint, nec censenda uera nisi quatenus veritati aut scriptæ aut traditæ Diuinitus consonant. Extat hac de re S. Augustini pręclara sentẽtia. Quod si Diuinitus admonitum vel territũ esse responderit, ut fieret Chri- stianus, lætissimum nobis exordiendi aditum præbet, quanta Deo sit cura pro nobis. Sanè ab huiusce modi miraculorũ siue somniorum ad Scripturarum solidio- rum viam & oracula certiora transferenda est eius in-

Dan. 13.

Dan. 14.

Act. 5.

1. Cor. 7.

Lib. de Ca tech. rud. cap. 6.

tentio:

tentio: vt & illa admonitio quàm misericorditer ei prę-rogata sit nouerit, antequam Scripturis sanctis inhęreret. Et vtique demonstrandum est ei, quod ipse Dominus non eum admoneret, aut compelleret fieri Christianum, & incorporari Ecclesiæ, & talibus signis aut reuelationibus erudiret, nisi iam pręparatū iter in Scripturis sanctis ubi non quęreret visibilia miracula, sed inuisibilia sperare consuesceret, neq; dormiens, sed vigilās moneretur, eum securius & tutius carpere voluisset. Hęc S. Augustinus, quod est idem ac dicere, Prudentiā extraordinariam tum demum ueram esse, & nec fallere, nec falli, cum innititur pręceptis regulisq; prudētię morali, illi pręsertim quę Scriptura continetur, nec illā huius normam esse, sed contrà potius hac illa omninò dirigi oportere.

Habet & aliud commodum Christiana Prudentia: Cum enim omni prudentię commune sit, exemplis prudentum virorum quęri, confirmari, augescere, ac proinde eorum consuetudine lectioneque librorum quicunque prudentię studiosus est, inuitetur, & iuuetur ad prudentes actiones edendas; quis non videt, quàm compendiariam ad Prudentiam viam nobis parauerit Christus Dominus, qui tam multa ipse perse nobis Virtutis huius exempla suppeditat, aliosque tam multos sui instituti aluerit in Ecclesia imitatores diligentissimos, prudentissimos, sanctissimos? Atq; hęc de Actione Prudentię potissima breuiter dixerim. Nunc de Occasionibus agendum.

Occa-

Occasiones, & exempla Prudentiæ in Actionibus Virtutum Charitatis erga Deum, & orationis. Caput II.

NOrma Virtutum omnium moralium est Prudentia; Theologicarum etiam est regula, & est Exercitationis earum administra. Iccirco occasionem Prudentiam exercendi præbent proficienti Virtutes omnes, & simul omnia illa, quæ nos ad actiones Virtutis cuiuscunq; obeundas quacunq; ratione vel inuitant, vel urgent. Quare non venabimur occasiones Prudentiæ melius quàm cum in actionibus Virtutum singularum circumspectè versabimur.

Et primum quidem vniuersè illud statuendum est, Prudentiam eum actionibus humanis modum ponere, eosq; fines, quos vltra citraq; nequit cõsistere rectũ; eaq; veluti mẽsura quædã ita moderatur & regit actiones hominis bonas, vt eæ remissæ non sint, neq; redundent, nihilq; quod ad eas honestandas necessariũ sit, aut prætermittatur, aut vacet, quæ magnum momẽtum habet ad hominem excitandum ad studium amoremq; Prudentiæ. Omni conatu ait Cassianus, debet discretionis bonum Virtute humilitatis acquiri, quę nos illæsos ab vtraq; potest nimietate seruare. Vetus namq; sententia est, ἀκρότητες ἰσότητες, idest, nimietates æqualites sunt, ad vnum enim finem nimietas ieiunij, & voracitas peruenit, eodemq; dispendio vigiliarum immoderata continuatio monachum, quo somni grauissimi tor Col. 2. cap. 16.

por inuoluit. Nam per exceſſum continentiæ debilitatum quenq; ad eum ſtatum reuocari neceſſe eſt, in quo negligens quiſq; per incuriam detineatur: ita vt frequenter quos per gaſtrimargiam decipi non potuiſſe conſpeximus, per immoderationem ieiuniorum viderimus eſſe deiectos, atq; ad eandem quam vicerant, paſſionẽ, infirmitatis occaſione collapſos. Vigilia quoq; & pernoctationes irrationabiles deiecerunt, quos ſomnus
2. Cor. 6. ſuperare non potuit. Quapropter ſecundum Apoſtolum per arma iuſtitiæ quæ à dextris ſunt & à ſiniſtris, recto moderamine tranſeundum eſt, & ita inter vtraſque nimietates diſcretione moderante gradiendum eſt, vt nec à tradito continentiæ tramite acquieſcamus abduci, nec rurſum remiſſione nimia in gulæ ac ventris deſideria concidamus. Et alia ibid. Caſſianus: Nunc aliqua adferenda de Prudentia ſingularum Virtutum functionibus mixta, eaſq; vti neceſſe eſt, moderante; ſic .n. palã fiet, quemadmodũ in exercitatione Virtutum aliarũ occaſiones nõ ſolum opportunas, ſed neceſſarias exercendæ ſimul Prudentiæ habeamus.

Ac vt nihil dicam de Fide & Spe, Amor charitatis in Deum non eſt ſine Prudentia: Siquidem ſcriptum eſt: Ordinauit in me charitatem. Hic autem ordo Prudentiæ fructus eſt. Et quamuis amare Deum nunquam ſatis poſſimus, nec modus alius in Dei amore ſit, quàm
Lib. de diligendo Deo in princ. Deum ſine modo diligere, vt auctor eſt S. Bernardus, docet nihilo minus S. Thomas, non debere nos credendo, ſperando, amando in Deum ferri, niſi ſecundum
1. 2. q. 64. art. 4. menſuram noſtræ conditionis, hoc eſt pro eo captu, ijſq; viribus, quas ſuppeditat nobis grauito Deus, qui

dat

dat quidem omnibus abundanter, sed prout vult. Hinc illa S. Bernardi doctrina: Qui etsi quantum debeo non possum, non possum tamen vltra quàm possum, potero verò plus, cum plus donari dignaberis, nunquam tamen prout dignus haberis. Imperfectum meum viderunt oculi tui, sed tamen in libro tuo omnes scribẽtur, qui quod possunt, faciunt, etsi quod debent, non possunt. Idem fortè significauit Vgo de S. Victore, cum de Dei Amore loquens, si desiderium ait est, currat: si gaudium, quiescat: sicut enim alijs in rebus omnibus, sic in hac etiam in vna Dei voluntate planè acquiescendũ est, & quamuis in amore currendum semper est, standum tamen simul est, quando nullo nostro vitio à cursu impedimur. Ratione igitur Dei quem charitate diligimus, nullus est Amoris finis, quia Deus infinitus est; Ratione autem charitatis qua amamus, nullus etiam terminus est amandi, ignis enim est Diuinus Amor, qui nunquam dicit sufficit, & nos ita Deum debemus amare, vt quantum in nobis est, nunquam velimus sistere in amore, aut amorem nostrũ erga Deum non augeri, si Deus det, ut magis semper amemus, magis q; crescat erga eum amor noster. Quare nec in obiecto diceret Theologus, nec in termino ad quem, charitatis in Deũ terminus vllus est amandi. In termino à quo tamẽ, hoc est in eo quod repudiamus præ amore Dei, statui mensura aliqua potest Diuini amoris certa: ita quippe amare debemus Deum, vt nec res alias, nec nosipsos nisi in Deo, ac propter Deum, amemus, immò solum Deum amemus, nos nihil, nisi in Deo. Sic habet S. Gregorius. Dei dilectio per tria distinguitur, quia ex toto corde,

Ibid. c. 2.

Psal. 138.

In Decalogũ c. 4.

Lib. 10. Mor. c. 6.

ex tota anima, ex tota virtute diligi conditor iubetur. Qua in re notandum est, quod Diuinus Sermo cum Deum diligi præcipit, non solum narrat ex quo, sed etiã informat ex quanto, cum subiungit ex toto, ut videlicet, qui perfectè Deo placere desiderat, sibi de se nihil relinquat. Est igitur terminus à quo Diuini Amoris, annihilatio sui, cum ita seipsum homo à seipso abstrahit, ut nihil in se diligat nisi Deum. Qua de re aliqua diximus in libro de perfectis. Cap. 24.

Est & alia Prudentiæ functio in Exercitatione charitatis erga Deum. Quia enim ut ait Salomon, omni tempore diligit, qui amicus est, & Deus adeo amabilis est, ut si fieri posset, amore continuato, nec vnquam intermisso (quod faciunt Beati) amandus à nobis esset; nostrũ est propterea ita frequenter in amore erga Deum esse, vt ab eo ne latum unguem nec ad punctum temporis diuelli uelimus. At quoniam id possibile non est, dum grauamur mortali corpore, munus Christianæ Prudentiæ est, designari tempora, horas, momenta, modum ac fines præscribere non tam amori, quàm amanti Deũ. Vt Deum per se semper amabilem, sempiterna charitate amem ipse, cum ualeo, semper, eadem scilicet nec vnquam mutata voluntate semper, non eodem actu amoris semper, cum nimirum spiritualis Prudentia id sapienter vetat. Vetat autem cum cessationem postulat vitæ aut corporis siue periculum, siue necessitas: Periculum quidem ualetudinis, necessitas autem, ut somni ac cibi capiendi. Cum item vt S. Bernardus ait, spiritualia studia nostra fraternæ vtilitati ex charitate postponimus, cum deniq; ex instituto uocationis suæ Prou. 17. In sententijs sent. 6.

ijs

ijs virtutibus, operibus, ſtudijs quiſq; uacat, quę nec prę termittere ſine culpa poteſt, nec cum actu amoris in Deum perfectè obire.

Secundum Amorem in Deum regit Prudentia omnem Deum orandi rationem. Dirigit noſtram cum eo conſuetudinem ac familiaritatem ad eum modum quẽ de amore diximus, ut ſine detrimento corporis, proximi damno munerumq; uocationis cuiuſq; fiat. Præcipit præparationem, ne ſimus orantes ſicut ij qui tẽtant Deum; præſcribit, ut magna cum reuerentia ac modeſtia Deum alloquamur orãdo; complectamur amantiſſimè ſuauiſſimum parentem ac ſponſum, ſed cum maxima animi ſubmiſſione: Eam ita frequentemus, ut non in illa incurramus uitia reflexionis & Actuationis, quæ commemorauimus libro primo. Cap. 7.

Sed pergit Prudentia ad interiora ſecretioraq; arcana occultiſſimæ ac ſanctiſſimæ illius mutuæ congreſſionis Dei & hominis, nõ quidem ut eam dirigat, cur enim hoc audeat in conſpectu tanti magiſtri, hoc eſt Spiritu Sancto illuſtrante, mouente, poſtulante pro nobis gemitibus inenarrabilibus? ſed ut obſeruet ſigna ingreſſionis & egreſſionis eius, indicetq; ſuo modulo ſpiritus præſentiam, ut ſciat homo eius ductum ſequi tam in Scripturarum intelligentia, quàm in omnibus humanę uitæ officijs, ſpiritualibus in primis. Scribit hac de re S. Bernardus piè & accuratè ut ſolet. Ceterum ait, quando ueniat, uel quãdo uadat, periculoſiſſimè ignoratur. Cum enim hæ Spiritus Sancti circa nos diſpenſatoriæ uiciſſitudines uigilantiſſimè non obſeruantur, fit, ut nec abſentem deſideres, nec præſentem glorifices. Nẽ- Serm. 17. in Cant.

pè

pè qui iccirco recedit, ut auidius requiratur, quo nam modo si abesse nescitur, requiritur? Et rursum: Qui dignanter ad hoc redit, ut consoletur, qualiter dignè pro sua maiestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo quæ ignorat abscessum, patet seductioni, & quæ reditum non obseruat erit ingrata uisitationi. Probat deinde necessariam esse continuam uigilantiam, & cõcludit; Vigilandum proinde, & uigilandum omni hora, quia nescimus qua hora Spiritus uenturus sit, seu iterũ abiturus. It & redit spiritus. Et qui stat eo tenente, deferente cadat necesse est: sed non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Et has alternare uices non cessat in his, qui spirituales sunt, uel quos potius spirituales ipse creare intendit, uisitans diluculo, & subito probans. Porrò S. Bernardus duas præscribit regulas, ad quas nostra deliberationes, & cõsilia dirigamus, tam in firmanda deliberatione, quàm in differenda. Prior regula est: Cum loquitur Spiritus, cedit vtraq; dubietas scilicet, & falsitas, & est nõ solum Veritas, sed & certa Veritas. Est quippe Veritatis ille Spiritus, cui contraria falsitas est. Est & Sapientiæ, quæ cum sit candor vitæ æternæ, & vbiq; attingat propter munditiam suã, obscurum ambigui non admittit. Posterior regula. Cauenda sanè cum Spiritus iste nõ loquitur, & si non molesta dubietas, certè falsitas execranda, quam facile caues, si eandem tuam ignorantiam non ignores, quatenus dicas & tu: Et si quid ignoraui, ignorantia mea mecum est. Aliud est autem sub incerto hoc uel illud opinando sentire, aliud temerè affirmare quod nescias. Aut ergo loquatur semper Spiritus, quod nostri quidé

Iob. 29.

minimè

minimè arbitrij est, aut quando silere placet, hoc ipsum indicet, & loquatur saltem suum silentium, ne ipsum nobis falsò præire putantes, nostrum pro ipso malè securi sequamur errorem. Et si suspenderit ambiguo, nō relinquat mendacio. Hæc ex S. Bernardo.

Indicia diuinæ præsentiæ.

Quod si quæras, quæ sint hæc Indicia præsentię Spiritus in anima? Respondeo, rem hanc latè explicatam alibi esse, nimirum Tertio libro de Disciplina. Quare in de accipi possunt omnia quæ ad eam pertinent. Breuiter tamen hic duo præcepta ex Patribus accepta adscribenda videntur. Cap. 14.

Primum est. Animæ quies atq; securitas, Indicium est præsentiæ Spiritus, coniuncta præsertim cum magna Cōscientiæ puritate. Sic aiebat S. Antonius; Securitas inquiens Animę, præsentis Maiestatis indicium est. Idem asserunt alij, S. Hieronymus, S. Gregorius, S. Chrysostomus, Beda, item Theophilactus, & Eutymius. Qui omnes hoc differre Spiritum bonum à malo aiunt, si mens (verba sunt Theophilacti) primum turbetur, & statim timor soluatur, & iterū quiescat, reuera Diuina visio est: si autem timor & turbatio magis & magis crescant, est Dæmoniaca. Idem ijsdem verbis Beda, & S. Thomas, & alij; Beda sic scribit: Tremētem Zachariam confortat Angelus, quia sicut humanę fragilitatis est spiritualis creaturæ visione turbari, ita & Angelicę benignitatis est, pauentes de aspectu suo mortales, mox blā dè consolari. At contra, Dæmoniacæ est ferocitatis, quos sui præsentia territos senserit, ampliori semper horrore concutere: Quæ nulla melius ratione quàm fide superatur intrepida. Hæc Beda. Nec quicquā refert, siue

In Matth. 28
Hom 26. in Euang.
Hom. 30. in Matth.
In Matth.
P 3. q. 3. art. 3. ad tertium.

siue Spiritus per se loquatur, & visat animam, siue adhibeat Angelũ, eoq; vtatur vt administro; semper .n. intus in animo Spiritus Sanctus est, qui vel seipso, vel Angelo præeunte excitat hominem, mouet, agit, instituit.

Secundum Præceptum est S. Basilij hominis in hisce affectionibus discernendis experientissimi, qui sic scribit: Vbi nihil quod humanum sit, præ oculis est, neque proprij oblectamenti gratia ad operandum mouentur sancti, sed quod Deo probatur, spectant, manifestum est Dominum esse, qui corda eorum dirigat.

Ep. 12. inter vltimo editas.

Est & alia Prudentiæ industria oranti necessaria ad finem orationis consequendum, cum Deo videlicet coniunctionem; frequentare orationes sed breues, quæ iaculatrices orationes appellantur: nam breuitas colligit attentionem, & repetitio iungit Deo firmiter: repetiti enim actus habitum gignunt. Quod præceptum fuit antiquorum Patrum, Cassiani, à quo accepit S. Benedictus in Regula, & S. Chrysostomi qui sic scribit: Vtrunque faciẽdum est, ut ne in longum uerba proferamus, & tamen assiduè deprecemur. Hoc inquies, cum illo pugnat: sed non inter se pugnant ista; absit hoc, sed magnoperè inter se congruunt, siquidem & Christus, & Paulus, iussit crebras, sed breues fieri precationes ex paucis interuallis: nam si in longum extenderis verba, cum frequenter parum sis attentus, multam audaciam Diabolo suppeditasti, vt accedat, supplantetq;, ac mentẽ ab his quæ dicuntur, auocet. Quod si frequẽter ac subinde oraueris, tempus omne crebris dirimens interuallis, facile poteris esse sobrius, ac vigilans, vt precationẽ multa cũ attẽtione perficias. Hæc S. Chrysostomus.

Orationes iaculatrices.

Col. 2. cap. 35. Homil. 1. de Anna Tomo. 1.

Occa-

Occasiones, & exempla Prudentiæ in Actionibus charitatis erga proximum, & fraterna correctione. Cap. III.

SEd vberrimam segetem Actionibus Prudẽtię subministrat Charitas erga proximum, maximè verò ea qua excellere oportet pastorem animarum, quæ iccirco pastoralis dici potest, & à S. Gregorio in Pastorali sic describitur, vt quàm necesse sit, eam cõtinuò Prudentiæ coniugatã esse superuacaneum iam planè sit, uelle demonstrare. Ex eo aliqua hic producemus præcepta & exemplа. Primùm tamen illud ex auctore Imperfecti in Matthæum obseruandum est. Iccirco Dominum in Euãgelio duo illa copulasse. Fidelis seruus & prudens, vt rem laudabilem, sed rarissimam proponeret, ut quis fidelis inueniatur & prudens. Ecce si quæras fideles, idest Deum timẽtes, & ipsos quidem non multos inuenies, tamen adhuc facilè inuenis. Item si prudentes quæras, inuenies multos. Fidelis autem & prudens difficile inuenitur. Quomodo qui fideles sunt, & Deum timentes, difficilè sunt & prudentes, & qui prudentes inueniuntur, difficilè sũt & Deum timentes. Quanto ergo rarior inuenitur fidelis & prudens, tantò qui inuentus fuerit, beatior est. & paulo post. Quoniam ergo Deo non tantum Prudentia hominis quantum conscientia placet: hominibus autem non tantum conscientia quantum Prudentia prodest, si fuerit tantum quis fidelis Laicum quidem facit, Sacerdotem autem non facit, nisi fuerit fidelis & prudens.

Hom. 51. Matth. 24.

prudẽs. Hæc ibi. Deinde & illud intelligendum hoc loco est, pastoris nomine hic appellare nos non solum illum qui rem Christianam in gerenda animarum cura administrat, ex officio, quales sunt Episcopi & Parochi, sed illum æquè qui idem præstat ex charitate, quales sunt in Ecclesia Catholica pleriq; omnes Concionatores, Confessarij, Catechistæ, & breuiter Spirituales Patres & Magistri.

Pastoris cum humilitate auctoritas.

Primum igitur Monitum sit. Magna Pastori Prudẽtia opus est, ad hoc vt ita se in humilitate contineat, ut tamen eius potestas, ac auctoritas nullum faciat detrimentum. Sit Rector ait S. Gregorius bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum Iustitiæ erectus, vt & de bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat; quatenus & honore suppresso æqualem se subditis bene viuentibus putet, & erga peruersos iura rectitudinis exercere non formidet. & Paulo post. Antiqui Patres nostri non Reges hominum, sed Pastores pecorum fuisse memorantur. Et vni dicitur, & terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Homo quippe brutis animalibus non autem hominibus ceteris natura prælatus est, & iccirco ei dicitur, vt ab animalibus, non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æqualibus uelle timeri. Et tamen necesse est, vt Rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendũt. Vt humana saltem formidine peccare metuãt, qui Diuina iudicia non formidant. Id verò cum probasset potestate eorum fieri, addit. Quam potentiam

2. p. Past. cap. 6.

Genes. 6.

bene

bene regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit & cum illa ceteris æqualiter componi. Adfert Exempla. Hanc inquit discretionem plenius agnoscimus, si Pasto ris primi exempla cernamus. Petrus nanq; auctore Deo Sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, à bene agente Cornelio, & sese ei humiliter prosternente immodera- Act. 10. tius venerari recusauit, seq; ei similem recognouit di- cens: Surge, ne feceris, & ipse ego homo sum. Sed cum Act. 5. Ananiæ & Saphiræ culpam reperit, mox quanta poten tia supra ceteros excreuisset, ostendit Verbo nanq; eo- rum vitam perculit, quam Spiritu perscrutante depre- hendit. Alterum exemplum. Paulus bene agentibus fra tribus Prælaturum se esse nesciebat, cum diceret: Non 1. Cor. 1. quia dominamur fidei uestræ, sed adiutores sumus gau dij vestri. Item facti sumus sicut paruuli in medio ve- 1. Thes. 2. strum. Et rursum: Nos autem serui uestri per Christum. 2. Cor. 4. Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, inuenit, illico magistrum se esse recoluit dicens. Quid vultis? in virga 1. Cor. 4. veniam ad vos. Tertium Exemplum. Non nunquam inquit grauius delinquitur si inter peruersos plus æqua litas, quàm disciplina custoditur. Quia enim falsa pieta- te ferire Hely delinquentes filios noluit, apud districtũ 1. Reg. 2. iudicem semetipsum cũ filijs crudeli damnatione per- cussit. Hinc nanq; Diuina uoce ei dicitur: Honorasti fi- lios tuos magis quam me. Hinc Pastores increpat per Prophetam dicens: Quod fractum est non alligastis, & Ezech. 34. quod abiectum fuerat non reduxistis: Hæc ille. Atq; vt nihil interim dicamus de alijs sanctissimis & fortissimis viris, præsertim Ambrosio, Chrysostomo & alijs, idem Lib. 4 Ep. S. Gregorius & dictis, & factis eum se præstitit, quem 34. sine

Ind. 13. cap. 78. describit. Constantię Augustæ ita scribit: Etsi peccata Gregorij tanta sunt, ut pati talia debeat: Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur. Et Sabiniano Diacono, potius ait mori paratus sum, quàm B. Petri Ecclesiam temporibus meis in aliquo degenerare permittere. Mores meos cognitos habes, quia diu porto, sed si semel deliberauero nõ portare contra omnia pericula lætus vado. Similia sunt illa. Intanto se existimet quis omnipotenti Deo placuisse, quanto se peruersis hominibus displicuisse cognoscit. Et Homines non sunt formidandi in causa, in qua Deo placere cupimus. Et sanè in causa Maximi Episcopi Salonitani initio quidem clementissimè moderatissimèq; se gessit, studuitq; pro viribus vt sese recognosceret, ac facinoris quod patrarat pœniteret. At cum deinde hominem natura insolentem & Imperatoris gratia ac patrocinio fretum obstinationem in sua pertinacia cerneret, nihil veritus Imperatoris auctoritatem, audaciam Maximi fortiter fregit, eumq; Christianis Sacris Communioneq; fidelium interdictum in ijs sordibus totos annos septem iacere permisit. De cuius tandem seria quamuis sera pœnitentia ac sanctissimi Gregorij charitate, humilitate, Prudentia, sic narrat Ioannes Diaconus. Inter hęc præuaricator Maximus anno septimo Excommunicationis suæ post castigationes & flagella Gregorij ad cor reuertens, Rauennam petijt (annuente pro sua clementia S. Gregorio) & iactauit se tensus intra Ciuitatem in media silice, clamans & dicens: Peccaui Deo, & Beatissimo Papę Gregorio. Et agente eo pœnitentiam tribus horis, cucurrit Gallinicus

Lib. 7. Ep. prima.

Lib. 8. Ep. 36.

Lib. 7. Ep. 80.

Lib. 4. Vitæ S. Gregor. c. 13.

cus Exarchus, & Castorius Chartularius Ecclesiæ Romanæ cum Mariniano Episcopo, & leuauerunt eum de silice: qui etiam cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Quod Gregorius ut audiuit, ad misericordiã protinus redijt. Hæc ibi.

Quatenus amari se optare possit Pastor.

Secundum Monitum. Ita prudenter regat seipsum Pastor, vt quanquam amari ab hominibus optare laudabiliter potest, velit tamen diligi potius Deum ac Veritatem: nec amoris sui immoderati vinculis ac tenebris se ullo unquam tempore ita capi ac obuolui, ut vel remissior quàm par est, uel asperior in ijs corrigendis ac iuuandis euadat. De primo sic S. Gregorius. Difficilè est, vt quamlibet recta denuncians Prædicator, qui nõ diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, & studere se diligi, quatenus possit audiri, & tamen amorem suum pro seipso non quærere: ne inueniatur ei cui seruire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studij occulta manifestat, dicens: Sicut & ego per omnia placeo omnibus. Qui tamen rursus dicit: Ego si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Placet ergo Paulus, & non placet, quia in eo quod placere appetit nõ se, sed per se hominibus placere Veritatem quęrit. De secũdo sic idem. Solerter inuigilet, nec hunc cupido placendi hominibus pulset. Quia nimirũ Amor proprius cum Rectoris mentem cęperit, aliquãdo hanc inordinatè ad mollitiem, aliquando verò ad asperitatem rapit. Ad mollitiem, quia cum peccantes subditos respicit, ne erga se eorum dilectio torpeat, cor ip ere non præsumit, non nunquam uerò errata subditorum

2. p. Past. cap. 8.

1. Cor. 10.

torum, quæ increpare debuerat, adulatione demulcet.

Ezech.13. Vnde bene per Prophetã dicitur: Veh his qui cõsuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Quos autem nil contra se valere cõspiciunt, hos (Rectores seipsos amantes) asperitate rigidæ semper inuectionis premunt. Quos rectè

Ezech.34. per Prophetam Diuina vox increpat dicens: Vos autẽ cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Plus enim se suo auctore diligentes, iactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid ualeant, attendunt. Quod si quæras, qua ratione explorare quisq; possit amorem suum, an sit erga Deum & Veritatem, an erga seipsum propensior, hanc Regulam ponit S. Gregorius. Ille seipso amplius Veritatẽ desiderat ama-

Gal.2. ri, qui sibi à nullo vult contra Veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpationem Pauli libenter accipit.

2.Reg.5. Hinc Dauid increpationem subditi humiliter audiuit. Hæc S. Pater.

Conciliat autem sibi Amorem ac beneuolentam suarum ouium Pastor Euangelicus; Primò quidem exemplo vitæ probatæ, ac morum sanctitate. Ad quem finẽ facem vt hominibus præferant virtutum suarum splendore, discipulos suos hoc est orbis magistros & paren-

Matth.5. tes animarum sæpè iubebat Dominus, tunc præsertim, cum dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera uestra bona, & glorificẽt patrem vestrum, qui in cælis est. Maximè verò id assequitur Pastor magnis ueræ charitatis significationibus. Vulgatum enim est illud: Si vis amari ama. Et amoris amor merces, & illecebra. Charitate autem si non præstat Pastor, Pastor

non

non est, sed mercenarius Sed de lege ac necessitate dandi exempli S. Gregorius latè sub initium secundæ partis Pastoralis. Secundò ita cum hominibus agendo vt non eis in odium ueniat sua consuetudine: non irascatur intempestiuè accedentibus, impudenter rogantes ferat, ne sit importunus in repetenda ratione vitæ atq; conscientiæ, non vrgeat plus quàm par est ad morum vitæq; mutationem, multò minus ad certum vitæ genus eligendum, fugiat omnem inutilem ac odiosam morositatem, abstineat ab his, quæ hominum animos meritò abalienant, quales sunt lites, contentiones, iniuriæ, negotia etiam quædam quæ non nisi cum aliqua seueritate aut acerbitate explicari & peragi possunt. In quam sententiam sic scriptum est, apud S. Chrysostomum. Ab initio inquit, vehementius quidem Petrus loquebatur, hic autem minus. (cum scilicet statuit de abrogandis Mosaycę legis cęremonijs) ita semper faciendum est his, qui in magna potestate sunt, ut onerosa illa alijs permittant, ipsi autem mansuetius agant. S. Gregorius etiam scribit de se Italicæ Patritiæ in hunc modum. Explentes memoratam petitionem vestram, iam de causis ipsis præuidimus reticendum, nec in his in quibus minus agi benignè cognouimus, desideramus nos per nosipsos immiscere negotijs. Addit post, se cõcordiæ causa negotia illa commisisse Diacono suo Cypriano expedienda. Atq; vt intelligamus, ex eodem Spiritus Sancti purissimo fonte Prudentiam Spiritus hausisse Sanctos Patres, & eos qui postea ijsdem eorum vestigijs institerunt: De B. P. Ignatio parente nostro tradidit P. Maffeius sic: Si quid pro imperio asperius exequendum

Cap. 3.

Hom. 33. in Acta Apost.

Lib. 2. Ind. 11. Ep. 57. cap. 96.

Lib. 3. Vitæ cap. 10.

quēdum esset, eius inuidiam ad inferiores administros reijcere solitus est, ipsis videlicet non inuitis communemq; parentem piè ac religiosè tuentibus. Hæc ille: Quod simul ab eo factitatum non dubito, ut afflictis hominibus aditus ad se adeundi semper apertus relinqueretur, quæ maior ne sit charitas quàm Prudentia non facilè dijudicari potest; certè magnę charitatis est omni ratione proximos iuuare, & eximia Prudentia est, ita se cum illis gerere, ut illi à nobis iuuari & velint, & sperēt. Tertiò dissimulando peccata aliqua ad tempus, tolerando etiam alia, corrigendo etiam nonnunquam cum aliqua remissione, nō parua colligitur apud homines gra-
Lib.2.Ep. 54. tia. Exempla profero unius S. Gregorij. Minores inquit culpas quæ negantur, vlcisci recusamus. Hocque dat Episcopo Rauennati, vt grauius crimen quod incurrerat facilius agnosceret, ac corrigeret, pœnas non su-
Lib.6.Ep. 24. mit de Ciriaco Episcopo Constātinopolitano, qui sibi Episcopi vniuersalis per summam simplicitatem vsurparat nomen, sola monitione contentus, ne vt ait Ecclesiæ vnitatem perturbaret, pro causa profani vocabuli
Lib.9.Ep. 40. moras faciendo. Quædam quę corrigi nequeunt, æquanimiter tolerare oportere scribit Isicio Hierosolymitano Episcopo. Nauis enim inquit, gubernator cum aduersari sibi uentum considerat, quosdam fluctus directo clauo exuperat, quosdam verò quos superari non posse præuidet, inflexo cursu prudenter declinat. Sic itaq; Sanctitas uestra quædam compescendo, quædam tolerando mitiget, ut in Sancta Hierosolymorum Ecclesia pacem cohabitantium conseruet. Scriptum quip-
Heb. 12. pe est: Pacem sequimini cum omnibus. Deniq; Clemē-

tinam

tinam Patritiam monet his verbis: Plerunq; plus virtú habet discreta in correctione remissio, quá in exequenda vltione districtio. Adeo ut nonnunquam hæc fideliorem atque subiectum, illa verò obstinatum faciat & æmulum. Ex S. Gregorio hæc: Possent & aliæ concilian di amoris Rationes adduci, sed faciles sunt & in promptu, & nobis hic breuitati suus dandus est locus, & pergendum ad alia prudenti charitate monita. Lib. 8. Ep. 16.

Tertium Monitum. Quandoquidem multa sunt quæ in proximo corrigantur, & corrigere pastoris maximè proprium officium est, adhibeatur correctio cum res exigit, sed non nisi magna prudentia castigata Primò igitur postquàm de crimine decretum est, ante omnia vniuscuiusq; natura considerãda est, & cognoscẽda & aptè accommodanda emendatio ad captum, ingenium, propensiones, mores. Quod fortasse ait S. Gregorius melius ostendemus, si in medium Pauli magisterium proferamus, qui duobus discipulis & non diuersa charitate præditis diuersa tamen adiutoria prædicationis impẽdit. Timotheum namq; admonens ait: Argue, obsecra, increpa cum omni patientia & doctrina. Titum quoq; admonet dicens: Hęc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Quid est, quod Doctrinam suam tanta arte dispensat, ut in exhibenda hac alteri imperium atq; alteri patientiam proponat, nisi quod mãsuetioris Spiritus Titum, & paulo feruentioris vidit esse Timotheum? illum per æmulationis studium inflãmat, hunc per lenitatem patientiæ temperat, illi quod deest iungit, huic quod supereſt subtrahit; illum stimulo impellere nititur, hunc frẽno moderatur. Magnus 3. p. Past. cap. 1. Ad monit. 17. 2. Tim. 4. Tit. 2.

quippe ſuſceptæ Eccleſię colonus alios palmites, ut creſcere debeant, rigat, alios cum plus iuſto creſcere videt, reſecat, ne aut non creſcendo non ferant fructus, aut immoderatè creſcendo quos protulerunt, amittant. Hæc ibi Deinde attendendus eſt cuiuſq; ſtatus ac conditio. Calamitatis enim tempore haud eſt opportuna correctio. S. Gregorius acriter reprehendit Maximianũ Epiſcopum, quod aduerſus Abbatem ægrotãtem acerbior extitiſſet. Quilibet inquit in eo fuerit exceſſus, ipſa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello ſufficere. Quem enim Diuina diſciplina conterit, ei humana flagella addi, ſuperfluum fuit. Quam ob cauſam noſter etiam B. Ignatius ægrotos moroſos & intractabiles tolerabat, nec niſi poſtquam conualuiſſent, in eos animaduerti iubebat. Aliqui etiam rationibus & argumentis conuincendi ſunt, quales plerunq; ſunt viri docti & literati: alij exemplis & ſimilitudine; quales ſunt rudiores homines ac interdum mulieres. Illis ait S. Gregorius prodeſt vt in ſuis allegationibus victi iaceant, iſtis uerò aliquando ſufficit, vt laudabilia aliorum facta cognoſcant. Adfert Apoſtoli ex Epiſtola ad Hebræos auctoritatem. Is enim ſapientioribus illius gentis dictum vult illud. Quod antiquatur, & ſeneſcit propè interitum eſt, minus doctis autem narrat exempla ſanctorum virorum. Sancti ludibria & verbera experti ſunt, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Et rurſum: Memẽ tote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt uerbum Dei, quorum intuentes exitum cõuerſationis imitamini fidem; vt & illos ait, victrix ratio frãgeret, & iſtos

Lib. 12. Ep. 26.

Ribaden. lib. 5. Vitæ cap. 8.

3. p. Paſt. cap. 1. Admon. 7.

Heb. 8.

istos ad maiora conscendere imitatio blanda suaderet.
Idem præcipit ut impudentibus hominibus adhibeantur increpationes graues etiam à pluribus. Quod facit Apostolus aduersus Galatas. Modestis autem sufficiant suaues commemorationes, quibus vel in eorum memoriam reuocentur culpæ. Et huc spectant reliqua ferè omnia S. Gregorij præcepta quæ Tertia eius Pastoralis pars complectitur. Vitanda etiam est maximè offensio eorum quos emendare cupimus æqualitate correctionis. Nec enim vt aiebat S. Gregorius, tales esse debemus in minimis quales in maximis: nec Stoica est Christiana disciplina, quæ peccata omnia paria dicat. S. Paulus vt idem Pater obseruat alio loco: Corinthiorum superbiã frangit obiecto incestu ciuis eorum, & addit: Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Pusillos autem Thessalonicensium animos mira orationis suauitate erigit, recreatq; cum dicit: Rogamus autem uos fratres per aduentum Domini nostri Iesu Christi, & nostrę cõgregationis in idipsum, ut nõ cito moueamini à uestro sensu, neq; terreamini, neq; per Spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini. Ac generatim loquendo hæc sit clausula. Lenitatem correctori dum corrigit quærendam potius esse, quàm ostendendam seueritatem. Nam ut idem S. Pontifex monet, dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, & furor insanorum sępè ad salutem medico blandiente reducitur; cumque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Cum Saulẽ Spiritus aduersus inuaderet, apprehensa Dauid Cithara,

Admo. 8. Gal. 3. Lib. 8. Ep. 16. 3. p. Past. Admo. 9. 1. Cor. 5. 2. Thes. 2. 3. p. Past. Admo. 3. 1. Reg. 18.

eius insaniam mitigabat, ac temperabat. Et certò ac quotidiano experimento probatum est, uerbis homines allici, trahi, ligari. Id tamen ea cautione gerendum est, ut quando Prudentiæ proprium munus est omnes exuperantias quadam quasi iudicij falce demetere, sicq; vitiosas omnes redundantias recidere, ut suam mediocritatem Virtus teneat, in id potissimum incumbamus, ut quemadmodum apud eundem scriptum est tanta arte correctio temperetur, ut cum diuersa sint auditorum vitia, & singulis inueniatur congrua, & tamen sibimetipsi non sit diuersa, vt inter passiones medias vno quidem ductu transeat, sed more gladij bicipitis tumores cogitationum carnalium ex diuerso latere incidat; quatenus sic superbis prædicetur humilitas, ut tamen timidis non augeatur metus; sic timidis infudatur auctoritas, ut tamen non crescat superbis effrœnatio; sic otiosis ac torpentibus prædicetur solicitudo boni operis, ut tamen inquietis immoderatè licentia non augeatur actionis; sic inquietis imponatur modus, ut tamen otiosis non fiat torpor securus; sic ab impatientibus extinguatur ira, ut tamen remissis ac lenibus non crescat negligentia; sic lenes accendantur ad zelum, ut tamen iracundis non addatur incendium; sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, ut tamen prodigis effusionis frœna minimè laxentur; sic prodigis prædicetur parcitas, ut tamen tenacibus perituraram rerum custodia non augeatur. Hæc ibi.

3. p. Past. cap. 2.

Occa-

Occasiones & Exempla Prudentiæ in Actionibus multarum Virtutum Moralium.

Caput IV.

IN Actionibus Virtutum Moralium elucet ac latè dominatur Prudentia. Quippe quę Theologicarum administra, Moralium Domina est & Regina. Exempla hic aliqua producam, ne nimis longum faciam, si omnia. Ac primum quidem Vigilantiæ, quæ vt post indicandum est, comes est Prudentię. Est autem Vigilantia maximè propria Præsidis Animarum. Ob hanc causam (ait S. Gregorius) admonendi sunt, qui præsunt, vt per circũspectionis studium oculos peruigiles intus & in circuitu habeant, & cæli animalia fieri contendant. Ostensa quippe cæli animalia in circuitu & intus oculis plena habentur, & sic describuntur. Dignum quippe est, ut cuncti qui pręsunt, intus & in circuitu oculos habeant, qua tenus & interno iudici in semetipsis placere studeant, & exempla vitæ exterius præbentes, ea etiam quæ in alijs sunt corrigenda, deprehendant. Primi muneris horum duorum hoc est, curam sui gerere, partes continẽtur his capitibus, conscientiæ puritate cui examen quotidianum & exquisitum ualde necessarium & præsentaneum adiumentum est, mortificatione passionum, & sui ipsius abnegatione, ac rerum humanarum contemptu, Christi Virtutum accurata imitatione, deuotionis & orationis studio, feruido salutis animarum zelo, ac in primis ardenti in Deum ac Dominum nostrum Iesum

De Prudẽtia Maiorum in vigilando. 3. p. Past. Admo. 5.

sum Christum Amore, eiusq; vnius glorię purgatissima intentione. De quibus alibi à nobis dictum copiosè est. Alterum autem munus, quod est, quæ in alijs sint corrigenda, diligenti inuestigatione cognoscere, præstabit prędes, si posthabitis omnibus alijs vitę mortalis cogitationibus & curis, se totum secundum sui ipsius antedictam custodiam vni animarum quas regit saluti ac perfectioni deuouerit ita, ut si opus sit in eo labore nō solū vires ac fortunas, sed ipsam etiam vitam profundere, id uerò habeat pro maximo omnium quod à Deo accipere possit beneficio ac prędmio. Ita senserunt antiqui Patres omnes; ita se prędstiterunt, cum postulauit necessitas, cum tulit occasio, quam nec remittebant oblatā, & præsentem urgebant interdum cupiditate martyrij; quod post Apostolos fecerūt Stephanus, Ignatius, Laurentius, Sebastianus, Clemens, Marcellinus, & alij qui martyrio coronati vt optabant, glorioſissimum de Christi fidei inimicis triumphum retulerunt. Non defuit par cupiditas alijs innumeris sanctissimis hominibus, qui & omnem mouerunt lapidem ut uoti compotes fierent, non solum nulla culpa, sed magna charitatis laude, si adfuisset qui pro Christiana causa illis vitam adimeret; quales fuerunt Ambrosij, Chrysostomi, Athanasij, Hilarij, Martini, postremo Francisci duo, quorum prior sanctissimus Patriarcha vsq; ad Ægyptū ex Italia profectus; posterior noster Xauerius vsq; ad Iaponios Garamantas & Sinas penetrauit, ulterius etiam progressurus, si quo progrederetur inuenisset, vnius martyrij venandi gratia. Terrena autem negotia non curanda pastori, immò magnoperè repudianda docet

S. Gre-

S. Gregorius latè in Pastorali. Quo loco ubi multis præ clarè Philosophatus esset hac de re, hanc habet clausulam, quę optima regula mihi esse videtur ijs, qui ad rem animarum gerendam Diuinitus sunt vocati. Secularia inquit, negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam verò ex amore requirenda, ne cum mẽtem diligentis aggrauant, hanc suo victam pondere ad ima de cælestibus immergant. Quis me dicebat Dominus constituit iudicem super uos? &, Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et Apostolus: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit. At nec sat est, si deponantur terrenæ curæ, nec interim pro suorum salute excubet, ac vigilet Pastor, orationibus quidem apud Deum assiduis, quod faciebat Moyses, quod fecerunt Apostoli, immò Dominus ipse, qui noctes insomnes peruigilabat in oratione Dei; Manendo præterea in Pastorali quadam vigilia semper, vt sua prouidentia animas sibi commissas tentationibus & periculis uacuas quoad fieri possit, reddat. Deniq; agnoscẽdo vt ait Scriptura vultum pecoris sui, commiserationis & subsidij quasi humeris fœtas oues portando, brachijs charitatis ac tolerantiæ agnos leuando, Arietes autem, hędos & hircos frequentibus admonitionis officijs, ac correctionis & disciplinæ uirga compescendo, & in officio continendo.

2. p. Past. cap. 7.

Luc. 12.

Matth. 8.

2. Tim. 2.

Ceterum sicut Vigilantiæ Maiorum dominatur Prudentia; sic regere etiam debet obseruantiam subiectorum erga Maiores. Ac quanta in curiositate esse debẽt qui præsunt, ut sciant non solum facta, sed etiam si commodè fieri possit, cogitata subiectorum tanta simplici-

Prudentia subditorum.

tate

tate ac obseruantia, Pastores suos colere debent hi, ut quę ad illos pertinent, minimè uelint, etiam si possint, cognoscere, cognoscenda relinquant potius ijs, qui (ut ait S. Basilius) cum dignitatis gradu, tum consilij Prudẽtia antistiti ipsi proximi sunt. Addit enim ibidem idem Pater: Cum enim illi animas nostras gubernandas commisimus tamquam Deo de ijs rationẽ reddituro, prorsus absurdissimè facimus, si huic fidem in rebus contẽptissimis abrogamus; & cum ipsi falsis aduersus fratrem nostrum suspicionibus impleamur, tum reliquos exemplo nostro, ut idem faciant, incitamus. Ne igitur hoc eueniat, vnusquisq; maneat in ea vocatione, in qua uocatus est, & cum animum suum totum in rerum ad se pertinentium cura occupauerit, minimè in aliorum consilijs inquirendis sit curiosus, sed sacrosanctos Domini Discipulos imitetur, quorum esto illud quod in Euangelio est, de Samaritana suspicionem ipsis posset commouere, nemo tamen dixit, inquit: Quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Quod si quæ sint Maiorum delicta ac culpæ, ita perspicuè certa, ut de illis dubitatio nec excusatio vlla sit; sic inquit S. Gregorius: Si quæ valdè sunt eorum praua, apud semetipsos dijudicent, ut tamen Diuino munere constricti, ferre sub eis iugum reuerentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si Dauid factum ad medium deducamus; Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis Dauid inerat, qui iam tam longo tempore persecutionis eius mala tolerabat; cumq; eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum

Reg. fusius disp. Inter. 48.

Io. 4.

3. p. Past. c. 1. Admonit. 5.

1. Reg. 18.

mittere

mittere in Christum Domini non deberet. Qui tamen occultè surrexit, & oram clamydis eius abscidit. Quid enim per Saul nisi mali Rectores, quid per Dauid nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est prauos præpositos conceptam in corde malitiam vsque ad opera miseri odoris extendere, & cogitata apud se noxia factis exterioribus exequendo monstrare. Quem tamen Dauid ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se obtrectationis peste abstinentes prępositorũ vitã nullo linguę gladio percutiũt, ẽt cũ de imperfectione reprehẽdunt. Quod & si quando præ infirmitate sese abstinere vix possunt, vt extrema quædã atq; exteriora præpositorũ mala, sed tñ humiliter loquãtur, quasi orã clamydis scilicet incidunt, quia uidelicet dum prælatę dignitati saltem innoxiè & latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant, sed tamẽ ad semetipsos redeunt, seq; vehementissimè uel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Vnde & illic scriptum est: post hæc Dauid percussit cor suum, quod abscidisset oram clamydis Saul; facta quippe prępositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda iudicantur; si quando uerò contra eos uel in minimis lingua labitur, necesse est, ut per aflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsũ redeat, & cum præpositæ potestati deliquerit, eius contra se iudicium à quo sibi prælata est, perhorrescat; nam cum in præpositis delinquimus eius ordinationi, qui eos nobis prętulit obuiamus. Vnde Moyses quoq; cum contra se & Aaron conqueri populum cognouisset, ait: Nos enim quid sumus? nec contra nos est mur- Exod. 16.

mur vestrum, sed contra Dominum. Hæc illi.

Prudentia in concionando.

Est item Prudentia uerbi Diuini concionatori apprimè commendata, quia apprimè necessaria. Est enim Verbum Diuinum æternæ Sapientiæ Verbum, quod à Christo ipso gratia quidem magna, sed grauitate ac ueritate maiore hominibus promulgatum est, & vt ab Apostolis pari prudentia orbi vniuerso publicaretur

Mar. 9. edictum. Habete inquit, sal in uobis, & pacem habete inter vos; pacem ad vnitatem fidei refert, quam eandē

2. p. Past. cap. 4. ab Apostolis omnibus Euangelizari voluit; at sal ad illud etiam ait S. Gregorius, quia prouidendum solicita intentione Rectoribus, ut ab eis non solum praua nullo modo, sed recta quidem nimiè & inordinatè proferātur, quia sæpè dictorum Virtus perditur, cū apud cordā audientium loquacitatis incauta importunitate leuigatur, & auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ seruire auditoribus ad usum profectus ignorat. Comparat deinde huiusmodi concionatorem ei, qui fluxum seminis patitur, quem Lex Moysis reputabat immundum, iccirco inquit, quia multiloquio subditus, ex eo se inquinat, quod si ordinatè promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset: dumq; incautus per loquitatem defluit, non ad vsum generis, sed ad immunditiam semen effundit. Vn

2. Tim. 4. de Paulus quoq; cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicit: Testificor coram Deo & Christo Iesu, qui iudicaturus est viuos & mortuos, & aduentum ipsius & regnum eius, prædica Verbum, insta opportunè, importunè; dicturus importunè, præmisit opportunè: quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua

vtili-

vtilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit. Hæc ille, sed exagitat hanc concionatorũ leuitatem S. Chrysostomus mirificè. Primum culpã eorum auditoribus obijcit dicens: Hoc subuertit Ecclesias, quod & uos non quæritis audire sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu & verborum compositione quasi citharœdos & cantores audientes. Deinde oratione conuersa ad concionatores ipsos, & nos ait frigidè & miserè facimus, uestras affectiones sequentes, quas eijcere oportebat. Et idem fit ac si Pater vidẽs puerum, quem supra modum tenerè amat. ægrotum, illi frigidam & quæcunq; oblectant, porrigat, quæ autem vtilia, minimè curet, & obiurgatus à medicis dicat: Quid patior uidens flentem puerum? ferre nequeo. Miser, & erumnose, ac proditor, neq; enim talem Patrem dixerim. Et quanto satius fuerit paruo tempore tristitia affectum perfectæ sanitati restitui, quàm temporariam illam gratiam perpetuæ tristitiæ causam fieri. Hoc etiam nobis accidit, flosculos verborum & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, vt canamus, non ut prosimus, ut simus in admiratione, non ut doceamus, ut oblectemus, non ut compungamus, ut plausu & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus. Credite mihi, non dicerem alioquin, quoniam quãdo inter dicendum plausum excito, per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit; vbi autem domum redeo, & intelligo plaudentes sine fructu abijsse, & si fructum accipere poterant, à plausu & laudibus perijsse, ploro, & gemo, & lachrymor, & quasi frustra omnia dixerim sic afficior,

Homil. 3. in Acta Apostolorum.

ficior, mihique ipsi dico: Quæ sudorum meorum vtilitas, si auditores è verbis meis nullum fructum accipere video? hæc S. Chrysostomus. Quibus addendum extremum ex S. Gregorio. Audiant prædicatores, si quis loquitur quasi sermones Dei. Item quod scriptum est: Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur. Ex Deo enim coram Deo loquimur, qui prædicationis uerbum & quia à Deo accepit, intelligit, & placere per illud Deo non hominibus quęrit; Audiant, quod scriptū est: Abominatio est Deo omnis arrogans, quia videlicet dum in uerbo Dei laudē ac gloriā propriā quęrit, ius dātis inuadit, eūq; laudi suæ postponere nequaquā metuit, à quo hoc ipsū quod laudat, accepit, & alia ibidē adscribūtur.

3. p. Past. Adm. 25.
1. Pet. 4.
2. Cor. 12.
Prou. 16.

Verum de Prudentia Dei Verbo tradendo adhibenda multo adhuc plura scribenda supereſſent, nisi ad alia me mea institutæ breuitatis ratio uocaret; addam tantum duo S. Gregorij præcepta, si prius tamen monuero, Auctorem Imperfecti in Matthæum illa Domini verba: Fidelis seruus & prudens, iterum sic interpretari. In persecutione inquit, instanter de veritate fidei doceamus, quàm de iustitia conuersationis; in pace autem magis assiduè de Iustitia conuersationis, quàm de veritate fidei. Quoniam in persecutionibus quidem plus necessaria est Doctrina fidei quàm cōuersationis; in pace autem plus necessaria est doctrina conuersationis, quàm fidei, quoniam in persecutione fides Christianorum periclitatur, in pace autem iustitia. Hæc illi.

Hom. 51.
Matth. 24.

Ad sanctæ autem conuersationis studijs ac legibus imbuendos auditorum animos illud maximè facit, si, quod aiebat S. Franciscus, concionator nil aliud in ore habeat

habeat, nil aliud ſpectet magis, quàm perſuadere Virtutem, diſſuadere vitium illius præmium, huius pœnam proponere; illudq; omninò uelle & obnixè contendere, vt repudiato vitio ac peccato, auditor ad virtutem conſectandam pro viribus præparetur, accendatur, trahatur, maximè uerò ad pacem & charitatem, quæ duo ſunt Chriſtianiſmi ſingularia ęternaq; inſignia; ad quod præſtandum, officium ſuum prudentia conferat, neceſſe eſt, ſic enim debet concionator inter bonos charitatem pacemq; conciliare, & ſi quæ oriantur, diſcordias ſedare, vt ſimul efficiat, improbos inter ſe potius diſſidere, quàm iungi; atq; hoc eſt primum S. Gregorij præceptum; Sicut multum inquit, nocet, ſi unitas deſit bonis, ita ualde eſt noxium, ſi non deſit malis; Si ergo peruerſorum nequitia in pacem iungitur, profectò eorum malis actibus robur augetur, quia quo ſibi in malitia congruunt eo ſe robuſtius bonorum afflictionibus illidunt. Adfert deinde ad hanc rem confirmandam S. Pauli exemplum. Vnde ait, prædicator egregius graui Phariſęorum Saducęorumq; perſecutione deprehenſus, inter ſemetipſos diuidere ſtuduit, quos contra ſe grauiter vnitos uidit: cum clamauit dicens: Ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum, de ſpe & reſurrectione mortuorũ ego iudicor. Dumq; Sadducęi ſpem reſurrectionemq; mortuorum eſſe denegarent, quam Phariſæi iuxta præcepta ſacri eloquij crederent, facta in perſecutorum vnanimitate diſſenſio eſt & diuiſa turba, illæſus Paulus exiuit, quæ vnita prius immaniter preſſit. Prauorũ (ergo) mentibus prius debent (concionatores) amorem internæ pacis infundere, quatenus eis poſtmodum ua-

3. p. Paſt. Adm. 24.

Act. 23.

leat

leat exterior pax prodeſſe. Alterum S. Gregorij præceptum ad res ipſas quæ pro concione tractantur earũq; tractandi rationem pertinet, potiuſque ad ſcopum ad quem priore præcepto docuit à Chriſtiano oratore dirigendam eſſe orationem; contineturq; his verbis. Prædicator auditoris ſui animum vltra vires non trahat; ne ut ita dicam, dum plus quàm ualet, tenditur mẽtis chorda rumpatur. Alta enim quæq; debent multis audientibus contegi, & vix paucis aperiri. Hinc nanq; per ſemetipſum Veritas dicit: Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram? per menſuram quippe tritici exprimitur modus uerbi; nec cum anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait, non potui uobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potũ dedi, non eſcam. Hæc ibi, & alia.

p. 3. Paſt. cap. 5.

Luc. 7.

1. Cor. 3.

Humilitatis Prudẽtia.

Chriſtianæ etiam Humilitatis Virtus ſe Chriſtianæ prudentię ad ſuas functiones dirigendas omni ex parte committit. De humilitatis prudentia Paſtorali explicat documenta duo S. Gregorius in Moralibus. Primum D. Petri qui quanquam poteſtate & auctoritate maximus in Eccleſia Chriſti eſſet, aliorum tamen etiam inferiorũ cum res poſtulauit, benignè conſilia audiuit, ijſq; prudenter ſtetit; exponens enim verba illa Domini ad Iob: Aut quis tetendit ſuper eam lineam, ait lineam illã tropologicè eſſe diſcretionis virtutem, extra quam in virtutis curriculo qui graditur, digreditur, à rectoq; declinat ad vitia, quales ſunt illi qui alioquin cum ſe in præſentibus periculis ac diſcriminibus fortiter gerunt, ita tamen

Lib. 28. Mor. c. 12.

Cap. 38.

tamen ſeipſos ſuaſq; ſentẽtias diligunt, ut aliorum etiã opportuna & ſancta conſilia aſpernẽtur. Petrus inquit, cum prohiberetur loqui, nequaquam ſaltem in preſens ceſſit; nam reſpondẽs protinus dixit: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. Et rurſum, non poſſumus, quæ audiuimus & vidimus non loqui, addit; Petrũ ſi ſequatur quis fortiter ſe gerẽdo, qui tamen ita in ſuo deindè abundat ſenſu, ut aliorum ſana conſilia non admittat, hunc Petrus intra menſuræ lineam reuocat, qui poſtquã libertate vocis auctoritatem principum preſſit, per humilitatem cordis de non circuncidendis gentibus, Pauli conſilium audiuit, ſic enim ſemetipſum cõtra aduerſarios ex auctoritate curabat erigere, ut tamen ſibimetipſi non crederet, intus quæ non rectè ſentiret: ut & libertate fortitudinis tumentes poteſtates excederet, & humilitate manſuetudinis obedientiam in recto conſilio ẽt minoribus fratribus exhiberet, & modo per ſemetipſum alijs, modo ſibimetipſi cum alijs obuiaret. Act. 5. Act. 15.

Alterum documentum à S. Gregorio poſitũ eſt D. Pauli, qui imperante prudentia ita ſeipſum rexit in non nullis Virtutum actionibus, vt eas conſtanter obiret, ſi id aliorum exigeret vtilitas, & nihilominus ſi eadem poſtularet, prudenter prętermitteret, voluntatem ſuam ita aliorum vtilitatibus dedicans, vt ſimul ijſdem pro tempore virtutis ceſſationẽ ſeruire cogeret ſine virtutis detrimento, & aliorum emolumento maximo. Dicatur nunc inquit, quemadmodum in vna eademq; virtute diſcretionis lineam deſerimus, ſi hanc & aliquando agere, & aliquando poſtponere neſciamus. Non enim res eadem ſemper eſt Virtus, quia per momenta

tem-

temporum sæpe merita mutantur actionum. Vnde fit, vt cum quid bene agimus plerũq; melius ab eius actione cesſemus, & laudabilius ad tempus deſerat, quod in ſuo tempore laudabiliter mens tenebat. Quam diſcretionis lineam bene ante intuentium oculus Paulus tetendit, qui & gentiles ad libertatem fidei venientes circuncidi prohibuit, & tamen Liſtris atq; Iconium tranſiens ipſe Timotheum qui gentili patre editus fuerat, circuncidit. Videns enim quod niſi ſe mandata litteræ ſeruare oſtenderet, Iudæorum rabiem etiam in his, qui ſibi tunc comites aderant, excitaret, aſſertionis ſuæ vim poſtpoſuit, & ſine damno fidei, ſe ſuoſq; comites à perſecutionis immanitate cuſtodiuit; fecitq; quod fieri fidei amore prohibuit, ſed ad fidei retorſit miniſterium quod quaſi non fideliter fecit. Quo quidem exemplo illud tantum commendatum vult S. Gregorius, vt ſi ita fert proximi ſpiritualis ſalus, prudenter intermittamus, ac differamus vſq; dum tempeſtiuæ ſint, aliquas virtutis actiones nullo tunc legis præcepto neceſſariò obeundas, cum perſpicuum ſit eas potius tunc nocituras, quàm proximo futuras emolumento; nullo autem modo vt inde colligamus, licere Chriſtianis hominibus antiquatas & emortuas Legis Moſaycæ ceremonias in vſum aliquando deducere, aut quidpiam quod Diuina lege vetitum ſit per diſſimulationem probare, aut agere, nullum enim ob alterius quantumcunq; magnum bonum mali quicquam committendum vnquam eſt, nec facienda mala, ut ueniant bona. Apoſtolo autem permiſſum illud diuinitus eſt tantisper, dum promulgabatur Euangelium Chriſti orbi terrarum uniuerſo, idq;

Act. 16.

inter

inter Hebræos solum, qui Christianis Sacris initiabantur, non autem inter Gentiles; vt ita honorificè sepulturæ Synagoga mandaretur, & intelligerent homines sanctiones illas non perinde ac Gētiles superstitiones execrandas semper detestabilesq; fuisse, quod & ipse S. Paulus ad Galatas docet, & testis est; Idem approbasse exēplo suo S. Petrum. Atq; hæc est S. Augustini doctissima sententia, quam sequitur etiam S. Gregorius & vniuersa Theologorum schola. Ex eo igitur, id efficitur solū, quod ibidem concludit S. Gregorius: Plerumq; Virtus cum indiscretè tenetur, amittitur, cumq; discretè intermittitur, plus tenetur. Gal. 2. Ep. 19.

Prudentiam etiam non exiguam postulat Christiana humilitas, cum necessitas tempusque flagitant vt de nobis ipsi honorificè loquamur, si enim id prudenter fiat, perutiliter etiam fit; Sat sit in præsentia vnius S. Pauli exemplum attulisse, prout à S. Io. Chrysostomo examinatur. Primum monet id opportunè & necessariò debere fieri, sicq; ait de Apostolo: Hęc autem tam opportunè aptèq; faciebat, ut magis mereretur loquendo de se quàm tacendo laudari. Qui nisi feciisset istud, culpabilior esset illis, qui seipsos importunè laudare didicerunt, & nisi etiam gloriatus fuisset, creditos sibi perdidisset, omnesq; res inimicorum dum se humiliat, extulisset. Deinde moderatè ita ut non offendat, & probetur laudatio, sic inquit nouerat vtrunq; temperatè & cū consilio atq; sententia ea quæ videntur prohibita perficere tam vtiliter & commodè, ut non minus de illis placeret, quàm cum quę sunt imperata, compleret. Amplius enim tunc Paulus placuit gloriando, quàm alter Homil. 5. de laudibus Pauli.

laudes proprias occultando; nec quisquam tantum profuit, cum sua merita celaret, quàtum ille cum proderet. Tertio: Non omnia quæ dixisse potuit, de se dixit. Non enim quasi maximam licentiam de opportunitate nactus immoderatius laudibus suis usus est, sed considerātissimè quousq; eum progredi liceret, agnouit. Quarto diligenter cauit ne alios offenderet, suoq; exemplo ad idem intempestiuè agendum adduceret. Iccirco ait, libenter se etiam insipientem vocauit; & quia consequens erat, ut id alij idipsum respicientes temerè atque inaniter eius uterentur exemplo, quod plerunq; contingit in medicis: sæpè enim medicamentum quod alter apposuit, importunè alter amouens vim medicaminis obscurat, atq; corrūpit. Ne igitur id quoq; hic accideret, vide quanta procuratione usus sit, qui cum gloriaturus esset, non semel, non secundo, sed sæpius differendo, atq; cunctando dicebat: Vtinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, & rursum, quod loquor, non secundum Deum, sed in insipientia. Cumq; tanta dixisset, non tamen ea se præmisisse contentus est, sed rursus ingressurus in laudes, semetipsum occultat, & dicit: Scio hominē; & iterum: Pro huiusmodi gloriabor; postq, hæc omnia: Factus sum insipiens. His autem (ait post pauca) profectò maius est, quia necessitate cogente non vniuersa fudit in medium, sed plura etiam & maiora celauit Venio inquit ad visiones & reuelationes Dei, parco autem ne quis me existimet super id, quod videt. Hoc verò dicendo, nos erudit, vt ne existente quidem necessitate omnia quorum nobis conscij sumus, in medium proferendo vulgemus, sed ea solum,

2. Cor. 11.

quæ

quæ audiẽtibus vtilia iudicamus; Quod & fecit Samuel, & Dauid; nam altius efferre se, glorioſi eſt, & inſolenter ſe iactantis; dicere autem illa quæ præſentis cauſa tantummodo neceſſaria ſunt futura, amantis eſt, multorumq; commoda cogitantis. Hoc itaq; fecit & Paulus, qui cum à Pſeudo apoſtolis carperetur, quaſi non eſſet probatus Apoſtolus, nec haberet à Chriſto aliquam poteſtatem, propter obtrectationes falſas in laudes ſuas ire compulſus eſt. Vides ne igitur per quanta docuerit auditorem non inaniter gloriari? Primò quidem dum oſtendit ſe, iſtud neceſſitatem uocauit. Secundò, dum plurimis laudes ſuas ſatisfactionibus temperaret. Tertiò, quia non cuncta confeſſus eſt, ſed maiora ſuppreſſit, & hoc certè cum neceſſitate quadam in ſua præconia cogeretur. Quartò, dum ſub alterius perſona dixit: Scio hominem. Quintò, cum non omnes Virtutes ſuas adduxit in medium, ſed eam partem, quam præſens tẽpus maximè flagitabat. Hæc S. Chryſoſtomus, qui poſt etiam oſtendit, Apoſtolum eadem prudentia vſum, cũ aſperius aliquid dicere coactus eſt corrigendo; ita enim ait, iniurijs opportunè uſus eſt, & congruè, vt magis etiã quàm laudans placeret.

Prudentia in tẽperãtia & mortificatione carnis.

Eandem Prudentiam requirit Temperantia eiuſque ſpecies qualis eſt abſtinentia ſobrietas, & quęlibet corporis propter Virtutem Deiq; gloriã vexatio uoluntaria, qua de re quamuis in libro ſecũdo De Diſciplina multa dicta ſint, ad ea tamen nihil oberit, hic adiungere id, quod in primis hiſce Virtutibus largitur Prudentia, modum ſcilicet affligendi corporis, & quatenus in hac duriore viuendi ratione, perfectionis ſtudioſus progre-

di possit. Ea autem est in re hac Prudentiæ Christianæ regula, vt quisq; saluis & integris instituti sui legibus ac muneribus eam sequatur corporis afflictationē, quam vires corporis ac necessaria sanitas hominis postulat, patiturue. Sic Sācti Patres. Ex his hic adscribo pauca. S. Chrysostomus. Qui Christum inquit induerit delicijs vniuersis intercisis id solū curat, ut corpori æquam pariat valetudinem; pro qua vel sola consequenda carnis cura habenda est, neque id ultra aliquid appetendum. Alio loco: Necessarium est nobis traditos cibos & potus temporibus & necessitatibus semper metiri, & nullatenus necessitatem excedere, neq; imprudenter & temerè quid facere oportet; & paulo antè. Iccirco ad Timotheum scribens Apostolus, nobis bibendi uinimensuram & terminos statuit, tantum bibere studens, quantum valetudinem adiuuet, & quantum corpori sanitatem præbeat. S. Hieronymus (qui vitam austeriorem semper vixit, ubiq; ieiunia immoderata detestatur) sic in Epistola ad Nepotianum: Modum ieiunijs impone, quantum ferre potes, sint pura, non superstitiosa ieiunia. De eodem in Epitaphio: ieiunia in aurigæ modum pro lassitudine & viribus corporis attemperabat. Idem præscribit Rustico, Lætæ, & Demetriadi. Postremo S. Gregorius: Scriptū est ait, Carnis curam ne feceritis in desiderijs. Quæ igitur fieri in desiderio prohibetur, in necessitate conceditur; sed sæpè dum incautè in necessitate condescendimus, desiderijs deseruimus. Nonnunquam uerò dum desiderijs immoderatius obuiare nitimur, necessitatis miserias augemus, sic enim necesse est, vt artem quisq; continentiæ teneat, quatenus non

Rom. 5. Hom. carnis concupiscentias ne sectemini.

Homil. 1. ad populū Antioch.

Lib. 30. Mor. c. 28. Rom. 13.

carnem,

carnem, sed uitia carnis occidat. Nam plerunq; dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur, ut ad orationem quoq; uel prædicationem non sufficiat, dum incentiua uitiorum in se funditus suffocare festinat. Adiutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exterius gestamus: & ipsi insunt motus lasciuiæ, ipsi effectus suppetunt operationis prauæ: sæpè uerò dum in illo hostem insequimur, etiam ciuem quem diligimus, trucidamus, & sæpè, dum quasi conciui parcimus, ad præliũ hostem nutrimus. E post. Vnde necesse est, ut interior homo noster æquus quidam arbiter præsideat inter se, & eum, quem exterius gestat: quatenus ei suus homo exterior ad debitum ministerium semper seruire sufficiat, & nunquam superbè libera ceruice contradicat. Idem (ut docuimus loco antedicto) latè S. Basilius. Atq; hæ sunt omnes occasiones exercendæ Prudentiæ, quas in præsentia uisum est commemorare. His aliæ in alijs Virtutum ceterarum functionibus adiungi facilè possent, sed hæ ad exemplum satis sunt ad doctrinam autem satis superq;.

Indicia Prudentiæ & reliqua exempla quædam. Cap. V.

PRimum & maximè propriũ Indicium Prudentiæ est solicitudo, siue celeritas quædam id quod imperio prudentiæ præcipitur exequendi, vbi consulueris ait ille, maturè facto opus est. & S. Petrus vigilantiam prudentiæ sociat, 1. Pet. 4.

sociat: Estote prudentes, & vigilate in orationibus. & S.
Rom. 12. Paulus: Solicitudine non pigri. Aristoteles etiam idem
Lib. 6. Eth. c. 9. tradiderat conceptis verbis, cito agenda sunt, quæ consultaueris, tardè verò ac diu cõsultandum. Ab his accepit S. Thomas quod scripsit: Solicitudo propriè ad Pru-
2. 2. q. 47. art. 9. dentiam pertinet. Hunc præstare debent omnes Prudẽtiæ sectatores, sed magis præsides, hi enim & vigiles per se esse debent, & alios præterea ad vigilias excitare.
3. p. Past. Admo. 5. Quisquis enim ait S. Gregorius ad uiuendum alijs in exemplum præponitur, non solum ipse vt vigilet, sed etiam vt amicum suscitet, admonetur, ei nanq; vigilare bene viuendo non sufficit, si non & illum cui præest,
Prou. 6. à peccati torpore disiungit. Bene autem dicitur (in Prouerbijs) ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuę. Somnum quippe oculis dare, est intentio ne cessante subditorum curam omninò negligere. Palpebræ autem dormitant, cum cogitationes nostræ ea quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente, dissimulant. Plene enim dormire est commissa acta nec scire, nec corrigere. Non autem dormire, sed dormitare est, quæ quidem reprehendenda sunt cognoscere, sed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare. Dormitando verò oculus ad pleniſſimum somnum ducitur, quia dum plerunque qui præest, malum quod cognoscit, non resecat, ad hoc quandoque negligentiæ suæ meritò peruenit, ut quod à subiectis delinquitur, non agnoscat. Qui præsunt igitur, oculos circunspectionis perui giles intus & in circuitu habeant, & reliqua, quæ superiore Tertio capite dicta sunt. Quare idem S. Gregorius

rius, cũ de uitijs virtutes perimentibus differit nullã capitaliorem peſtẽ prudentiæ opponit, quàm ignauiã torporemq; animi, dũ mẽti inquit ignauia ſurrepit, prudẽtia frigeſcit; nã cum feſſa torpet, uentura nõ prouidet. Lib. 2. Mor. c. 36.

Secũdum ſpiritualis Prudentię Indicium eſt ſumma quidem vigilantia ne in bonis appetendis (ut S. Auguſtinus ait) malisq; vitandis vllus error obrepat: ſed præcipuè illa, ne clam ſubrepant in animum minuta quædam & exiliora vitia, vitia tñ, aut clãdeſtinæ ſpiritualiũ hominis inimicorum inſidię. Quę eſt etiam eiuſdem patris ſententia. Huius prudentię ſcilicet excubię, atq; diligentiſſima vigilãtia eſt, ne ſubrepẽte paulatim mala ſuaſione fallamur: Vnde ſępè Dominus Vigilate, clamat; & ambulate inquit dum lumen habetis, ne uos tenebrę comprehendant. Itemq; dicitur: Neſcitis, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Hęc ibi. Huic diligentiſſimæ vigilantię contraria omninò eſt mentis dormitatio in ſui ipſius cuſtodia, hominiſq; interioris cura. Quid autem ait idem, proferri manifeſtius de Veteri teſtamento contra iſtam dormitationẽ animi poteſt, per quam fit, ut non ſentiamus quaſi minutatim ſerpentem perniciem, quàm illud, quod à Propheta dictum eſt: Qui ſpernit modica, paulatim decidet? Huc pertinent omnia quę ad Diaboli artes retegẽdas ſcribunt Patres; & nos alibi obſeruauimus. Huc accurata illa diligentia ſeipſum quotidiè ſępiuſq; examinandi explorandique diligẽter, non ſolum quę grauia peccata committamus, ſed quęcunq; etiam leuiſſima, & quę alioquin ſua exiguitate ac tenuitate aciem mentis quaſi ſubterfugiant, nec multum noceant. Quare

Lib. 18. de ciuit. Dei cap. 4.

Libr. de moribus Eccl. c. 24. Matth. 24. 25 & 26. Mar. 13. Ioan. 12. 1. Cor. 5.

Eccl. 19.

pruden-

prudentissimi censendi & appellandi sunt uiri illi sancti, qui eas de seipsis pœnas sumebant, cum in re parua peccassent, quas nos nec etiam cũ grauissimè labimur, subire solemus; tales fuere S. Franciscus, Sancta Catharina Senensis, & multi alij, quos referunt Ecclesiastici Historici vel propter verbum quod imprudenter exciderat, uel propter oculum inaniter coniectum, similéue aliquam leuissimam culpam in omne ætatis tempus ita seipsos acerbè castigasse, ut ad magnam admirationem intuentes traducerent; Prudentissimi itẽ illi, qui ad Diaboli fraudes eludendas, tentationesq; omnes propulsandas, vigilabant ipsi de nocte cum dormirent alij, cõclauia cubiculaq; suorum diligenter lustrabant, orabãt assiduè, ut à se suorumq; capitibus auerterent imminẽtia spiritualia pericula omnia, cuiusmodi erant S. Macarius, S. Dominicus, & qui horum postea secuti sunt uestigia B. P. Ignatius & alij.

3. p. Past. Adm. 18. Num. 10. Tertium Indicium. Spiritualis Prudentia est (ut ita dicam) ingeniosa, & acuta, in proximorum præsertim salute procuranda. Ponderat S. Gregorius exemplum Moysis, cum enim dixisset, persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius quàm illis profuturum dicamus, si eorum meliorationem nobis magis quàm illis profuturam dicamus, & eam magis nobis quàm illis impendi postulamus, adiungit. Vnde Moyses qui regente se Deo, deserti iter aerea columna duce pergebat, cũ Obab cognatum suum à gentilitatis conuersatione vellet educere, & omnipotenti Domino subiugare: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis: Veni nobiscũ, & benefaciemus tibi,

quia

quia Dominus bona promisit Israeli. Cui cum respondisset ille, non veniam tecum, sed reuertar ad terram meam in qua natus sum, illico adiunxit. Noli nos relinquere, tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris Dux noster. Neq, Moysi mentem ignorantia itineris angustabat, quam & ad prophetiæ scientiam cognitio diuinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quem decunctis interius per conuersationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat; Sed videlicet vir prouidus elato auditori colloquens solatium petiuit, vt daret, ducem eũ requirebat in uia, ut Dux ei fieri ad vitam potuisset. Hęc S. Gregorius. Eandem Ptudentiam exhibuit Dominus, cum Samaritanam ad Aquæ uiuæ fontem traducturus, primus petit: Mulier da mihi bibere; & cum Zachęum ex auaritiæ sordibus discipulum Euangelij facere deliberans, ait ante. Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua, oportet me manere S. Chrysostomus cũ exponit illa Apostoli uerba ad Romanos. Desidero videre vos, vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in uobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atque meam. Hic ait tu expende magistri sapientiam, dixerat, ut confirmemini, vidit id dictum graue & inuidiosum discipulis esse, addidit consolationis verbum, sed & hoc rursus graue, non perinde tamen, ut quod prius dixerat, graue tamen, eius itaq; grauitatem, asperitatemque succidens resecat, orationem vndiq; edulcans, acceptabilemque reddens, non enim simpliciter dixit consolationem, sed mutuam consolationem, ac nec sic quidem satisfa-

Hom. 2. in Epist. ad Rom. Rom. 1.

ctum sibi putauit, sed & aliam, & quidem maiorem definitionem adhibuit, cum dixit, per mutuam fidem vestram simul ac meam. Papè quanta est hæc animi humilitas, ostendit & se illis indigere. Commune est inquit lucrum, & ego vestra indigeo consolatione, & uos itē mea. Hoc autem dixit, non quod illorum consolatione indigeret, absit hoc, quo enim pacto qui Ecclesiæ columna esset, quiq; idem & ferro & petra firmior, idem spiritualis ille adamas, idem infinitis ciuitatibus sufficiens, alieni auxilij indigens esse posset, sed ut ne orationem molestam increpationemq; acrem redderet, fatetur & ipse eorum se indigere consolatione; postea concludit eguisse consolatione, lætitia nimirum, quam fidei illorum incrementum adferebat.

Ad Prudentiæ industriam spectat & illud, vt quique maximè opis spiritualis indigent, ita illis potissimum opitulari; obseruat S. Chrysostomus id fuisse S. Paulo antiquissimum, immò hæc fuit eius regula, vt ipse Corinthijs scribit etiam in ijs qui vltra sunt Euangelizare, vide illius sapientiam inquit, vbi quidem sermo Domini ac Verbum fuerat dispersum, transcurrit, ubi fuerat nullus sermo Domini, diutius hęret ac uersatur, quemadmodum & ipse scribens dicit. Ita autem adnitēs Euāgelizare vbi nondum erat Christus nominatus. Hanc & noster B. Xauerius perpetuò secutus est regulam, ut aliquando etiam de seipso vendendo & in seruitutem tradendo cogitarit, ut Euangelij causa Sinas peruaderet. Hæc eadem Prudentia ordinem charitatis dictat etiam reliquis in rebus omnibus, nec dictat solum, sed præcipit suo modo, in vsumq; deducit. Charitas inquit

2. Cor. 10. Hom. 28. In Acta Apost.

Apo-

Apostolus, non quærit quæ sua sunt, hoc est vt ait S. Au- 1. Cor. 13.
gustinus, communia proprijs anteponit, hoc exequitur In regula cap. 3.
prudentia: præferenda sunt spiritualia temporarijs, hoc præstat prudentia; præ animarum salute negligenda sunt corporis commoda, hoc etiam prudentiæ præceptum est. Quid prodest homini si vniuersum mundum Matth 16.
lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. Mi Eccl. 30.
serere animæ tuę placens Deo. Initium sapientiæ timor Psal. 110.
Domini, & similia sexcenta, aut ratiocinationes sunt prudentię, aut sanctiones & scita. Et quo quisq; prudentior, eo etiam magis acer, perspicax, & industrius semper extitit in rebus spiritualibus gerendis.

Quartum Indicium Prudentiæ sunt Actiones aliarum Virtutum omnium, neq; enim est prudentia Christiana perfecta, si desint aliæ Virtutes, immò si uel aliarum desit vna, ut ergo Virtutum singularum quasi nota est & insigne prudentia, sic vicissim actiones virtutũ singularum testes & nuntiæ sunt prudentiæ, quare prudentia non amittitur si Aristoteli credimus, obliuione Libr. 6.
sicut ars, sed deprauatione & corruptela appetitus, & iu- Eth. c. 5.
cundum inquit & molestum circa quæ uersatur animi affectiones, corrumpunt æstimationem atq; iudicium, non quodcunq;, sed prudentiæ, intellige tunc, cum deprauatæ sunt affectiones exuperantia voluptatis, aut doloris, quam etiam ob causam mensuram prudentiæ collocat S. Gregorius in actionibus aliarũ Virtutum, quia nimirum quanta ea sit ex harum momentis intelligitur. Magna inquit est prudentia, sed si minus est à voluptatibus temperans, minus in periculis fortis, minus in Hom. 22. in Ezech.

operationibus iusta, profectò minus est prudens. & infra: Vnusquisq; tantum prudens est, quantum temperans. In primis autē prudentiæ ueluti indices inter omnes alias Virtutes hæ sunt. Prima Humilitas, huius instinctu ac ductu audit uir prudens libenter obiurgationes, undecunq; sint, quod sæpè Salomon docuit in Prouerbijs, ibi præsertim: Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. Eadem humilitate vir prudens sese sponte ita Deo submittit, ut eius prouidentiæ arcana nec dijudicare, nec penetrare velit, quod quia Baldad ille apud Iob fecit, ideo redarguitur prudentię plurimę, hoc est superbiæ, ut S. Gregorius explicat; Omnis enim inquit, cui prudētia recta est, plurima non est, quia iuxta Pauli vocem non plus appetit sapere, quàm oportet sapere: cui uerò est plurima, non est recta, quia dum ultra modum tenditur, in quolibet latere culpæ declinatur. Prudentiam verò suam plurimam ostendunt, qui videri præ alijs prudentiores appetunt. Vnde fit plerunq; vt cum moderatè sapere nesciunt, etiam fatua loquantur. Pro qua re ipse excessus prudentię subiungitur, cum dicitur: Quem docere voluisti? (Deum scilicet) quia enim beatum Iob flagellatum pro culpa credidit, occultum Dei iudicium quod humiliter venerari debuit, superba nisus est temeritate penetrare. Hęc ibi, deniq; prudens si humilis est, consilium & petit libenter, & cum datur, accipit libentius, nec obfirmatæ sententię est, aut suę (quod uetat Sapiens) prudentię niti solet, quę n. de sursum est sapientia, suadibilis est. Secunda prudentiæ comes Virtus est Constantia, scriptum est enim de imprudentibus:

Prou. 17.

Lib. 22. Mor. c. 9.

Iob. 26.

Prou. 3.

Iacob. 3.

Cor

Cor ſtultorum diſſimile erit. Cor quippe ſapiẽtium ſcribit S. Gregorius, ſibimetipſis ſemper eſt ſimile, quia dum rectis perſuaſionibus acquieſcit, conſtanter ſe in bono opere dirigit. Cor uerò ſtultorum diſſimile eſt, quia dũ mutabilitate ſe uariũ exhibet, numq; idẽ quod fuerat, manet. Hęc ibi. Prou. 15. 3. p. Paſt. cap. 2. Admonit. 19.

Tertia Virtus quam prudentia parit, eſt pax & charitas fraterna. Habete ait Dominus (ut ẽt antè retulimus) Sal in vobis, & pacem habete inter vos. Sal quippe ſine pace non eſt Virtutis donũ ait S. Gregorius, ſed damnationis argumentum. Quo enim quiſq; melius ſapit, eo deterius delinquit, iccirco inexcuſabiliter & multo magis merebitur ſupplicium, quia prudenter ſi voluiſſet, potuit euitare peccatum. Quibus quoq; rectè per Iacobum dicitur: Quod ſi zelũ amarum habetis inter uos, & contentiones ſunt in corde ueſtro, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus ueritatem: non eſt iſta ſapientia deſcendens deſurſum, ſed terrena, animalis, Diabolica. Quæ enim deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, pudica videlicet, quia caſtè intelligit, pacifica autem, quia per elationem ſe minimè à proximorum ſocietate diſiungit. Ita ſcripſit de cognatione prudentię & charitatis ac pacis S. Gregorius. Mar. 9. Iacob. 3.

Accedat Quarta Virtus linguæ cura; de qua idem S. Pontifex ſic ẽt ſcribit. Lingua diſcretè frenanda eſt, non indiſſolubiliter obligan da, ſcriptum nanq; eſt: Sapiens tacebit vſq; ad tempus, ut nimirum cum opportunum conſiderat, poſtpoſita cenſura ſilentij, loquendo quæ congruunt, in uſum ſe vtilitatis impendat. Et rurſum quoq; ſcriptum eſt: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Diſcretè quippe vicil ſitu- 3. p. Paſt. Adm. 23. 3. p. Paſt. Adm. 15. Eccl. 20. Eccl. 3.

ſitudinum penſanda ſunt tempora: ne aut cum reſtringi lingua debet, per uerba inutiliter defluat, aut cum loqui utiliter poteſt, ſemetipſam pigrè reſtringat. Quod
Pſal. 140. bene Pſalmiſta conſiderans dicit: Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis. Non enim poni ori ſuo parietẽ, ſed oſtium petit, quod videlicet aperitur, & clauditur. Vnde & nobis cautè diſcendũ eſt, quatenus diſcretè & congruo tempore vox aperiat, & rurſum congruo taciturnitas claudat. Hęc S. Gregorius. Similia poſſunt de alijs Virtutibs exempla proferri.

Quintum Prudentiæ Indicium eſt, libenter audire ſapientes, viros bonos & diuturna experientia doctos imitari, in eorum dictis ac præceptis ita acquieſcere, ac ſi quod affirmant, uel negant digito oſtenderent, & vt
Lib. 6. Eth. c. 11. dixit Ariſtoteles: Euidentibus ratiocinationibus demõſtrarent, atq; hoc Indicium quidem eſt prudentiæ alicuius, ſed ſimul compendium eſt certiſſimum ac tutiſſi-
Eccl. 6. mum ad eandem prudentiam acquirendam. Si dilexeris audire (ait Salomon) ſapiens eris, in multitudine preſbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei poſſis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te. Et ſi uideris ſenſatum, vigila ad eum, & gradus oſtiorum illius ex-
Hom. 21. in Ezech. terat pes tuus. Quod ſi qui ait S. Gregorius, literas ignorant, & præcepta Dei legere non ualent, certè in multorum fidelium conuerſatione bona, quæ imitentur, vident. Ecce in Eccleſia voces ſancti Euangelij, atq; Apoſtolorum ſonant, ecce exempla bene uiuentium quotidie omnium oculis opponuntur. Hæc Sanctus Pater.

Literati

Literati autem habent præterea infinitam librorum supellectilem & Historicorum, qui uitę sunt magistri, & scriptorum omnis generis Virtutis, disciplinæ, & exemplorum, è quibus pręclara quęq; ornamenta vitæ actionumq; rectarum sibi comparare possunt. Quòd si ille ut ait Cicero, uno itinere & vna nauigatione percontando à peritis, & libros legendo in Asiam peruenit Imperator, cũ esset Roma profectus rei militaris rudis; quæ nobis spes esse debet, disciplinam Christianæ prudentię cito ac facile ediscendi, si assidui fuerimus in lectione Euangelij, librorum Apostolotum, aliorumque quos tam multos, tam nobiles omni sapientię genere, veritate doctrinę, singularium exemplorum copia, ac splendore Ecclesia Christi legit, laudat, Christianisque diu noctuq; euoluendos prębet, & prącipit? quàm compędiario itinere ad Christianã Prudẽtiã perueniemus, si prudẽtissimos viros, sãctissimosq; Heroas utriusq; Testamenti, antiquiores, recentiores, vita functos, & eos qui adhuc inter nos superstites sunt, nostrisq; oculis obuersantur, nobis animo proponamus, in quorum uitas intueamur, quorum mores actionesq; imitemur, à quorum cogitatis, dictis, factis, ne latum vnguem declinemus, eamq; demum ueram ac solidam prudentiã existimemus, quàm illi uerbis quidem ac prąceptionibus magis tamen uita moribusq; expresserunt, nobisq; hęreditariam reliquerunt. Quod si dicas homunciones nos esse, & exiguarum virium, nec posse tam altè spectare, vt Petros & Paulos alioſq; ut dicebamus Ecclesię Heroas nobis imitandos designemus: Respondet S. Chrysostomus. Quid est, ille Paulus erat? dic mihi quid est,

Libr 2. Acad. qq.

Libr. 1. de compunct. cordis.

est, ille Petrus erat? Nonne eiusdem naturę erant, cuius & nos? Nonne eadem via ingressi sunt hunc mundum, qua & nos? Nonne eisdem cibis vtebantur, atque eundem respirabant aerem? Nonne eisdem vitæ usibus agebantur? Nõne aliqui eorum etiã coniugia experti sunt, & liberos procrearunt? Quidam verò ipsorum etiam opifices communium artium erant. Alij verò & lapsus perpessi sunt peccatorum. Alij in vltimum malorum barathrum deciderunt. Sed multum inquit illi gratiæ acceperunt à Domino. Si quidem mortuos suscitare iuberemur, aut oculos aperire cæcorum, aut mundare leprosos, aut claudos erigere, aut dæmones effugare, aliasque similes sanare ægritudines. Si operationum virtus quæreretur, locum haberet ista responsio. Si verò vitæ à nobis obseruantia, conuersationisque requiritur, & obedientiæ ratio. Quid facit ad hæc ista narratio? Et tu etiam accepisti gratiam Dei per baptismum, & participium Spiritus Sancti consecutus es: etiã si non ad hoc ut signa faceres, sed quantum sufficeret ad hoc ut rectę vitæ innocentiam custodires. Et ideo perditionis nostræ causæ nulla est alia, quàm negligen-
Lib. 2. officio. c. 20. tia nostra, atque desidia. hęc S. Chrysostomus S. Ambrosius ob eandem causam idem suadet omnibus, ma-
Prou. 15. ximè verò adolescentibus. Plurimum inquit, prodest vnicuique bonis iungi, adolescentibus quoque vtile, vt claros & sapientes viros sequantur. quoniam qui congreditur sapientibus, sapiens est, & qui cohæret imprudentibus imprudens agnoscitur. ostendunt adolescentes eorum se imitatores esse, quibus adhęserũt. Adfert deinde exempla Iosue consuetudinis cum

Moyse,

Moyse, Loth cũ Abraham, Heliſęi cũ Elia. Ex Actibus Apoſtolorum Mani cum Barnaba, Silæ, Timothei, Titi cum Paulo, & certè hac ſemita perrexerunt ad prudentiam breui tempore multi, ex non diuturno conuictu Hilarij prudentiſſimus exiuit Martinus, & duobus tantum menſibus Antonij diſcipulus Hilarion magiſtrum æquauit. Quod ſi ex ſanctorum vitæ riuulis, ex Chriſti Domini inexhauſtis Diuinæ ſapientiæ prudentiæque omnis fontibus quid hauriendum cenſebimus? hæc nimirum cauſa eſt, cur Euangelia nobis perpetuò meditãda proponunt Sancti Patres, quodlibet enim uerbum quęlibet actio Chriſti noſtræ eſt prudentiæ forma, noſtra loquendi, agendi, uiuendi, lex. Hæc omnis Philoſophia noſtra, hoc apertum, commune, perpetuum ſacroſanctum Gymnaſium Chriſtianorum, in tractatu de Oratione elementa quædam & initia prudentiæ huius poſita ſunt, & qua ratione ea ſit indaganda breuiter oſtenſum.

De Religionis Virtute, eiuſque Actionibus, & occaſionibus, præſertim de Adoratione. Caput VI.

DE Iuſtitia hic agere alienum eſſet non quidem ab ordine inſtitutæ tractationis, opportunus enim eius eſſet hic locus, proximè poſt prudentiam; ſed à totius huius operis ſcopo, qui non eſt de conſcientiæ caſibus aut locis difficilioribus Theologiæ Moralis diſputare, ſed ſimpliciter explicare eas Virtutum Actiones, quas quiſque

perfectionis amator per se ut potest, sic optat perfectè obire. Quod quidem quatenus id ad iustitiam pertinet, tunc præstat, cum Actiones eius charitate imperante, & prudentia dirigente ad Dei gloriam proximiq; vtilitatem refert omnes, earumq; externa officia erga homines ita exercet, vt eam æqualitatem quæ iustitiæ finis est, quemadmodum spectat, sic semper efficiat, teneatque, ac re ipsa suo tempore & certis iam & fixis circunstantijs reliquis, quod suum est, cuiq; aut reddat, aut curet, sic ut id præstare voluntate semper promptissimus ac paratissimus esse debet. De Iustitia igitur & eius Actionibus legantur S. Thomas, & alij: Nos ad eius partes, eiq; affines Virtutes morales pergamus.

Inter has primum locum obtinet Religio Moraliū Virtutum princeps, quia ut S. Thomas scribit, propinquior Deo est quàm aliæ Virtutes Morales, operatur enim ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem Diuinum; quare Religio eodem auctore Virtus moralis est, quæ reuerentiam exhibet uni Deo, secundum rationem vnam, scilicet ut est primum principiū creationis & gubernationis rerum. Vnde ipse dicit: Si ego Pater, ubi est honor meus. Patris enim est, & producere, & gubernare.

2. 2. q. 81. art. 6.

Ibid. ar. 3.

Malach. 1.

Multæ sunt Religionis Actiones. Prima & maximè propria est Adoratio Dei. Hanc antecit in mente existimatio optima de Diuina Excellentia & Maiestate, quæ quia summa est, immēsa, infinita, incomprehensa, inexplicabilis, parit iudicium sapientissimum eiusdem mentis, deberi Deo omnium summum maximumq; qui esse aut excogitari possit, honorem, & reuerentiam. Immò

mò nullum parem honorem ab capite ullo creato exhi beri Deo unquam posse, propter infinitam eius excellentiam & præstantiam. Ex his existit in uoluntate hominis actus quo cupit Deum ita uenerari, quem sequitur submissio quanto maximè alta Voluntatis & subiectio totius hominis interioris & exterioris ipsi summæ ac Diuinæ Maiestati, quæ propriè Adoratio est interna, nã externa submissionibus corporis externis cõtinetur. Quoniam verò antedictas Actiones obire nec potest, nec solet animus Christianus, nisi quatenus imbutus est habitibus Virtutum Theologicarum, præsertim Fidei, propterea scriptum est apud S. Augustinum sæpè, Deum, Fide, Spe, & Charitate colendum Huic Actioni coniuncta est Dei laudatio, quem enim summè uenerabilem opinamur propter infinita sanctissima, laudabilissima eius attributa, Virtutes, & bona, hunc etiam summis & omninò singularibus laudibus celebrare & cumulare par est. Quare apud Isaiam Seraphim Deum adorantes simul laudant, & prædicant, clamantes alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Adorare autẽ eos ibi, testis est S. Chrysostomus Inexpugnabilem inquit, erga conditorem reuerentiam exhibere student, multamq; anxietatem tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, deniq; ipsa statione. Quoniam igitur, id quod desiderant, quodq; conueniebat, non assequuntur, declarant eo, quod undiq; velantur. Dauid etiam adorationem cum laude copulare solet. Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius, Adorate Dominum in atrio Sancto eius. Adora-

In Ench. cap 3. & 6 & 12. de Trinit. cap. 14.

Isa. 6.

Homil. 1. de Verbis Isaiæ. Tom. 1.

Psal. 28.

Psal. 85. bunt coram te Domine, & glorificabum nomen tuum.

Altera similiter propria Religionis Actio est Deuotio. Est autem Deuotio vt S. Thomas docet, Actus voluntatis ad hoc quod homo promptè se tradat ad Diuinum obsequium. Vel ut alij aiunt, Actus volũtatis quo quis promptè vult exequi omnia, quę pertinent ad Dei seruitium, atq; se totum sic tradit cultui Diuino. Porro Deuotio non est inquiunt, hi, quicunq; actus voluntatis, sed propriè electio mediorum omnium in genere, ad finem vltimum consequendum. Hæc illi. Et fortassis deuotionis actũ exercebat, qui dixit: Cõcupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tẽpore; nam ut ait S. Ambrosius, concupiscere ut desideremus iudicia Dei, plus est, quàm desiderare iudicia. Concupiscamus ergo desiderare iudicia Dei, & concupiscamus desiderare in omni tempore, ut nullum momentum bonę prætereat vacuum cupiditatis. Alię præterea sunt actiones Religionis internę, & externę, ut oratio, actus vouendi, iurandi, sacramẽtorum usus, exterior cultus, sacrificium, oblationes, primitię, decimę: sed hęc uel nostra non sunt in pręsentia, nisi quatenus infrà explicantur; uel requirunt suam propriam & certam tractationem, qualem de oratione pro nostro modulo dedimus alibi, & de eadem & alijs alij pręclarè. Atq; hę omnes actiones religiosę ad maximum excellentissimumque illum Dei cultum pertinent, qui dicitur Latria, qua solus Deus colitur, quia scriptum est: Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies. Grecè λατρευσις, vnde Latria. Et ob eandẽ quoq; causam Christus Dominus, Deus & Homo. Quare dicitur in Euangelio: Vt omnes

2. 2. q. 82. art. 3.

P. Val. 3. Tom. d. 6. q. 1. p. 2.

Psal. 118.

Ibid.

Deut. 6.

Io. 5.

hono-

honorificent filium, sicut honorificant patrem. Nec solum Diuinitas eius, sed & ipsa humanitas Diuinitati cõiuncta. Imagines Dei, & Christi, Crux eius & Reliquiæ. Harum enim rerum adoratio tanquam rerum Deo & Christo coniunctarum, Deumue & Christum referentium, Deum & Christum spectat, ac proinde hęc religiosissima adoratio est, gratitudinisq; plenissima. Aliæ præterea sunt Actiones, Religionis quidem, sed longè superioribus inferiores, quippe quæ ad alias duas species cultus reducuntur, quarum prior Hyperdulia est, posterior Dulia; Hyperdulia exhibetur illi cuius sanctitas Diuina non est, est tamẽ singulari ratione excellens inter sanctos omnes tam Angelos beatos, quàm homines item beatos vita functos, qualis est sola Beatissima Virgo Maria Dei mater. Dulia alijs beati spiritibus siue Angelorum, siue hominum tribuitur, eademque horum imaginibus sanctisq; reliquijs, ob eandem causam.

Religiosas Actiones edendi magnus est in Christiana vita campus. De occasionibus adorationis & laudis primum, post de occasionibus deuotionis. Ante omnia cognitio quam de Diuino numine habemus, cũ gignitur, renouatur, iteraturq; in animo, Dei adorationẽ & laudationem postulat, propterea enim vituperatione & pœna dignos prædicat Apostolus illos, Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, id autem quàm frequenter accidit Deus bone? si quidem quoties interdiu, noctu, domi, foris, otiosis, laborantibus, cum bona sumus valetudine, cum ægrotamus, cum prospera succedunt omnia, cum incidunt aduersa, quoties inquam Rom. 1.

sponte

ſpõte uenit in mẽtem Deus, quoties ſe in memoriã ingerit, quoties ad eius cõmemorationẽ & quaſi conſpectum vel naturę inſtinctu ducimur? ſiquidem ſcriptum
Pſal. 4. eſt: Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine. Quoties occurrit animo, ab ipſo creatos nos eſſe, ab eodem ſumma prouidentia gubernari ac regi? & hoc quid requirit aliud, quàm id ad quod inuitat hęc contemplãs
Pſal. 94. Prophetia: Venite adoremus & procidamus ante Deũ,
Pſal. 21. qui fecit nos, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius, & alibi, manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ, in conſpectu eius cadent omnes, qui deſcedũt interram, & addunt aliqui ex Hebræo, cum vitam eorum nemo ſeruare potuerit. Quod ſi hunc Diuini cultus gradum conſcendit naturalis cognitio Dei, quid faciet Chriſtianæ fidei lux? ſanè Dauid ex vna fide innumeras deriuat Deum piè colendi rationes, eaſq; nobis vt documento ſint, recenſet ad hunc modum.

Pſal. 115. Ponit primum ipſam fidei veluti radicem. Credidi ait; poſt fructus quos illa fundit, enumerat, propter quod locutus ſum. Ecce oris & laudis confeſſionem. Ego dixi in exceſſu meo. Ecce altiſſimam De Deo contemplationem, & extaſin mentis, qua abripitur in Dei admirationem & reuerentiam. Omnis homo mendax. Ecce contemptionem præ Dei honore omnium humanarum doctrinarum, ac opinionum. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Ecce ardentem gratificandi Deo affectum. Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Ecce planè nouum grati animi officium, ut cui par eſſe non poſſis in referenda

referenda ulla gratia, quàm tibi grata sit eius liberalitas viciſſimq; tu erga eam animo gratus, nouo ab eo accepto beneficio, oſtendas, laudibusq; vt potes, celebres. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius. Ecce cultum Dei uota faciendo, eaq; etiam publicè ſoluendo. Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius. Ecce maximam uenerationem, quã deferre Deo poſſit mortalis homo, Martyrium. O Domine quia ego ſeruus tuus: Ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Ecce totius vitę ac facultatum bonorumque omnium quæ poſſidet, Deo humillimam deuotionem, & conſecrationem. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ecce maximum Dei cultum, Sacrificium.

Porro eadem fides quanquam infinitas Dei colendi rationes ſuppeditare hominibus poſſit, eas tamen auctore S. Damaſceno reſtringit ad quinq;. Oratione 3. de Imaginibus.

Prima eſt ſupremum Dominium Dei Dauid. Adorate eum omnes Angeli eius. Cur? Quoniam tu Dominus altiſſimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus ſuper omnes Deos, non ſolum ſuper idola ait S. Auguſtinus ſed etiã ſuper Dæmonia, nec ſolum ſuper Dæmonia, ſed etiam ſuper homines maximè iuſtos, qui dicuntur Dij, & hoc parũ eſt, ſuper omnes etiam Angelos. Nam unde eſt: Adorate eũ omnes Angeli eius; & Nimis exaltatus eſt ſuper omnes Deos? & in illa verba: Quoniam Deus magnus Dominus, ſit inquit laus illi, confeſſio illi, ſit iubilatio illi, quia magnus eſt Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos, quia non repellet Dominus plebem ſuam. Laus illi, iubilatio illi. Hæc ibi. Pſal. 96. In Pſ. 96. Pſal. 94.

Secunda eſt ſuprema gloria & ſanctitas Dei. Exalta- Pſal. 98.

te

te Dauid ait Dominũ Deũ nostrũ, & adorate in monte sancto eius: Cur? quoniã sãctus Dominus Deus noster.

Tertia est Maxima Dei beneficentia erga homines. Cantabo Domino, qui bona fecit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.

Psal. 71. Quarta est: Quoniam ab illo speramus omne bonũ. & adorabunt, eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei, quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor, parcet pauperi & inopi, &

Psal. 61. animas pauperum saluas faciet. Verum tamen ait aliò in Psalmo idem Vates, Deo subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Quia ipse Deus meus, & saluator meus, adiutor meus, non emigrabo. In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & Spes mea in Deo est.

Psal. 94. Quinta denique ratio Deum colendi est, ait idem S. Damascenus, quia Deum offendimus: Præueniamus ait Dauid faciem eius in confessione. Nunquid inquit S. Augustinus, & hoc non pertinet ad laudem Dei, quãdo confiteris peccata tua? immò uerò maximè. Quia tanto amplius laudatur medicus, quanto plus desperabatur ægrotus, & tanto maior est laus ignoscentis, quãto maior est exaggeratio peccata confitentis; & infrà Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos; lachrymare antè illum scribit S. Augustinus, confitere illi, præueni faciem eius in confessione. Quis enim es tu, qui illi confiteris, & qui illi ploras, nisi quem fecit? Non paruæ fiduciæ est ad factorem res facta, & non quocunq; modo facta, sed ad imaginem & similitudinem illius. Ergo si memineris

Deum

Deum Dominum esse ac Regem, meministi autē quoties Deum aut nominas, aut audis appellatum, hoc est sexcenties in singulos dies & horas, cum Maiestatem eius ac sanctitatem, cum beneficentiam & liberalitatē summam tanti patris recolis, simulq; cum spes affulget animo æternæ vitæ, quam ille pollicetur, deniq; cum te peccatorem, ac peccata ipsa tua recognoscis, Deum ut adores inuitari te scito; tu recordationes huiusmodi libenter suscipe, cum se offerunt, accerse cum absunt, præsentes iam consuesce ad Deum tuum intimo animi affectu sensuq; colendum conferre. Atq; hæc de occasionibus adorationis internis tetigisse sufficiat.

Externas eiusdem Diuini cultus occasiones quis enumeret? breuiter tamen ad hæc reducuntur capita. Iusiurandum actus est religionis, & scriptum est: Laudabuntur omnes, qui iurant in eo. Hoc inquit ille, est affirmatio religiosa. Iusiurandum iurare nos vetant Sacræ literæ nisi coniunctum interno Dei cultui ac reuerentię. Hoc est enim iurare cum iudicio vt est apud Ieremiam, & in Sacris Canonibus legimus esse honestum, vt qui in sanctis audet iurare, hoc ieiunus faciat, cum omni honestate & timore Dei. Et S. Chrysostomus aduersus iusiurandi sui temporis abusus scribens ait: tu si nil aliud saltem librum ipsum reuerere, quem in iuramentum porrigis, & Euangelium, quod intra manus capiens iurare iuberis, explica, & audiens quid tibi Christus de iuramentis differat, horresce, & desiste.

Votum similiter actus est religionis, eo enim Deo aliquid promittimus, cū firmitate & obligatione, quod ut S. Gregorius Nissenus scripsit, non fit, nisi quidpiam

Psal. 62.

Cic. lib. 3. off.

Ier. 4.

2. 2. q. 5. Hom. 15. ad prop.

Homil. 2. de oratio-

ne Dominica. pietatis nomine dedicetur, & sacris destinetur. Hoc quanta veneratione Diuini numinis nuncupandum sit, cum nuncupatur, satis indicant pauca illa verba Da-
Psal. 75. uidis, Vouete, & reddite Domino Deo uestro.

Vsus Sacramentorum Actus est religionis hic quo interno animi cultu adoretur Deus, quem certa fide credimus præsentem Sacramentorum ministerijs assistere, eaq; per Sacramenta in animis hominum beneficia collocare, quibus Diuinus cultus excitari, augeri & propa-
Io. 1. gari solet? nam ut dictum est de baptismo: Hic est qui baptizat, nec minister aliam quam vicariam operam præstat, sic de aliorum Sacramentorum administratione dicendum est.

Lib. 10. de ciuit. c. 4. Sacrificium ita est actus religionis, ut scribat S. Augustinus, cum honorabilia omnia externis actionibus demonstrata sibi usurpauerint homines, & Deo quasi suffurati sint, inter hæc omnia tamen sacrificium soli Deo seruatum esse, nec ab ullo homine Deo ademptũ; quod quidem constat plerunq; esse verum. Quod si sacrificijs omnibus quibus animantium carnes Deo immolabantur tantus cultus coniunctus erat, quantum requirit Moyses in legibus quas scripsit de sacrificiorũ ritibus, quid nobis censendum de cultu animi, de externa veneratione & reuerentia Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, tremendoq; Missæ sacrificio adhibenda abijs, qui certo certius credunt eo contineri, ac offerri Deo Vnigenitum filium eius hominem factum, Iesum Christum saluatorem mundi Ecclesiæ sponsum, iudicé venturum viuorum & mortuorum? S. Chrysostomus dicat ipse, quid de re tanta sentiendum sit, simulq; afferat

rationes

rationes quibus ad ſummam hanc internam externamque religionem erga Sacramentum & ſacrificium Chriſtianum moueri Chriſtianos homines & decet, & oportet. Sic autem ſcribit. Pape menſa Myſterijs inſtructa eſt, & agnus Dei pro te imolatur, ſacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit, Seraphim adſtant ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ Virtutes pro te cum ſacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis è cælo deſcendit, ſanguis in cratere in tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & nō erubeſcis, reuereris, & confunderis, neq; Deū tibi propitium facis? Non conſcientia tua iudicat te o Homo. Centum ſexaginta octo horas habente hebdomada, unam & ſolam horam ſibi ipſi ſegregauit Deus, & hanc in opera ſecularia, & in ridicula, & in conuenticula inſumis? cum qua poſtea fiducia ad myſteria accedes? O quam polluta conſcientia. Num ſi ſtercora in manibus haberes, auderes appropinquare ſimbriæ Regis, & poſt, propter quod accedentes ne putetis, quod accipiatis Diuinum corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphim forcipe igne, quem ſcilicet Eſaias vidit, vos accipere. Reputate ſalutarem ſanguinem quaſi è Diuino latere efluere, & ita approximantes labijs puris accipite. Stemus trementes oro fratres, ſtemus timidi demiſſis oculis, renata autem anima, gementes ſine voce, iubilantes corde. An non vides eos, qui ſenſibili, corruptibili, temporali, terreno Regi aſſiſtunt quàm ſint immobiles, non loquētes, nō oculos huc & illuc mittentes, ſed mœſti, territi, lugentes? Ex ipſis documentum accipite homines, & ſic aſſiſtite Deo, quaſi terrenum Regem acceſſuri. Multò ma-

Ser. de Euchariſt. in Encenijs Tom. 3.

Iſ. 6.

gis cæleſti regi cum timore adſtare oportet. Hæc illi.

Sed præter ſacrificia propriè dicta & meminit Scriptura, & aſſertores ſunt Patres aliorum ſacrificiorum, quæ non niſi per ſimilitudinem hoc nomine cenſentur; vt autem ſimilitudo inanis non ſit, ſed appoſita, facit vna religionis Virtus. Sacrificium Deo ait Dauid, ſpiritus contribulatus, & ſacrificium laudis honorificabit me, & Apoſtolus, beneficentiæ & Communionis nolite obliuiſci, talibus .n. hoſtijs promeretur Deus. Nulla enim eſt virtutis cuiuscunq; actio, ſiue interna, ſiue externa, quę ſi referatur ad Deum piè venerandum, religioſa non ſit, & ſacrificij etiam nomine ſuo modo digna. Qua de re ſic S. Auguſtinus. Proinde uerum Sacrificium eſt omne opus quod agitur, ut Sancta ſocietate inhæreamus Deo: relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo ueraciter beati eſſe poſſimus. Explicat id primò in homine ipſo. Ipſe inquit homo Dei nomini conſecratus, & Deo deuotus in quantum mundo moritur, ut Deo uiuat, Sacrificium eſt. Secundo in corpore hominis. Corpus noſtrum cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc quemadmodum debemus, propter Deum facimus, Sacrificium eſt, ad hoc exhortans Apoſtolus ait: Obſecro itaq; uos fratres per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora ueſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium ueſtrum. Et ſi corpus, quanto magis anima, cum ſe refert ad Deum, fit ſacrificium? concludit Auguſtino dignam ſententiã. Cum igitur uera ſacrificia ſint opera miſericordiæ ſiue in nosipſos, ſiue in proximos, quæ referuntur ad Deũ: opera uerò miſericordiæ non ob aliud fiant, niſi ut à miſeria

Pſal. 50.
Pſal. 49.
Heb. 13.
Lib. 10. de ciuit. c. 6.
Rom. 12.

seria liberemur, ac per hoc ut beati simus, quod non fit, nisi à bono illo de quo dictum est: Mihi autem ad- Psal. 72.
hærere Deo bonum est; profectò efficitur, ut tota ipsa redempta ciuitas, hoc est congregatio societasq; Sanctorum, vniuersale sacrificium offeratur Deo, per sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secũdum formam serui. Hanc enim obtulit, hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Et ad extremum hoc est sacrificium Christianorũ, multi unum corpus sumus in Christo: Quod etiam Sacramento Altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea oblatione quã offert, ipsa offertur. Sic S. Augustinus. Quem facilè prudens lector intelligit, non appellare hęc sacrificia metaphorica vera sacrificia, quod propriè sint sacrificia, sed quod sint & ipsa Deo grata, sicut uera sacrificia, & quia serè Ethicis scribit, illa uocare uera sacrificia, quę tam longè distant à falsis Ethnicorum sacrificijs, quantum Deus verus à falsis Dijs, simulq; docere nõtam mactã dis uictimis incumbendum ad placandum Deũ, quàm litandis animis, corporibus, sensibusq uenostris omnibus uerarum solidarumq; Virtutum Actionibus.

Deniq; scribit Aristoteles Honoris partes sunt, Sa- 1. libr. Rhet. c. 5
cra, Memorationes, decantationes carminum, aut solutæ orationis ad laudem recitatio, præmia, delubra uel primi confessus, sepulchra, imagines, publici ritus. Ad hæc etiã Barbara ut inclinari, loco cædere, munera quoque deferre. Ergo in Christiana Republica sacra tam multa, tam celebres dies festi, ac commemorationes,

psal-

psalmodia penè continua conciones & è superiore loco frequentissimæ orationes, Vota priuata & publica, templa, basilicæ, ædiculæ, initia actionum omnium nostrarũ ab inuocatione Diuini numinis, & Crucis signo facta, Tabernacula, pixides quibus Sanctissimum Christi corpus in Eucharistia conseruatur, & clauditur, innumeræ ubiq; locorum imagines Dei, Christi, vitę, Crucis & mortis eius, publici ritus siue supplicandi, siue sacramenta suscipiendi, siue sacramentalibus utendi, siue uisendi templa stationum & indulgentiarum gratia, omnia sunt Diuini cultus incitaměta, nec nisi ad Deũ piè uenerandum instituta sunt, aut aliò, nisi impiè & ab hominibus impijs referri possibile est Idem vno verbo dixerim de cultu qui Beatissimæ Dei Matri, ac Sanctis Angelis hominibusq; ritè defertur Ex eisdẽ enim eum præstandi occasiones accipere par est, ex quibus captamus cum Deum colimus, ac sicut me ad Diuinum honorem Deo præbendum alliciunt, quæ numerata sunt omnia, sic prorsus ad Hyperduliæ & Duliæ cultum Virgini ac Sanctis exhibẽdum me trahunt eadem omnia, quatenus illis ex Maiorum institutis ac legibus ritè cõsecrata ac deuota sunt, aut ad eos aliquo modo pertinent, ex illis enim quę proximè ex Philosopho recensuimus, nihil est quod Beatissimæ Dei Matris ac Sanctis non conueniat, præter vnum sacrificium, quanquam sacrificium etsi non offertur Deiparæ Virgini aut superis, sed sole Deo, vt diximus ex S. Augustino, celebratur tamen & sacratur Deo etiam in honorificam Virginis & Sanctorum commemorationem. Et ecce tibi syluam Actionum, quæ aut Diuinum cultum per se spectant,

ctant, aut ad eum facili industria dirigi, illiq; subijci possunt, adsit modo industria atq; religiosa ardensq; cupiditas, quæ industriam excitet & exacuat.

Aliqua hic etiam adscribi possent de externis corporis Actionibus quæ honorificæ sunt, ut est inclinatio capitis, corporisq; totius, genuum submissio, oculos in cælum tollere, tundere pectus, aperire caput, iungere manus, & alia similia multa & uaria, quæ pro uario hominum usu consensuq; recepta iam sunt ubiq;. Sed nihil necesse est in his immorari, quòd externo gestu corporis compleantur, & tum demum ad Diuinum cultũ pertinent, cum infirmantur & quasi animantur internis affectibus.

Quanta porro reuerentia & Dei cultus accensa cupiditate vacandum sit Psalmodiæ sacræ, Hymnisq; Ecclesiasticis concinẽdis, adeo perspicuum & certum est, vt superuacaneũ sit id pluribus confirmare. Afferte Domino ait principes psallentiũ oĩum quot sunt, fuerũt lõgeq; post alijs erũt in annis, afferte Dño patrię gẽtiũ, afferte Dño gloriã & honorẽ, afferte Domino gloriã nomini eius. Psallite Deo nostro, psallite, psallite sapienter Ecclesia tantæ musicæ magistra, ad finem cuiusque Psalmi intentionem renouat Diuini cultus illa celebri Dei Vnius ac Trini laudatione. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Tam multa huc spectantia & ab Dauide olim instituta, & postea ab Apostolis commendata, & à summis pontificibus renouata, & aucta, in omnes orbis Ecclesias introducta sunt; quorsum Deus bone? ad cultum Dei in animis hominum suauiter ferendum, fortiter infigendum, summaq; cum animorum iucun- Psal. 28.

ditate

ditate & fructu continuandum semper, quotidieq; magis amplificandum, qua venia digni erimus si talem occasionem oscitanter præterierimus, si id quod ad Deũ colendum propriè & per se à Maioribus institutum est, uel solutè remisseq; persoluatur, uel cum negligentia nostra, ac non sine Diuini cultus iniuria peragatur.

Multa hic etiam dici possent de ueneratione imaginum & reliquiarum sanctarum, & harum etiam gestatione de collo pendentium, quod feciſſe multos & inter hos S. Thomam Aquinatem testantur Historiæ: si quidem scribit S. Augustinus, (& ad reliquias referendum est) cum te inclinas atq; prosternis, non quasi terram intuearis, sed illum sanctum cuius pedum scabellum est, quod adoras. Accedit, cultum sanctorum rerumq; ad ipsos spectantium non circumscribi sanctorum finibus, sed Deum ipsum sanctitatis fontem attingere, in eiusq; qui sanctificat homines Angelosque redundare honorem & gloriam. Sed hæc omittuntur de industria, quòd pijs animis ad actum adorationis obeundum iam dicta sufficiant, non pijs satis nunquam sit, etiam si ad huc multo plura dicerentur.

In Psal. 98.

De Deuotionis Actione, Occasionibus, Indicijs. Cap. VII.

NObilissimus Actus Religionis est ut antè diximus, Deuotio. Hic vt optabilissimus est proficienti, sic eius vsus minimè expeditus, ac difficillimus uidetur propter mortalis uitæ continuas necessariasque quibus distinetur,

tur, occupationes. Quis enim ſtatus hominum ſi contemplantes excipias, poteſt frequenter velle rem Deo gratam facere, & in rebus omnibus quæ quis cogitat, molitur, agit, ſeipſum Deo offerre mancipium ad omnia paratum, nihilq; uelle omittere, quod intelligat ad Dei liberam ſeruitutem pertinere in medijs fluctibus ac tempeſtatibus humanæ vitæ, eius inquam, quæ negotioſa eſt, ſiue in adminiſtranda Republica, ſiue in regenda familia, liberis educandis, & re domeſtica procurãda, ſiue in quibuslibet alijs muneribus occupetur? & nihilominus omnibus dicitur: Primùm quærite regnũ Dei, & iuſtitiam eius. &, Solicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes. Et vt deuotionis antiquæ, & hominum Chriſtianorum naſcentis Eccleſiæ habeamus, quæ imitemur exempla, ſcribit de ijs idem Apoſtolus. Qui ſapit diem, Domino ſapit: Et qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit Deo: Et qui non manducat, Domino non manducat, & gratias agit Deo: Nemo enim noſtrum ſibi viuit, & nemo ſibi moritur, ſiue enim viuimus, Domino uiuimus, ſiue morimur, Domino morimur, ſiue ergo uiuimus, ſiue morimur Domini ſumus, in hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, vt mortuorum, & viuorum dominetur, vbi non ſolum de Chriſti in hominum vitam actiones, mortem poteſtate loquitur Apoſtolus, ſed etiam de deuotionis actione, qua ſe Domino viciſſim homines conſecrare debent; idque in rebus omnibus velle quod ad Dei cultum & gloriam amplificandam ualet. Matth. 6. Rom. 12. Rom. 14.

Quanquam uerò uſus hic difficultatem aliquam habeat, non tantam tamen, quæ ſuperari non poſſit indu-

ſtria proficientis. Et primùm quidem hoc etiam ſicut & ceteræ Virtutis Actiones donum Dei eſt, ex uberrimo bonitatis eius fonte promanans, ipſe enim eſt qui dat uelle, & preficere, quare & ab eo precibus impetrãdum eſt, dicendumq; illi cum Propheta, non ſolum ut doceat nos uoluntatem ſuam facere, ſed ut etiam quaſi manu ſuæ gratię adiuuantis deducat in ſemitam man
Pſal. 118. datorum ſuorum, & in uia æterna.

Poſtea ea acquirendæ & exercendæ deuotionis ſequenda ratio eſt, quam maximè probant patres, & qui à patribus acceperunt S. Thomas eiuſq; commentator, quorum uerba hic referre ad finem nobis propoſitum
2. 2. q. 82. art. 3. vtiliſſimum cenſeo. Sic igitur ſcribit S. Thomas. Deuotio eſt quidam voluntatis actus ad hoc quod homo promptè ſe tradat ad Diuinum obſequium, omnis autẽ actus uoluntatis ex aliqua conſideratione procedit, ideo neceſſe eſt, quod meditatio ſit deuotionis cauſa, in quantum ſcilicet per meditationem homo cõcipit, quòd ſe tradat Diuino obſequio. Ad quod quidem inducit duplex conſideratio. Vna quidem quæ eſt ex parte Diuinæ bonitatis, & beneficiorum ipſius ſecundum
Pſal. 72. illud Pſalmi, Mihi adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo meo ſpem meam. Et hæc conſideratio excitat dilectionem, quæ eſt proxima deuotionis cauſa. Alia uerò eſt ex parte hominis conſiderãtis ſuos defectus, ex quibus indiget, ut Deo innitatur, ſecundũ
Pſal. 120. illud Pſalmi: Leuaui oculos meos in mõte, unde ueniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cęlum & terram. & hæc conſideratio excludit præſumptionem, per quam aliquis impeditur, ne ſe Deo ſubij-

ciat,

ciat, dum suæ virtuti innititur. Hæc S. Thomas. Ex his commentator eius colligit duas internas & proprias deuotionis causas, alteram ex parte inquit, meditationis Dei, & beneficiorum eius, alteram ex parte meditationis propriorum defectuum. In prima sũt bonitas, misericordia, charitas, &c Dei erga hominem, & me: beneficiaq; creationis ad imaginẽ suam, redemptionis, baptismi, inspirationum, uocationum per se uel alios, expectationis ad pœnitentiam, Eucharistię, pręseruationis à tot periculis animæ & corporis, Angelicæ custodiæ, & reliquorum beneficiorum singularium. In secunda sunt defectus culpæ & pœnæ, tam in præterito, quàm in præsenti, labilitas ad peccandum, dissipatio propriæ substantiæ, assuefaciendo cogitationes, & uoluntates, & inclinationes aliarum suarum virium ad malum, habitatio in regione longinqua ab amicitia & conuersatione Diuina, peruersitas affectus magis temporalia quàm spiritualia commoda, uel incommoda sentientis, nuditas à Virtutibus, vulnera ignorantiæ, infirmitatis, & concupiscentię, Vincula manuum, & pedum, operum scilicet & affectuum, in tenebris, in fœtoribus, in amaritudinibus esse, nec horrere, uocem pastoris interius non agnoscere, & quod omnibus peius est, Deum pro inimico & hoste toties elegisse, mortaliter peccando, & propterea tantam ei iniuriam fecisse, ut pro Deo refutatus sit, factusq; noster Deus sit venter, aut pecunia, aut delectatio. Hæc præclarè Cardinalis Caietanus. Ad quæ autem adscribit Monitum ad usum frequentem deuotionis excitandum in hæc uerba: Ex huiusmodi meditationibus, quæ quotidianæ esse debent religiosis & spiri

tualibus personis omisso uocalium orationum multiloquio voluntario, deuotio aliæque consequenter gignuntur virtutes, nec religiosi aut religiosæ, seu spiritualis etiam nomine vocari potest, qui saltem semel in die ad huiusmodi se non transfert. Quomodo nanq; effectus absq; causa, finis absq; medio, Insularia, portus absq; nauigatione haberi nequit, sic nec religio in actu absq; frequentatis actibus suarum causarum, mediorũ, ac uehiculorum. Hęc ille, non reprehendit autem Caietanus orationem uocalem, sed multiloquium ęmulum Ethnicæ uerbositatis ad sensum Euangelicum.

Si quis igitur sit meditationi deditus, & meditatio uertatur, & quasi rotetur assiduè circa duos hosce cardines, Dei beneficia, malaq; nostra tam culpæ quàm pœnæ, existet sine dubio in animo habitus deuotionis. Verum non solum certo illo ac fixo meditationis articulo actus deuotionis excitatur in nobis, sed in ipsis etiam negotijs & uitæ officijs quotidianis, modo ad antedicta capita cum in animum incidunt attendamus, incidunt aũt cũ uolumus, & sanè continenter id fieri oporteret, cũ continuis à Deo beneficijs augeamur, assiduèq; uel labamur in culpas, uel lapsos nos olim per imprudentiã vitiositatemq; naturę & uoluntatis facilè meminimus.

At inquis, rem esse difficilem, cum ad terrena & humana officia incumbimus, ut deuotionis actiones artesq; simul excolamus. Nõ id ego diffiteor, & Apostolus homines coniugio copulatos diuisos appellat. Hoc est diuersis affectionibus amoribusq; ad diuersa distractos. Et Propheta de quibusdam huiusmodi farinæ hominibus ait transierũt in affectum cordis. & alius: Facti

1. Cor. 7.

Psal. 72.

Oseæ. 9.

sunt

sunt sicut ea, quæ dilexerunt. Sed hæc uitia sunt, contra quæ Christiani hominis est, bellum alacriter suscipere, ac fortiter gerere. Si quidem idem Apostolus Christianis omnibus illud dictum vult; Qui habent uxores, tanquam nõ habentes sint, & qui utuntur hoc mundo, tanquã non utantur. Dauid similiter: Diuitię ait, si affluant, nolite cor apponere. Celeberrima etiam sunt sanctorũ hominum documenta, qui in rebus alioquin à deuotione remotis vtiliter detenti, sese religiosissimè deuotissimèq; gesserunt, & ne nobis necesse sit, uocationes terrenas ac seculares omnes percurrere, de literarum profanarum studijs exemplum unum adfero, hæc enim cũ occupent omninò animum, nemo non videt, quantũ impedimentum deuotioni adferant, & nihilo minus ea sic tractarunt homines sancti, ut & literatissimi simul ac sancti, hoc est deuotione pleni, ex illis extiterint. Ac ut nihil dicam de antiquioribus Prophetis, Moyse inquam, quem constat eruditum fuisse in omni sapientia Ægyptiorum, Daniele, qui Chaldęorum omnem disciplinam tenuit, & alijs multis; certissimum est, in literis Gentilium longo tempore uersatos esse veteres Patres Ecclesiæ Catholicæ omnes, non solum initio, in pueritia nimirum & adolescentia, sed post etiam cum ipsasmet Sacras literas explicarent. Apud Græcos quidem Iustinum Martyrem, Origenem, Clementem Alexandrinum, Didymum, Eusæbium Cæsarienſem, Pamphilum Martyrem, Basilium, Gregorium Naziãzenum, & Nissenum, Damascenum, & alios. Inter Latinos uerò duo illa Ecclesiæ lumina, Hieronymum & Augustinũ, & S. Hieronymus quidem de se scribit, per Isagogen

1. Cor. 7.

Psal. 61.

Ep. 51.

Por-

Porphyrij ad Logicam introductum, & Alexandri Veri vertisse commentaria. At Rufinus de eodem testatur, & sibi id laudi duxit S. Hieronymus. In Bethleem ante non multo tempore, (hoc est in extrema iam ætate) partes Grammaticas executus est, & Maronẽ suum, Comicosq; ac Lyricos & Historicos auctores traditis sibi ad discendum Dei timorem pueruli exponebat, id quod fieri etiam debere à monachis suis S. Basilius censuit, & factitarunt olim in occidente Patres Benedictini, vt auctor est Tritemius. Et post Patres Dominicani ex decreto B. Io. Vercellensis Magistri ordinis Generalis sexti, viri sanctissimi, ut antè me sapienter obseruauit P. meus Ribadeneira in B. P. nostri Ignatij vita S. Augustinus autem postquam ad Dominum conuersus Sacrarum literarum studia colere cępit, non solum libros Gentilium eorumq; disciplinas euoluit, sed scripsit etiã & tractauit de solo rhythmo ut ipse ait, libros sex, & deliberabat de melo sex alios scribere, ac ad illorum lectionem inuitat Iulianum quendam Diaconum, sunt autem hi sex libri de musica, qui adhuc extant, quibus mirum est, quantam vir sanctus ex profanis scriptoribus Poeticę ac Philosophicæ eruditionis copiam asperserit, in quadam etiam Epistola cuidam Audacis nomine nuncupato rescribens ait, aliquos olim studiosos carminum conficiendorum postea plurimum in Ecclesiasticis literis profeciſſe, sed quanti fecerit uir tantus seculares disciplinas, auctoresq; Gentiles, illisq; quantopere studuerit, intelliget facilè, qui uel leuiter attigerit opus eius, hoc est, viginti duos libros de ciuitate Dei. Quos in medijs Episcopatus sui laboribus positus scripsit.

Reg. fusius disp. q. 15.

Li. 3. c. 24.

Ep. 131.

Ep. 140.

pſit S. Hieronymus aliquid amplius audet, licere nimi rum, decere, utile eſſe Chriſtiana ſcripta Gentilium doctrinis & dictis ſi non ornare, certè reſpergere. Quis inquit, neſciat & in Moyſe & in Prophetarum voluminibus, quædam aſſumpta de gentilium libris: & Salomonem Philoſophis Tyri & nonnulla propoſuiſſe, & aliqua reſpondiſſe? unde in exordio Prouerbiorum commonet, ut intelligamus ſermones prudentiæ, uerſutiaſque verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum & ænigmata, quę propriè Dialecticorũ, & Philoſophorum ſunt. Addit deinde, Apoſtolum Paulum uerſus Poetarum Epimenidis ad Titum, Menandri ad Corinthios, & Arati in Curia Martis apud Athenienſes diſputantem, vſurpaſſe, ſuiſque ſcriptis ac concionibus inſeruiſſe. Profert deinceps exempla Scriptorum Eccleſiaſticorum innumerabilium, quibus idem familiare non minus quàm glorioſum fuit, qui omnes inquit in tantum Philoſophorum Doctrinis atq; Sententijs ſuos referciunt libros, ut neſcias quid in illis primũ admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam Scripturarum. Idem ſenſit, & fecit S. Baſilius, qui etiam libro edito qua ratione id fructuosè fieri poſſit, oſtendit. Nimirum, ut ille de Ennij ſtercore aurum eruere, ſic hi religione ac pietate duce de Gentilium cloacis ueritatis pretioſiſſimas Margaritas expiſcari didicerant, ac pijs animis etiam irreligioſæ & profanæ tractationes religionis ac deuotionis occaſiones multas magnaſque præbebant.

Ep. 84.

Prou. 1.

Tit. 1.

1. Cor. 15.

Act. 17.

Homil. de utilit. capienda ex libris Gentilium.

Primum quidem in lectione earum ad vnam veritatem indagandam & colligendam intendebant animũ,

& eam

Lib. 3. de Doctrina Christiana, cap 40. & eam (ut S. Augustinus loquitur) à Philosophis tanquã ab iniustis possessoribus ereptam in usum Christianũ ac proprium uindicabant. Sicut enim inquit Ægyptij non solum idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israel detestaretur, & fugeret, sed etiam uasa atq; ornamenta de auro & argento, & vestem, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potius tanquam ad usum meliorem sibi clanculo uendicauit; sic doctrinæ omnes Gentilium, non solum simulata & superstitiosa figmenta, grauesq, saninas superuacanei laboris habent, quæ unusquisq; nostrum debet abominari, sed etiam liberales disciplinas vsui ueritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, deque uno Deo colendo nonnulla uera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibusdam quasi metallis Diuinæ prouidentię eruerũt, debet eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Vestem quoq; illorum, idest hominum quidem instituta, sed accommodata humanæ societati, qua in hac uita carere non possumus, accipere atq; habere licuerit in vsum conuertenda Christianum. Hæc S. Augustinus.

Exod. 3. & 12.

Secundo loco Sancti Patres Veritatem apud Ethnicos inuentam, non transferebant ad vsum pietatis, sordidam & inquinatam, qualem apud illos repererant, sed purgatam prius ac in pristinum splendorem restitutam, quod ante S. Augustinum egregiè declarauerat S. Hieronymus. In Deuteronomio Domini voce præcipitur, mulieris captiuæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & sic eã haben-

Ep. 84. Deut. 21.

habendam in coniugio. Quid ergo mirum si & ego sapientiam secularem propter eloquij venustatem & membrorum pulchritudinem de ancilla atq; captiua Israelitidem facere cupio? & si quidquid in ea mortuum est idolatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, uel præcido, vel rado, & mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Domino Sabaoth? Labor meus in familiã Christi proficit, stuprum in alienam auget numerum conseruorum. Oseæ accepit vxorem fornicariam Gomer filiã Debelahim, & nascitur ei de meretrice filius Israel, qui vocatur semen Dei. Esaias nouacula acuta barbam & crura radit peccantium. Et Ezechiel in typo fornicantis Hierusalem tondet cæsariem suam: vt quicquid in ea absq; sensu, & vita est, auferatur. Hæc S. Hieronymus. S. Basilius cum reijcienda quæ vitiosa sunt in gentilium monumentis docuisset, adscribit exemplum elegantissimum apum, quo discamus id solum quod apud illos bonum est verumue, in nostrum vsum conuertendum. Velut enim ait apes, non omnibus floribus similiter insidunt, neq; ex eis ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit, comprehendentes, reliquum dimittunt. Hos etiam vt sobrij sapientesq; quantum congruum nobis, propinquumq; ueritati ex ipsis fuerit, prosequamur, reliquum prætereamus. Sic S. Basilius. Oseæ. 1. Is. 7. Lib. de util. capienda ex lib. Gent.

Tertiò ueritate accepta à gentilibus ad eorum falsa dogmata confutanda pietateq; Christiana confirmanda vtebantur Patres, ac ut S. Hieronymus loquitur, didicerant cum uero Dauid extorquere de manibus hostium gladium, & Goliæ superbissimi caput proprio

mucrone truncare. Nec id solum, sed liberalibus disciplinis administris, humana & ad infirmiorum captum sensumq; accommodata argumenta sequebantur, potius quàm neruosiores alias ex Diuina Theologia depromptas ratiocinationes, quod se fecisse S. Augustinus testatur aduersus quosdam quos per fraudem errore deceptos ab hæreticis comperit. Nos inquit, dum negligendos esse non existimamus, quos hæretici notionis & fallaci scientiæ pollicitatione decipiunt, tardius incedimus consideratione ipsarum viarum, quàm sancti viri, qui eas volàdo non dignantur attendere. Quod tamen facere non auderemus, nisi multos pios Ecclesię Catholicæ matris optimæ filios, qui puerilibus studijs loquendi, ac differendi facultatem, quantum satis est, consecuti essent, eadem refellendorum hæreticorum necessitate fecisse videremus. Hæc S. Augustinus.

In fine lib. 6. de Musica.

Quartò in studio profanarum artium cum versati sunt viri sancti, id ita fecerunt, vt studia omnia sua, omnesq; labores ad vnam Dei gloriam omninò referrent, quod caput est Christianæ pietatis ac deuotionis. S. Augustinus cum adhuc errore detineretur Manichæi, non dolet quod artes omnes liberales didicerit, sed quod inquit Deo, non inde sacrificabam tibi. Itaq; mihi non ad vsum, sed ad perniciem magis ualebant. Nam quid mihi proderat bona res, non vtenti bene? Et alio loco cum argueret Dioscorum quendam, quem discendi cupidum deprehenderat, sed gloriolæ cupiditate non salutis suę, aut Dei gloriæ ait, quod non dico, quia istæ discuntur quæstiones, sed quia tali fine discuntur. Hunc enim finem iam certè sentis esse nugatorium, inanem,

Lib. 4. confes. c. 16.

Ep. 56.

ven-

ventosum; Habet & tumorem, sub quo etiam tabes gignitur, & pupilla mentis ad non videndum opulentiã veritatis offunditur. Hęc ibi.

Ceterùm, non solum profanarum artium cognitione superbia effertur hominis animus, sed ipsa etiam veritatis Christianæ Doctrina. Siquidem de omni scientia dictum intelligitur, scientia inflat. Huius mali causam reddit omnium liberalium artium ac Theologiæ columen S. Thomas, nec solum causam adfert, sed simul etiam remedium tanto malo. Causam sic; Scientia & quicquid aliud ad magnitudinem pertinet, occasio est, quod homo consideret de seipso, & ideo non totaliter se Deo tradat, & inde est quod huiusmodi quandoque occasionaliter deuotionem impediunt. Remedium uerò sic; Si tamen inquit scientiam & quãcunq; aliam perfectionem homo perfectè Deo subdat, ex hoc ipso deuotio augetur. Industriæ igitur nostræ est, cum Dei gratia occasionẽ Superbiæ in occasionem Deuotionis cõuertere, & quo nos magis supra nos erigit multarum rerum cognitio, eo nos magis Deo subijciat pia & incensa cupiditas Deo seruiendi, nostrisq; studijs in eius amorem quotidiæ magis exardescendi. 1. Cor. 8. 2. 2. q. 82.

Quod de literatorum statu dictum est hactenus, idẽ de omni alio genere vitæ ac Christianæ Vocationis dictum putandum est: nulla enim conditiò Christiani hominis adeo mundanis ac terrenis muneribus alligata ac implicata esse potest, quin Christiana sit, hoc est suis tẽporibus & sua certa ac propria ratione pia, religiosa, De Deo cogitans, Deum inuocans, & deuotionis internæ affectionibus Deum colens, Deoq; inhærens. Matri-

monio iunctos quomodo id faciant, docet Apostolus sæpè, S. Petrus etiam & S. Ioannes in suis Epistolis. Sed quid est quod à religiosis & deuotionis actionibus magis animum hominis abalienet, quàm vita militaris, siue illa sit soluta & libera, ut in otiosis cessationibus, siue proprijs occupationibus implicata, vt in stationibus, & cum bellum geritur? Hanc tamen vitam ad pietatem etiam informat Euangelica Doctrina. Et S. Augustinus luculentam de militari institutione Epistolam scribit Bonifacio Comiti, cuius illud primum præceptum est. Hoc inquit primum cogita quando armaris ad pugnã, quia Virtus tua etiam ipsa corporalis donum Dei est; sic enim cogitabis de dono Dei non facere cõtra Deũ. Vltimum verò illud, in omnibus actibus tuis Deo da claritatem, tibi verò humilitatem. S. Bernardus eadem de re præclarè scripsit cum milites templi Hierosolymitani instituit. Idem ij Patres alijque cum Virginibus, Viduis, Clericis, Episcopis, Monachis, Principibus, omnibus deniq; cuiuscunq; Christianæ professionis hominibus normam ac præcepta viuendi tradunt, quorum caput est illud. Deuotio erga Deum.

Ep. 205.

*Ser. Exhortatorio ad milites tẽpli cap. 4.

Primũ deuotionis indiciũ est mentis custodia, sic habet S. Gregorius in illa scripturæ Verba, comedent, qui uocati sunt. Iciuni inquit uocantur ad comestionem, qui à prauis desiderijs mentem custodiunt, & per gratiã spiritus sancti ad internæ dulcedinis experientiam trahuntur. Vocati ergo iciuni tunc comedunt, quando hi spiritualis gratiæ deuotione pascuntur, qui ad eam percipiendam se magna mentis suæ custodia parauerunt.

Lib. 4. in 1. Reg. cap. 9.

Secundum Indicium est ex eodem S. Gregorio mortificatio

Ibid.

tificatio prauarum affectionum appetitionumque nostrarum, quia inquit carnalia nostra destruimus, cum ardenti deuotione ad cælestia subleuamur;

Tertium Indicium est spiritualis cordis lętitia: cui minimè repugnat aliqua eodem simul tempore spiritualis animi tristitia, siue ea sit in animę rationalis appetitu, siue in sensu, potior tamen & per se proprius deuotionis effectus lætitia est, quàm tristitia. Sic docet S. Thomas, si quidem ex Dei consideratione lętitia existit. Memor enim ait Propheta fui Dei, & delectatus sum, hanc delectationis uoluptatē comitatur certus dolor, quod adhuc tam absimus longè à Deo quem ardenter expetimus; propterea idem vates: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Et postea: Fuerunt mihi lachrymę meę panes, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus. Ex recogitatione etiam malorum nostrorum primò quidem oritur dolor, quod ijs simus ac fuerimus obnoxij, post etiam gaudium quod ex ijs per Dei misericordiā partim iam emerserimus, partim eripiendos nos planè fore certa fide speremus. Sed hęc spiritualis lętitia proximè sequitur amorem erga Deum qui fons & parens est Deuotionis, quanquam letitię non semper sicut Deuotionis, potest enim Deuotionis actus sine lętitia spiritus animo exerceri, siue id accidat culpa nostra, siue Dei permissione. 2.ª 2. q. 82. art. 4. Psal. 76. Psal. 41.

Quartum Indicium est affectio feruida erga Christū Dominum, & pręcipuè erga passionem eius Sacratissimam. Est enim Christus Dominus ostium vt ita dicam necessarium ad inuenienda Diuinitatis per contemplationem pascua, pręsertim si huius ostij postes & limina,

eius

eius quem in passione profudit sanguine oblinantur, & exornẽtur; Quam ob rem, sicut ad amandum Deum
Ibid. ad 2. ait S. Thomas manuducimur per Christi amorem, sic ex deuotione erga Christum passum gradum nobis facimus ad Deuotionem erga Deum.

De Actione & Occasionibus obseruantiæ præsertim erga Ecclesiasticos Patres. Cap. VIII.

SEquuntur Actiones aliarum Virtutum quę iustitiam æmulantur, in quibus explicandis quod etiam præstandum erit in partibus Fortitudinis & Temperantiæ, nihil nobis repetẽdum, quod scriptum iam alibi à nobis sit, propterea breuius agendum. Et quidem de pietate in parentes iam dicta satis sunt. De obseruantia erga Maiores pręsertim Religionis Christianæ Præsides Magistratusue plura quæ desiderari possunt, adscribimus.

Et primùm illud. Obseruãtiam non solum esse actionem cultus externi erga Maiores, sed etiam ex uoluntate proficiscí debere, bonaq; affectione erga illos. Affectio autem oritur ex existimatione recta quam habere debet inferior de præstantia superioris, cui propterea hoc quasi debitum honoris per obseruantiam animi corporisq; exoluit. S. Gregorius in illa verba libri primi Regum: Et non attulerunt ei munera. Spiritualia inquit munera Rectoribus nostris tribuimus, quando eis debitam honoris reuerentiam offerimus, & ea quæ præcipiunt, cum magna deuotione seruamus. Magna enim munera sunt reuerentia honoris, & humilitas
Lib. 4. in 1. Reg. cap. 11.

subie-

subiectionis, quia dum Rectoribus nostris & intus per humilitatem subdimur, & per exteriora obsequia foris honoris reuerentiam exhibemus, munus ei vnum præbemus à corpore, aliud à corde. Superbos postea dicit esse illos, qui neutrum horum præstant.

Deinde considerãda hoc loco est excellentia Christianæ Virtutis, eius etiam quæ si cum aliarum Virtutũ principibus, Theologicis pręsertim conferatur, non tanti nominis ac mométi esse videatur, qualis fortè aliquibus videri posset hæc, qua de nunc agimus, Obseruantia. Mirum enim est, quam exquisitam hanc à nobis requirant Sacræ Literę, nam vt nihil dicam, quod seruos & mancipia ipsa iubent seruire Dominis etiam Gentilibus & insolentibus, tanquam Deo; omittã pariter quod tradunt de recognitione Diuinæ potestatis in Principibus omnibus, qui iure præsunt, qualescunq; demum illi sint, siue Christiani, siue Barbari, siue probi, siue improbi; Quia non est potestas nisi à Deo, quæ de honore Rom. 13. deferendo Magistratibus religionis præscribunt, sunt planè singularia. Proponunt Sacerdotes nobis tanquã Principes. Constitues eos Principes super omnem ter- Psal. 44. ram; nec Principes modo, sed Reges, Melchisedech Gen. 14. Rex Salem, Sacerdos Dei altissimi, nec Reges solũ, sed Angelos, Angelus enim Domini exercituum est. Nec Heb. 7. Angelos tantum, sed Deos. Constitui te Deum Pharaonis. Deus stetit in Synagoga Deorũ. Iccirco vult Deus Mal. 2. Exod. 7. Psal. 81. ipsos audiri à nobis, eorũq; dictis nos præsto esse æquè ac suis. Qui uos audit, me audit. Illos nõ offendi. Nolite Psal. 104. tangere Christos meos. Iniurias his factas suas reputat. Non est contra nos murmur vestrum, sed contra Dominum.

Exod. 16. minum. Scelera aduersus illos commissa seueriſſimè vindicat. Exempla vindictæ Diuinæ sunt multa in Scripturis Sacris, illa præcipuè, quæ Moysis tempore edita Num. 16. sunt Diuinitus in Maria sorore improuisa lepra conspersa, & in Core, Dathan & Abiron, eorumque sceleris socijs: quos partim terra dehiscēs absorbuit, partim ignis de Cælo demissus repentè consumpsit. Stat igitur Deo sententia hæc, vt plurimum honoris Sacerdotibus tribuatur, huncq; honorem sibi delatū existimat. Propterea S. Chrysostomus: An nescitis inquit, quod honor ad ipsum Deum pertinet. Neq; igitur respicias eum, cui honor cōfertur, neq; enim debes propter illum, quod tuum est facere, sed propter eum, cuius Sacerdos est: ut & ab illo retributiones vbertim accipias. Propter quod & dicebat: Quod fecerit vni horum, & mihi fecit. Et Matth. 25. qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Matth. 10. Prophetę accipiet. Propria enim facit Deus, quæ in seruos collocantur. Igitur sicut suum esse honorem, & contemptum dicit. Hæc ille. Ex quibus omnibus quis non intelligit, quantam obseruantiam, eamq; quàm non externam modo, sed etiam internam, non conformatam ad specimen & oculorum iudicium, sed ex animo planè pio atq; ad omne submissionis & modestiæ genus sponte propenso nascentem exigant à nobis Scripturæ Diuinæ?

Homil. 66. in Gen.

Ac sanè innumeræ sunt & magnæ rationes illæ, quæ homines ad hanc obseruantiam præstandam Ecclesiasticis Patribus inducunt; quæ simul occasiones sunt vt de opportunæ eandem cum eæ se offerunt, exhibendi. Has breuiter S. Prosper sic recenset. Pro peccatis omnibus

bus inquit velut pro suis infatigabiliter supplicãt Deo, Auertunt iram futuræ aduersionis à populo, per Dei gratiam sunt Diuinæ voluntatis iudices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, Fidelis populi duces, Veritatis assertores, prauæ Doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & malè sibi conscijs etiam ipso visu terribiles, Vindices oppressorum, Patres in fide Catholica regeneratorum, prædicatores cælestium donorum, Primi præliatores inuisibilium præliorum, Exempla bonorum operum, documenta virtutum, & forma fidelium; Ipsi sunt Ecclesiæ decus, in quibus amplius fulget Ecclesia, Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentiũ, Ipsi ianuę Ciuitatis æternæ, per quos omnes, qui credũt in Christum, ingrediuntur ad Christum, Ipsi ianitores, quibus claues datæ sunt regni cælorum, Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus, & officia singulorum. Hæc S. Prosper. His addenda præcipua illa & maxima, & quæ instar omnium aliarum esse debet, quas etiam longè superat potestas in Christi verum corpus, illud nimirum consecrandi & conficiendi sub specibus panis & vini, ac in hostiam viuis & vita functis hominibus adeo salutarem ac necessariam singulis diebus in Ecclesia pio ac sollemni ritu offerendi. Hæc qui sigillatim & accuratè cogitauerit, satis superq; habebit unde obseruare ac uenerari debeat tantos viros. Præsertim exemplo præeuntibus in hoc cultu ipsis Imperatoribus ac Regibus, alijsque omnibus prudentissimis ac sanctissimis viris, quos omnibus antè seculis tam multo desdit

Lib. 2. de Vita contẽpl. c. 2.

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17

Lib. 10. Hist. Eccl. c. 2. apud Eusebiū.

Ecclesia. Rufinus de Constantino Magno sic scribit. Cū resedisset (infimo loco, & post trecentos & octodecim Episcopos qui Niceam cōuenerant aduersus Arrium) suscepit à singulis libellos (iurgiorum), quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur aperiens, ait ad Episcopos. Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem uobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à uobis rectè iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei soli inter uos expectate iudiciū, & vestra iurgia quæcunq; sint, ad Diuinum illud reseruentur examen. Et post. Quæ cum dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simultas Sacerdotum. Hæc ibi. Attila Gothorum Rex sæuissimus, cum honorem habuit Leoni Sanctissimo Pontifici, ut eo audito, ex Italia in quā ingressus omnia iam ad vastitatem designauerat, cum copiosissimo exercitu quem ducebat, statim sit in Pannoniam reuersus. Notissima sunt quæ alij Imperatores Iouinianus, Teodosius, Valētinianus, Gratianus, Teodosius iunior Arcadius, Honorius, in ordinis Sacerdotalis homines, ac in ipsū ordinem vniuersum beneficia & ornamenta contulerint. Certe legem tulit Constantinus (si credimus Teodoreto) qua decernit plurimum honoris deberi hominibus in Sacerdotali dignitate constitutis, interitum interminatus horum insectatoribus. Multa de alijs principibus viris, Regibus, Imperatoribus antiquioribus & recentioribus afferri possent ad hanc eandem rem confirmandam, quæ breuitatis causa omittuntur illud non silendum, quod tradunt historiæ, Nicephorus præsertim,

Lib. 1. Eccles. hist. cap. 1.

Lib. 14. hist. Eccl. cap. 43.

tim, cum vt populi Constantinopolitani vehementissimo iustissimoq; desiderio satisfierit, ab exilio corpus S. Io. Chrysostomi Teodosij iunioris iussu reuocaretur, numquã loco tumulus dimoueri potuit, donec litteras scripserit supplices Imperator, quibus petita pro parẽti bus venia, ac fastu ut ipse dicit, Imperiali depositio, quæ cunq; potuit honoris ac reuerentiæ signa erga sacrosanctas eius reliquias ostenderit. Sic enim positis supra pectus sãcti corporis litteris, peruigilio peracto, fusisq; ad Deum precibus, tum demum tumulus se adducenti bus facilem præbuit, ac curru Imperiali uectus, in sanctorum Apostolorum templum illatus est. Ibi Imperator sacro tumulo clamyde tecto, & fronte atq; oculis urnæ impositis communem supplex precationem pro parentibus fecit, seorsum uerò pro matre (hæc causam exilio dederat) precatus est, ut tumuli eius motus, atq; strepitus consisteret. Triginta enim & quinque annos iam is quatiebatur, quo tempore scilicet & ipsam Eccle siam concutiebat. Nec ille id non exorauit. Confestim namq; urna eius constitit, hęc ex Nicephoro. De S. Fráciſco Minorũ parẽte scribunt aliqui dicere eum solitũ, si cui sanctorũ è cælo in terrã delapso, & cũ illo simul Sacerdoti fortè occurrisset, prius se Sacerdotis manibus osculũ daturũ, deinde reuerẽtiã facturũ sancto, plus se debere illi significans qui Christi in terris vicẽ gereret, quã illi, quẽ iã cũ Christo in Cęlis regnare cognosceret.

Sed est hoc loco respondendum quibusdam imperitorum hominum dictis aduersus patrum Ecclesiasticorum reuerentiam. Idq; potissimum sensibus ac uerbis S. Io. Chrysostomi honoris eorum patroni optimi &

Homil. 2. In cap. 1. Epist. 2. ad Timot.

assertoris. Primò quibusdam in mentem uenit friuola fane dubitatio, non tamen contemnenda, num sint illi diuinitus ordinati. S. Chrysostomus. Nempe nisi tu hanc habeas opinionem Deum ordinationis eorum auctorem esse, spes tua inanis facta est. Nam si nihil per illum operatur Deus, neq; lauacrum habes, neq; mysteriorum particeps es, neq; benedictionibus fruens. Nō ergo Christianus es. Quid ergo? Deus omnes ordinat, per omnes ipse operatur, salutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam si per Asinę os, si per Balaam sceleſtum hominem populi causa locutus est, multo magis loquitur per Sacerdotem plebis suę gratia. Quid.n.nō agit Deus salutis nostrę causa? quid nō loquitur, per quē non operatur? si enim per Iudam operatus est, per Prophetas, quibus dicturus est: Non noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem, perq; illos, qui dęmones in nomine suo eiecerunt, non magis Sacerdotes Diuino Mysterio famulantes operabitur.

Matth. 7.

Hom. 19. in Acta Apost.

Hęc iccirco scribit S. Chrysostomus, non quod existimet baptismum à non Sacerdote collatum non esse ualidum, nam approbat alibi Baptismum datum à Philippo Diacono, ab Anania item nondum Sacerdote.

In Ps. 14.

Quin idem S. Doctor alio loco cum Catholica Ecclesia asserit Baptismū etiam ab Arianis & Eunomianis de ritu Ecclesię exhibitum, esse legitimum. Loquitur igitur hoc loco S. Chrysostomus de ministro ordinario, quē in Baptismo certum est esse Sacerdotem, & ait si Sacerdos, non habet potestatem à Deo Baptizandi, ut tu dubitas, nec tu ab alio Baptismum suscepisti, ergo tu non es Baptizatus, & perspicuus est sensus ex illis uerbis sis,

Deus

Deus non est ordinationis eorum auctor, hoc est non contulit in eos potestatem Baptizandi ex officio &c.

Secunda dubitatio est Sacerdotes fortè honore suo prauis se moribus indignos reddere. S. Chrysostomus. Si prępositorum uitas discutere pergimus, ipsi Doctores nostros ordinare contendimus: peruersoq; ordine naturali, quę supra sunt infra esse uolumus, ut superius sint pedes, inferius uerò sit caput. Audi quid Paulus dicat, Mihi autem pro minimo est, ut à uobis iudicer, aut ab humano die. Et interū. Tu quid iudicas fratrē tuum? si fratrē iudicare non expedit, quantò minus magistrū? 1. Cor. 4. Rom. 14.

Tertia dubitatio. Non distribuit pauperibus, non benè dispensat Ecclesię res. S. Chrysostomus. Vnde tibi id constat? Noli illum culpare antequam discas. Reatū caue, plurima quippe ex simplici suspicione iudicantur. Imitare Deum tuum, audi ipsum dicentem, descendens videbo si secundum clamorem consumatur, sin autem, ut suam. Quod etsi didicisti, & examinasti, & vidisti, iudicem sustine. Noli prępripere Christi iudicis ordinem. Illius est munus ista discutere, non tuum. Tu seruus vltimus, non Dominus es, ouis ipses es, Pastorem noli curiosè discutere, ne eius quoq; criminis reus tenearis, qui illum accusare pręsumis. Gen. 18.

Quarta dubitatio. Et quomodo ipse mihi dicit, quę ipse non facit? S. Chrysostomus. Non tibi ipse dicit, nam si illi non obtemperas, mercede priuaris. Christus hæc admonet, plus aliquid dicam. Ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum, sed Apostolo Christum in se loquentem circumferenti.

Quinta

Quinta dubitatio. At debet ille melior esse quàm ego, quia sacerdos est. S. Chrysostomus. Et quid non habet ille amplius, quàm tu? Non labores, non angores, non ęrumnas? Debet esse te melior. Quid ergo? Nisi sit, teipsum perdis, ac perimis? sunt verba ista plena arrogã tiæ. Vnde enim nosti, illum non esse meliorem? Cur teipsum per præcipitia impellis? Nempe si quis dixerit, ille purpuram habet, quamuis scias id, aurem obruis, & cum arguere possis, protinus resilis, teq; scire dissimulas, nolens gratis subire periculum. Quid ergo in hoc loco periculum minimè necessarium suscipis? Non
Matth. 12. carent reatu hæc uerba, audi quid dixerit Christus. Dico autem uobis, quod omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationẽ de eo in die iudicij. Cur teipsum quouis arbitraris esse meliorem? cur non ingemiscis magis, ac pectus tundis, atq; in humum respicis imitando felicem publicanum? Et si enim melior sis, hac fœda existimatione tua cuncta perdidisti. Melior es, tace, ut perstistas esse melior, quod si loqua-
Luc. 18. ris, omnia exinaniuisti; Pharisæus cum dixit aduersus publicanum, non sum sicut iste publicanus, omnia perdidit. Tu de Sacerdote dicis, non sum sicut iste sacrilegus, & non omnia prorsus amittes?

Sexta dubitatio. Quid ergo intueri debeo in Sacerdote? quid ab eo, quãdoquidem mihi pater est & Dux, expectare? S. Chrysostomus. Magister hic solum iam or-
Io. 7. Is. 52. Ier. 13. dinem implet. Erunt inquit omnes docibiles Dei, neq; dicent: agnosce Dominum, omnes enim agnoscent me à minimo usq; ad maximum eorum. Reuerere Patrem spiritualem, quod tibi singulis diebus Diuina ministrat,

Scriptu-

Scripturas relegi facit, tui gratia exornat domum Dei, propter te vigilat, propter te vota persoluit, pro te Deũ precaturus adstat, tui causa preces exsoluit, pro te apud illum religio, cultusq; & obsequium est, pro te ista omnia. Reuerere hæc ergo, atque considera, accede ad ea summa cum reuerentia. At malus ille est, & hoc ad te quid? numquid enim qui malus non est, ipse tibi magna ista & Diuina largitur? Absit. Fides tua ad omnia valet, neq; tibi iustus quispiam proderit, nisi ipse fidelis sis, neq; nocebit malus, si fueris ipse fidelis; per vaccas in arca operatus est Deus, cũ populũ saluare uellet. Non possunt Sacerdotes, quæ Deus ipse largitur, ueluti Sacerdotali Virtute perfici omnia, quippe Diuinę sunt gratiæ. Horum tantũ est aperire os, ceterum Deus cuncta operatur. Symbolum iste sacerdos tantummodo implet. Intuere quantum inter Ioannem & Iesum inter est, prius tamen quàm à Ioanne Baptizaretur Iesus, non descẽdit spiritus, neq; Ioãnes illũ descendere fecit. Cur ergo istud fit? vt scias Sacerdotẽ symbolum implere tãtummodo. Nemo homo tantum distat ab homine, quãtum à Christo Ioannes, Descendit tamen spiritus, ut discas Deum omnia operari, Deum omnia facere. Volo quiddam adijcere planè mirabile. Et nolite mirari, neq; turbemini. Quid uero istud est? sacra ipsa oblatio. Siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusuis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamq; Sacerdotes modo quoq; conficiunt. Nihil habet ista quàm illa minus Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè sacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus est Matth. 3. Io. 1 & 3.

Chri-

Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoq; pronunciant, & oblatio eadem est, eademq; Baptismi ratio est, adeo omnia fide consistunt. Et hoc igitur Christi corpus, & illud est, qui autem hoc illo minus aliquid habere putat, ignorat Christum esse, qui nunc etiam adest, atq; operatur.

Septima dubitatio. Quid si doceat Sacerdos aut falsa, aut inutilia? S. Chrysostomus. Si fidei dogma peruertat, etiam si Angelus sit, obaudire noli, sin uerò recta doceat noli vitæ, sed verbis intendere. Habes Paulum verbis te operibusq; moderantem.

Vltima dubitatio. At cuius est iudicare Sacerdotem?
Rom. 14. Rectè Apostolus. Domino suo stat, aut cadit. S. Chrysostomus. Si quidem hoc statuit Deus, (nempe tibi hoc officium curamq; demandauit,) bene facis (corrigēdo) peccasq; ni facis, sin uerò contraria præcipit Deus, noli præsumere, neq; ea coneris, quæ super te sunt. Insurre-
Num. 16. xerunt aduersus Aaron post vituli formatam effigiem Core, Dathan, & Abiron. Quid ergo? nonne illi periere; Quilibet quæ ad se pertinent, solicitè curet.

Quę quanquam ita sunt, Sacerdotibus tamen maximè incumbit non solum ex uirtute & sine vitio viuere, sed viam ipsam perfectionis & initio ingredi, & deinde constantissimè pergere. Nec satis inquit S. Gregorius
Apolog. 1. Nazianzenus habere debet vitiosas animi formas obliterare, nisi meliores quoq; notas ipsis substituat, vitæq; integritate magis, quàm dignitate, & auctoritate præstet, nec modum sibi vllum honestè viuendi, & in virtute progrediendi constituat, nec lucro potius id quod cōplexu tenet, quàm detrimento id quod effugit, reputet.

De

De Obedientiæ Actione eiusq; præcipuis Indicijs. Cap. IX.

OBedientia duplex est. Vna qua Deo præcipienti obtemperat homo. Altera qua paret homini homo propter Deum. Actio obedientiæ erga Deum est ex animo ac firmiter velle subijci Dei legi ac præcepto, sicq; profiteri me Deo subiectum esse, non solum quia à Deo factus sum, eiusque voluntate seruatrice sustentor, sed etiam, quia me vitamq; meam omnem eius prouidentia ac legibus regi & gubernari vehementer volo, hanc autem esse Actionem maximè propriam obedientiæ huius, intelligitur ex eo, quod hæc prorsus mens Dei est, atque consilium, dum præcipit, hancq; ob causam potissimũ præcipit. Explicat id S. Augustinus more suo egregiè, cũ .n. docuisset, Diabolum voluisse nullo regente viuere, addit: Homo autem positus sub præcepto audiuit à Domino Deo. Noli inquit, tangere hanc arborem. Quid est enim illa arbor? si bona est, quare non tango? si mala est, quid facit in paradiso? Prosus ideo est in paradiso, quia bona est, sed nolo eam tangas. Quare non tango? Quia obedientem te uolo, non contradicentẽ. Serue audi prius, audi Domini iussum, & tunc iubentis disce consilium. Bona est arbor, nolo tangas, Quare? Quia Dominus sum, & tu seruus. Hæc tota causa est si parua est, dedignaris esse seruus? Quid artem tibi expedit, nisi esse sub Domino? Quomodo eris sub Domino, nisi fueris sub præcepto? Nihil abs te indiget Deus

De Verbis Domini Ser. 34.

(ait post pauca) nihil ergo tibi debuit iubere? si autem debuit aliquid iubere, ut te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, necesse ab aliquo prohibendus eras, non propter illius arboris malitiam, sed propter tuam obedientiam. Non potuit Deus perfectius demonstrare quantum bonum sit obedientia, nisi cum prohibuisset ab ea re quæ non erat mala. In qua obedientia tenet palmá, sola ibi inobedientia inuenit pœnã. Et postea. Quare tetigit? Nisi quia sua potestate vti uoluit, præceptum rumpere delectauit, ut nullo sibi dominante fieret sicut Deus, quia Deo utiq; nullus dominatur. Excussit à ceruice iugum, & disciplinæ habenas non vescendi libidine, sed exultandi animositate dirupit. Hæc S. Augustinus. Ergo velle parere, ac subesse præcepto, proprium est & præcipuum officium obedientiæ quæ Deo præstatur, omissa interim consideratione rei, quæ præcipitur, quæcunque sit illa, siue ad salutem necessaria, ut Deum diligere, ac colere, proximum item amare, & similia, siue nõ aliter mala nisi quia lege prohibetur. Nobilissimam Actionem hanc imitatur, id enim par est, Obedientia, quæ homini propter Deum defertur. Hoc est, occupatur omninò tota non in cogitatione rei, quę iubetur, sed iussionis ipsius, nec cum uidet longè à peccati suspicione abesse id, quod prȩcipitur, aliud curat potius, aut cogitat, quam obtemperare, ac dicto audire quàm potest integerrimè, & accuratissimè. Est hæc sanctorum Patrum Doctrina à S. Gregorio latè declarata. Puer inquit Samuel nec uocatus, nec repulsus offenditur, quia vocãtis aut repellentis animnm videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quod obediuit. Et

Lib. 2. in 1. Reg. cap. 4.

quia

quia surgere, ad laborem, redire autem ad dormiẽdum pertinet ad quietem, quid insinuat, nisi quia utranq; nobis vitam præparat, si obedientis animus in eo quod agit, non nisi obedientiæ bonum pensat? Præceptum namq; in hoc solo pensari debet, quod Maioris præceptum est. Et qui obedientiæ bonum exequitur, non iunctum opus debet considerare, sed fructum, quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiretur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. Vnde & Paulus ait: Circũcisio nihil prodest, & præputium nihil est, sed obseruatio mandatorum. 2. Cor. 7. Iam ergo apud omnipotentem Deum nec ea, quæ ad laborem, nec ea quæ ad quietem pertinẽt, parua sunt, si æternam vitam parare obedientibus possunt. Quisquis ergo alieno imperio subiectus est, hoc solum consideret, quia quod sibi secundum Deum iniungitur, valdè magnum & excelsum in lucro est menti, quod vitã præparet in mercede retributionis. Et plura quæ sequuntur ibidem.

Sed occurrit in Actione Obedientiæ res planè mirabilis, & qua ad obedientiam erga Maiores commendãdam nihil aptius excogitari poterat. Deum qui per se potest homini imperare, ut imperauit Abrahæ, Iacob, Moysi, & alijs, nulla necessitate aut accipiendi ab hominibus potestatem, aut consilij sui cum hominibus communicandi, palam interdum demonstrasse se, cum sic imperat, nolle tamẽ fieri quod imperat, nisi Maiorũ iudicio quasi cõfirmetur, ac probetur prius. Quod S. Gregorius non minus acutè quàm sanctè obseruauit in eadem Samuelis historia. Et notandum ait: Quia quiescen Lib. 2. in 1. Reg. cap. 3.

tem puerum nesciente Helì Dominus excitat, sed tamen excitato nisi eodem Helì præcipiente uocationis suæ causam nequaquam manifestat, quia electos subditos occulta inspiratione ad supernæ patriæ desiderium erigit, sed per quietem vacare eos ad eam quam diligũt patriam, sine maiorum licentia non permittit. Quia ergo quoties vocatur puer, toties ire ad Magistrũ sinitur, quid est aliud, nisi quia ipsa Diuinitus inspirata subiectorum desideria, maiorum iudicio submittuntur? opus nanq; subditi Diuinitus inspirati, tunc Deo gratum esse cognoscitur, si maioris imperio aut permissione peragatur. Hæc ibi.

Ex his porrò duæ existunt Actionis Obedientiæ illustrissimæ proprietates. Prior est, recognoscere dum pares, in præside Deum, nec dubitare eum, in præcipiendo vicem Dei gerere, modo nihil cõtra Deum uti dictum est, iubeat. Sic habet S. Benedictus in regula, sic S. Bernardus in libro de dispensatione, idq; probat S. Basilius in Cõstitutionibus ex Euangelij uerbis. Qui uos recipit, me recipit, & item alio loco, Qui uos audit, me audit. Et addit, Quod Apostolis dixit, intelligendus est in commune legem sanxisse in posteros, qui aliorum futuri erant moderatores, id ex multis, ijsdemq; certissimis Diuinarum literarum testimonijs, manifestissimisq; argumentis probari potest. Et paulo post: Nihil aliud est antistes, (qui modo diligenter munus exequatur, cui præpositus sit, pietatem videlicet) quàm is, qui personam Christi sustinet, & sequester est inter Deum & homines, qui in ipsius officio sunt, salutem sacrificans Deo. Atq; hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesię

Cõst. Monast. c. 23. Matth. 10. Luc. 10. Io. 21.

suæ

ſuæ Paſtorem poſt ſe conſtituit. Hæc S. Baſilius. Poſterior proprietas eſt, obtemperare ſimpliciter, nulla quæſita præcepti cauſa. S. Chryſoſtomus hanc Deo obediẽdi rationem expendit in Apoſtolo Paulo, in illa verba quæ Romanis ſcripſit: Nolo autẽ vos ignorare fratres, quod ſæpè propoſueram venire ad vos, licet præpeditus fuerim ad hunc vſq; diem. Vide inquit, ſeruilis obedientiæ modum, & ſimul animi admodum grati argumentum. Quod fuerit prohibitus dicit, quamobrem autem non item: neq; enim examinat Domini mandatum, ſed paret tantum, quanquam par erat hæſitare, quanam de cauſa vrbem tam ſplendidam, tam magnã, & in quã ſe totius orbis oculi conuerterent, prohiberet Deus quo minus talem magiſtrum tanto tempore aſſequeretur, ſi quidem quiſquis imperantem, dominantemq; vrbem vicerit, is & ſubditos paruo negotio adoriatur. At quiſquis regaliore vrbe miſſa ſubditis ſubigẽdis inſidias parauerit, idem caput ſe negligere oſtendit, ſed tamen nihil horum Paulus curioſè indagat, quin potius incomprehenſibili prouidentiæ cedit, partim animi ſui moderationem ſpectatam faciens, partim nos omnes erudiens, à Deo nunquam exigendam eſſe rationem eorum quæ facit, etiamſi multum eis animus turbari videatur. Domini enim ſolius eſt iubere, famulorum autem parere. Atq; hac quidem de cauſa quod prohibitus ſit, dicit, non autem quare prohibitus ſit, neque enim ego id ſcio, neq; me interrogetis, quænam ſit Dei uoluntas, aut ſententia. Nam neq; figmentum opifici dicit, quid me ſic finxiſti? qua igitur de cauſa & tu id ſcire elaboras? neſcis illum omnium curam habere, illũ ſapien-

Homil. 1. in. Ep. ad Rom.

Rom. 1.

sapientem esse, nihil temerè agere, illum te magis amari quam proprij parentes ament, illum longo interuallo & patris pietatem, & matris curam vehementissimè superare? Itaq; nihil amplius perueſtiga. Hæc S. Chrysoſtomus, quæ ſuaſio S. Patris eo etiam ſpectat, ut in ijs quæ non ſunt in noſtra poteſtate, ſed à Deo occultiſſimo prouidentiæ ſuæ conſilio immittuntur, qualia ſunt ægritudo corporis, aut etiam animi, paupertas, vexatio, calamitas, orbitas, illuſio, deſtitutio, & alia ſimilia, ita cõ poſito animo ſimus, ut quod adtinet ad obedientiæ actionem poſthabita omni inquiſitione alterius cauſæ in vna Dei uoluntate prorſus acquieſcamus, dicamuſq; cum Iob: Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomẽ Domini benedictum. Satq; nobis ſit illud, Dominus eſt, qui iubet.

Iob. 1.

Atq; hæc eadem ratio efficere debet in obedientis animo parem ut ita dixerim incuriam & inconſiderantiam cauſæ, cum imperat quidpiam nobis homo quicumq;, quem ſibi in cura noſtri vicarium Deus ſubſtituit. Si enim huius ſicut Dei dicto parere debemus, cur non æquè, non inquiramus cur ita iſte dicat, pariter ac negligimus quærere ſi à Deo dicatur? atque hoc ipſum tradunt patres explicatiſſimè, vt alio loco docuimus, grauiſſimè autem S Gregorius Nazianzenus illis verbis: Oues ne paſcite Paſtores, ne ſupra fines ueſtros aſſurgite, iudices ne iudicate, ne legislatoribus leges præſcribite nec deſunt, qui hoc ipſum ex Apoſtolo colligant, dum ſcribit de præpoſitis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris, ac ſi diceret, ad eos ſpectare maximè peruigilare, & videre,

Orat. 9.

P. Valentia Tom. 3. diſp. 7. q. 3. p. 2.

Heb. 13.

quid

quid nobis bonum sit, & expediat, atq; adeo rationem pro nobis reddere in iudicij die eorum, quæ nos ex illorum præscripto fecimus, ut proinde non nos, sed illi timere debeant iudicium & condemnationem circa ea, quæ nos de eorum mandato præstiterimus.

Quod si subeat animum illa cogitatio, eum qui præcipit, interdum ad id adduci aut inordinata aliqua animi affectione, aut falsæ alicuius opinionis errore; non iccirco modo absit à re quam præscribit omnis culpæ suspicio, minus promptè ac integrè curandum est mãdatum illud, si quidem mandatum inordinatum non est, nec vitiosum, ac proinde à Deo est, qui separat pretiosum à vili, vtiturq; culpa & errore maiorum ad subiectorum vtilitatem. Id quippe est Dei vicarium esse hominem dum iubet, nempe Deum hominis præceptũ ad obtemperantis beneficium dirigere, nec permittere vitiatam voluntatem ac mentem præcipientis vlla ratione obesse obtemperanti. Aliquid amplius scribit in hanc sententiam S. Gregorius, cum enim retulisset, Antistiti cuidam Romano adulantes clericos persuasisse, ut ad se arcesseret Sanctum Equitium Abbatem, obiurgaretq; quòd absq; Pontificis venia munus Apostolicę prędicationis obiret, ac miraretur Petrus Diaconus, quem secum in eo dialogo colloquentem facit, quod de tali viro surripi pontifici tanto potuerit, respondet, Quid miraris Petre quia fallimur, qui homines sumus. An menti excidit, quòd Dauid qui Prophetiæ spiritum habere consueuerat, contra innocentem Ionathæ filiũ sententiam dedit, cum uerba pueri mentientis audiuit? quod tamen quia per Dauid factum est, & occulto Libr. 1. Dial. c. 4.

Dei

Dei iudicio iustum credimus, & tamen humana ratione qualiter iustum fuerit, non videmus. Quid ergo mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Prophetę nō sumus? Multum uerò est, quod vniuscuiusq; pręsulis mentem curarum densitas vastat, cumque animus diuiditur ad multa, fit minor ad singula, tātoq; ei in una qualibet re surripitur, quanto latius multis occupatur. Hęc S. Gregorius.

Parendum igitur malis etiam hominibus Magistratum gerentibus, cum non mala iubent. Ac si quid contrà nobis in mentem ueniat, iudicemusq; opere pretiū id Pręsidi aperire, ne ex eius ignoratione pręceps ad prę cipiendum feratur, id licitum nobis est, tutèq; facimus, exemplo Moysis, qui cum iussus à Deo adire Pharaonē Regem Ægypti, causaretur linguę infantiam & tarditatem, audiuit à Domino Aaron frater tuus Leuites scio quod eloquens sit, & erit os tuum. Immo ita nos ante comparare debemus, ut, modo absit contraria ac pertinax cupiditas mentis, pro varietate mandatorum variam & ipsi ad parendum voluntatis pręparationem ad feramus, si enim optabilia, iucundaq; per se sunt, quę imponuntur, qualia sunt honorabilia; auerso potius quàm propenso adeo animo simus, optandum est, laudandum contrà cum prompto animo accedimus ad ea obeunda, quę grauia sūt, difficilia, despicata, vilia, siquidem obedientia soror est humilitatis, eaq; maximè nititur, perficiturq;; eadem autē humilitate & honorem repudiamus, & nos pro Dei gloria ad vilia quęq; deijcimus. Hoc subtiliter ac piè S. Gregorius. Cum huius inquit mūdi successus pręcipitur, cum locus superior imperatur,

Exod. 4.

Lib. 35. Mor. c. 13.

peratur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat, neq; enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursum cũ mũdi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ iubentur, nisi ea seipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minit, quia ad ea, quæ in hac uita despecta sunt inuitus nolensq; descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius seculi nequaquam ex parte aliqua etiam sua uota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduersis ex suo aliquit habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omnimodò non habere, quatenus & in aduersis tanto sit glorioſior, quantum Diuino ordini etiam ex desiderio iungitur: & in prosperis tanto sit verior, quantum à præsenti ipsa quam Diuinitus percipit gloria funditus ex mente separatur. Hæc ille.

Hac eadem humilitate duce si quando non dubitamus id, quod præcipitur cum peccato aut peccati nostri periculo perspicuè coniunctum esse, si fiat, aditum patefacimus nobis vel ad monendum eum qui nos in tantum discrimen conijcit, vel ad imperium prudenter declinandũ, tunc enim parendũ non esse, satis certum est, & exploratum, nec deest ex eodem S. Gregorio documentum, sic enim scribit de Nonnoso Monacho. Dum quadam die in monasterio uetus oleum deesset, iamq; colligendæ oliuæ tempus incumberet, sed fructus in oleis nullus appareret, visum patri monasterij fuerat, ut circumquaq; fratres in colligendis oliuis ad Libr. 1. Dial. c. 6.

exhibenda extraneis opera pergerent: quatenus ex mercede sui operis aliquantulum monasterio oleum deportarent.

Quod vir Domini Nonnosus fieri cum magna humilitate prohibuit, ne exeuntes fratres ex monasterio dū lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Addit postea factum Nonnosi Diuino miraculo illi persimile, quod olim ab Helisæo Propheta editum est, Diuinitus confirmatum esse. Monasterij enim dolia pauculis olei stillis super fusa Nonnosi precibus oleo plenissima redundarunt. Vt hinc etiam intelligamus, Deū eorum qui ex animo obedientiam colunt singularem patronum ac rectorem esse, utq; non patitur, & cum simpliciter obtemperant, labi, sic eum propius nihil est, quàm ut labantur, aut errent, si id præcipientium vitio fiat, protinus ab omni eos discrimine liberare. Quod similiter B. Romualdo accidisse apud Petrum Damianum legimus, cum enim falsi criminis insimulatus à quodam tanquam reus, tamen sceleris pœnas à discipulis impositas ex animi demissione ac obediendi studio persolueret, atq; à sacrificio missæ iam ferè sex menses abstineret, à Deo monitus est, vt satis datū putaret iniustæ aliorum voluntati, seq; deinceps sacrosancti altari restitueret, quod cum faceret per mentis excessum ad cælestes delicias prægustandas raptus qua se priuarat spirituali voluntate magno cum fœnore perfusus ac recreatus est.

Libr. 4. Reg. c 4.

In Vita S. Romua.

De obediendi occasionibus paucis agendum est, ad duas potissimū reducuntur. Prima est expressum & apertum præceptum Præsidis. Secunda est ipsemet eiusdem nutus,

nutus, ac uoluntatis significatio, ad utranq; obedientię cultor æquè promptum ac paratum se præstat. nilq; illi gratius, quàm Maiorum suorum uoluntatem sequi, studijs etiam obtemperare, eaq; cum perpecta non sunt explorare, ac diuinare; similiter illi de quo scriptum est: In lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Hoc est enim quod tradit Salomon: Mens inquit iusti meditatur obedientiam. Meditatur ait, quia nil illi familiarius, nil antiquius, aut gratius, quàm secumet disquirere, quæ sit sui Præsidis mens, quis animus, qua ratione eius uoluntatem ad unguem, & ut aiunt, ad literam possit explere: tunc etiam cum non loquitur, uel si loquitur id per interpretem facit, quod admirantur in S. Io Damascenoij, qui uitam eius scribunt, non enim solum ad magistri arbitrium se fingebat totum. sed si quid illi excidisset, quod rumore nuncio ut fit, ad Ioannis aures pertingeret, id ipsum ac si ab ore magistri explicatum mandatum accepisset, quanta maxima poterat alacritate exequebatur, esset illud quantumuis difficile, durum, laboriosum, horridum, visu etiam ac adoratu fœdum. Psal. 1. Prou. 15.

Indicia perfectæ obedientiæ sunt multa. Primum est cum amore ad parendum ducimur. Hanc appellat S. Petrus, Obedientiam charitatis, eiusq; sunt omnes illæ charitatis proprietates quas recēset Apostolus in prima Epistola ad Corinthios, quare similiter ac charitas perfecta obedientia patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, & alia quę ibidem scribit Apostolus. De hac S. Bernardus De Petri & Andreæ uocatione tractans, explicansq; quàm promptè uocan- 1. Pet. 1. 1. Cor. 13. Serm. 2. in die S. Andreæ.

tem Dominum sint secuti, ait, At illi continuò nihil diiudicantes, aut hæsitantes, non solliciti unde uiuerent, non considerantes quonam modo rudes homines & sine literis prędicatores fieri possent: nihil deniq; interrogantes sine omni mora relictis retibus & naui secuti sunt eum. Agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hęc, propter uos singulis annis in Ecclesia recitantur, ut discentes ueræ obedientię formam, castigetis corda uestra in obedientia charitatis, hęc nimirum est, quæ sola commendat obedientię nummum, hoc illius argentũ est probatũ, atq; purgatũ. Sola est charitas quę obedientiã gratã facit, & acceptabilem Deo. Hęc ille.

Secundum Indicium est, cum quis obediendo rationem potius habet animi ac uoluntatis pręcipientis, quàm verborum quibus imperando utitur, tũc præsertim, cum qui iubet, ea modestia iubet, vix vt videatur iubeat, ne, an roget, talis erat Apostolus, qui Philemoni sic scribit: Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro, cum sis talis vt Paulus senex, nunc autẽ & vinctus Iesu Christi. Quare merito hęc pręcipientis modestia promptam illam ac liberalem obedientiam requirit, de qua idem postea subscribit: Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens, quoniam & super id, quod dico facies. Nec id repugnat simplicitati, quę comes est Obedientię perpetua, nam ut perfecta obedientia cęca est in non inquirenda ratione, cur quidq; pręcipiatur, ita oculatissima est in peruidendo intimo pręcipientis sensu ac uoluntate, ut ei quàm potest accuratius, planiusque satisfaciat.

Tertium

Tertium Indicium est contemptio sui ac rerum omnium mundanarum perfecta despicientia, nec enim Christum quis poterit ad obedientiam vsq; mortis & crucis imitari, qui sui contemptu humilitate, patientia, mansuetudine, similibusq; virtutibus alijs pectus non planè munitum armatumq; gesserit. Secnudum enim charitatem Dei obedientiam propriè gignit submissio animi, alit sui mundiq; contemptus, roborat ac perficit patientia & mansuetudo, quam rem non pluribus confirmandam censeo, quod apud omnes testatissima sit, Ex historia tantum rem sub oculis pono.

Leo Ostiensis Episcopus in historia Cassinensi narrat de Carolo Manno, Caroli Regis Francorum filio, quemadmodum præ regni cælestis desiderio regno terreno posthabito, Romam adierit, seseq; in manus sũmi Pontificis tradiderit, (is erat Zacharias Papa) quem ille ait, clericum faciens, post aliquot dies huc illum ad B. Benedicti monasterium cum omnibus opibus suis Domino sub regulari magisterio seruiturum cum cæteris misit. Vbi sub prædicti Abbatis regimine (hic Petronax est, à B. Benedicto sextus Cassinẽsis Abbas) cũ omni humilitate & deuotione Domino seruiens, aliquos transegit annos, non autem erit otiosum, quantæ humilitatis & obedientiæ fuerit, tradere. Cernens Abbas propositum eius feruens, uolens iuxta regulæ mandatum ipsius explorare patientiam, perseuerantiamq; cognoscere, paucarum ouium, quæ erant in monasterio curam illi tentauit iniungere, ut quotidie ad pascendũ educeret, pascentes custodiret, pastasque reduceret. Quam ille obedientiam ac si ex ore Domini, feruenter Lib. 1. c. 7.

amplc-

amplexus, satagebat quotidie, quæ sibi fuerant imperata, perficere. Post paucos dies cum longiuscule pascendas duxisset oues, latrunculi quidam repentè irruentes, aliquas ex eis nitebantur violenter arripere. Tum ille constanter accurrens oues inquit, curæ meæ commissas auferre vos nulla ratione permitto, de me autem quod Dominus permiserit, facere non contradico. Illi autem peruersæ mentis homines eum penitus expoliantes, abire cęperunt. At Carolus detegi pudenda nõ ferens femoralia tantum ab eis violenter eripuit, cetera patienter eos auferre permisit. Cumq; sic nudus ad monasterium redijsset, interrogatus ab Abbate & fratribus, rem gestam ex ordine pandit. Abbas verò probare uolens an uera esset, an simulata ista patientia, cępit eum vehementer arguere, eiq; segnitiem, ac stultitiam exprobare, cum ille nihil excusans ad omnia se peccasse fateretur. Iubetur ergo vestiri, & ab opus solitum regredi, cum verò die quadam oues à pastu reduceret, una ex eis ægra, claudicare cępit, Videns ergo se ad constitutam horam occurrere nullatenus posse, claudicantem ouiculam imposuit humeris suis, sicq; cum omnibus ad monasterium redijt, sed dum rediret, ouiculæ quam gestabat humeris perfundi eum lotio contigit. Quod ille quondam præpotens, ille regia dignitate conspicuus tanta patientia pertulit, tanta animi virtute tolerauit, ut ne ouiculam quidem iccirco deposuerit. Id cum Abbati nunciatum fuisset, admirans tãti uiri mansuetudinem, ac prorsus regiam humilitatem, Diuinoq; spiritu plenũ animaduertens, prȩcepit, ut iam illo opere omisso, iuxta, hortulũ sibi ut sciret, excoleret. Hęc Leo.

Quar-

Quartum Indicium est, cum animus obtemperantis simpliciter ac prorsus acquiescit in imperantis voluntate, æquè, cum præcipit, quæ spiritualia sunt, ac cum imperat alterius generis quid piam, & cõtrà. Hoc est enim vt antè diximus, obedire, vt obedias, non quia quod imperatur per se gratum nobis, aut optabiliter iucundum est. In quam sententiam illud est apud S. Gregorium scriptum. Nec magna lucra ieiunij, nec asperæ vitæ studia deuotis Christi militibus in maiorum præcepto ualde pensanda sunt. Maioris enim est meriti charitatis iuncta refectio, ieiunio propria deliberatione susceptо. Qui enim iussus carnẽ reficit, inuitus ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisiuit. Atqui dixit Beatus P. Ignatius, obediendum est, cum miraretur medicus, quod feria quarta Maioris hebdomadæ iussui suo obtemperans carnes comedisset.

Lib. 2. in 1. Reg. cap. 3.

P. Maffeus lib. 3. c. 7. Vitæ Ign.

De Actione Simplicitatis. Cap. X.

SImplicitatis Actio propria est dolo ac simulatione deposita, eum præferre qui sis, ac ut ait S. Thomas ex cordis duplicitate non vnũ prætendere, & aliud intendere. S. Bernardus: Simplicitas candor est. Probamus à contrario, nam nævus duplicitas, parum dixi, macula est. Quid duplicitas nisi dolus? sed enim qui dolosè egit in conspectu Dei, inuenta est iniquitas eius ad odium. Et ideo, Beatus cui non imputauit Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Pulchrè Dominus utranq; notauit

2. 2. q. 109. art. 2. ad 4.

Ser. 71. in Cant.

Psal. 31.

Matth.6. notauit maculam, dolum tristitiamq;. Nolite inquit fieri sicut Hypocritæ tristes.

3. p. Past. Adm. 12. Circunstantias Actionis huius numerat S. Gregorius. Primam, simplices inquit monendi sunt, ut nouerint nonnunquam vera reticere, sicut enim semper dicentem falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam auditu veritas nocuit. Vnde coram discipulis Dominus locutionem suam silentio temperans ait: Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis illa portare. Secundam. Vt sicut fallaciam semper uitant, sic veritatem semper vtiliter proferant. Tertiam vt simplicitatis bono prudẽtiam adiungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circunspectionem prudentiæ non amittant. Hinc nanque per Doctorẽ Gentium

Io.16. Rom. 16. dicitur: Volo vos sapientes esse in bono, simplices autẽ in malo. Hinc per semetipsam electos suos Veritas ad-

Matth.10. monet dicens: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Quia videlicet in electorum cordibus debet & simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere, & serpẽtis astutiam columbæ simplicitas tẽperare: quatenus nec seducti per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant.

Apud Sacras Literas & Patres usurpatur simplicitatis nomen paulò latius, significatq; proprietatem quandam qua excellit Christiana & prisca probitas, nullo simulationis artificio specieue fucata, sed syncera prorsus, & candida, fallere nec cupida, & nescia, iniuriæ, & uindictæ nec memor, nec penè dixerim, capax, sed ad omnem commiserationem & lenitatem prona, ad benemerendum & gratificandum ut propensa, sic apta.

De

De hac Apostolus ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo, & postea glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ in Euangelium Christi, & simplicitate communicationis in illos & in omnes, & in ipsorum obsecratione pro uobis, desiderantium uos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 2. Cor. 9.

In quæ verba S. Chrysostomus sic habet. Quis enim nõ obstupesceret, quis non admiraretur hominem moribus simplicem? vel quis non se iungeret ei, qui subdolus non est? Et quorum aliorum est salus? & quorum magna bona? Nonne pastoribus meritò Euangelium prædicatum est? nonne Ioseph simplex quidam homo erat, & ita, ut nec adulterij suspicione perterreretur, quo peccato perpetrando consentiret? Nonne agrestes fuci expertes elegit? Anima inquit benedicta omnis simplex. & iterum. Qui autem ambulat innocenter, ambulat cum fiducia. At dicet quis, Nonne & prudentia opus est? Quid enim aliud est simplicitas quàm prudentia? Quando enim nihil suspicaris malum, neq; moliri poteris malum, quando nihil fers molestè, neq; vindictam meditari poteris. Contumelia quis te affecit, non doluisti: calumniatus est, nihil inde affectus es, odio persequitur, & sic quoq; nihil affectus es. Via quædam est ad Philosophiam simplicitas. Et paulo post. Quid igitur si in malos inciderit vir talis? Deus qui præcepit esse simplices, porriget manum. Quid simplicius erat Dauide? Quid Saule malignius? Vter igitur superauit? Quid item de Ioseph dices? nonne simpliciter vsus est fratribus? nõne propter hoc probatus fuit, eo quod ipse quidem omnia absq; suspi- Homil. 7. in Acta Apostolorum.

cione loquebatur, illi autem malignè insidiabantur. Somnia semel ac iterum dixit, & non sibi cauebat, & iterum ad illos abijt, cibos allaturus, & non sibi cauebat, totum committens Deo. Verum hi erga ipsum tanquam hostem affecti sunt: ipse vicissim erga illos ut fratres, & poterat Deus non permittere illum incidere in illos, sed permisit, ut ostendatur miraculum: & quod licet illi quod poterant, declarabant, ille tamen vincat, & sic quamuis plagam accipiat, non à seipso, sed ab alio accipit, malignus autem seipsum quidem percutit primum, alium autem nullum, & sic sibimetipsi est hostis. Illius anima plena est mœrore perpetuo, cogitationibus semper complicitis siue audiendum, siue dicendum quid sit, omnia trahit ad crimen, omnia incusat. Hæc S. Chrysostomus. In eandem sententiam scribit S. Basilius. Simplex inquit, ut columba, qui ne simpliciter quidem de vlciscendo eo, qui sibi aduersarius sit, cogitat, potiusq; in instituto suo bene de illo merendi perseuerat, ex præcepto Apostoli sui dicentis: Vos autem nolite deficere benefacientes. Ex his intelligimus quæ sint occasiones exercendæ simplicitatis, de quibus quia complicatæ sunt cum actionibus charitatis patientiæ & mansuetudinis, nihil est quod plura dicamus.

Reg. bre. Inter. 245.

1. Thes. 3.

Indicia simplicitatis inter alia sunt, primum longè ab inuidiæ moribus ac cogitationibus abesse. Nam si credimus S. Basilio, simulatio, & morum ingenijq; duplicitas, fructus est inuidiæ; Quando inquit in cordis recessu odium retinentes, charitatis speciem ore præseferunt homines, non aliter quàm petræ & scopuli marini,

Ser. de Inuidia.

rini, qui modica operti aqua, magnum ac cæcum non obseruantibus referunt malum.

Alterum Indicium est horrere mendacium, & peccati ac culpę commissæ excusationem, & sanè ait S. Gregorius: Nihil est ad defendendum puritate, hoc est simplicitate tutius, nihil ad dicendum veritate facilius. Cõtra quam faciunt qui simplices non sunt, sed callidi ac vafri. Hi enim toti sunt ex fraudibus & mendacio compositi, ac in ipso penè facinore deprehensi ita se subitis ac commentitijs rationibus eripiunt, ac expediunt, ut dixeris vix comprehensas manibus anguillas statim è manibus esse dilapsas. Sed hoc ipsum similitudine adhuc elegãtiore ac magis apposita explicat S. Gregorius, in illa enim verba Isaiæ: Ibi habuit foueam Hericius, sic ait: Hericij nomine impurę mentis, seseq; callidè defendentis duplicitas designatur, quia uidelicet Hericius cum apprehenditur, & caput eius cernitur, & pedes videntur, & corpus omne conspicitur: sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in sphæram colligit, & pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, & intra tenentis manus totus simul amittitur, qui totus simul antè videbatur. Sic nimirum, sic impuræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur, caput enim Hericij cernitur, quia quo initio peccator ad culpam accesserit, videtur, pedes Hericij cõspiciuntur, quia quibus uestigijs nequitia sit perpetrata, cognoscitur, & tamen adductis repentè excusationibus, impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ uestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit. Et quasi sphæra

3. p. Past. Adm. 12. f. 34.

in manu tenentis remanet, quia is, qui concipit, cuncta quæ iam cognouerat, subito amittens, inuolutum intra conscientiam peccatorem tenet, & qui totum iam deprehendendo viderat, tergiuersatione prauæ defensionis illusus totum pariter ignorat. Foueam ergo habet Hericius in reprobis, quia malitiosæ mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis. Hæc S. Pater. Occasio igitur non contemnenda ostendendæ simplicitatis est, apertè simpliciterq; fateri commissam culpam, non se excusare, non in alium culpam transferre.

Actiones, Occasiones & Indicia Fortitudinis.
Caput XI.

PHilosophi antonomasticè fortitudinis nomen & laudem fortitudini bellicæ tribuerunt, quòd cum fortitudinis proprium sit animum hominis uoluntatemq; continere in bono, honestoue aduersus maxima mala, in eoq; corroborare ita, ut nec illa timeat, sed patiatur etiam, & si opus est, aggrediatur: maximè maximum malorum omnium, quæ corpori imminere possint, mortem; illa potissimum Virtus fortitudinis nomine donanda fuit, qua sese quis publici boni studio aperto mortis periculo obijcit, quod accidere in iusto bello com pro communi Reipublicæ bono suscipitur, & geritur, nemo dubitat. Hanc etiam veteres appellarunt Heroicam, propriam Heroum, quos uti fortitudinis gloria præstantissimos celebrauit antiquitas, & uerò etiam vt solebat

audacter

audacter venerata est tanquam Semideos, hominesq; de cælo delapsos. Quod vt similiter sentiant Scriptores Sacri, altius tamen aliquid de fortitudine prędicant. Ante omnia donum Dei esse ipsam propriè fortitudinem bellicam, quod Dauid præclarè cecinit toto Psalmo decimo septimo, cuius est initium. Diligam te Domini fortitudo meo. Dominus firmamentum meum. & posthea. Quoniam in te eripiar à tẽtatione, & in Deo meo transgrediar murum, quod alij sic vertunt. Quoniam in re militari cuneos perrumpo, & in Deo meo murum transilio. Item illud, Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam, sic, Deus est qui me instruit Virtute Heroica, & viam meam expeditam facit, quod idem est, quod armat me bellica fortitudine, ac vt intelligeremus, Deum non solum fortitudinis habitum in animo procreare, sed auxilio simul supernaturali iuuare milites suos in ipso conflictu, artemque & ardorem ad pugnam immittere, ait. Qui docet manus meas ad prælium. &, Posuisti ut arcum æreum brachia mea. Hoc est, Instruit manus meas ad pugnam, datque vt arcum calybeum brachijs meis confringam. Psal. 17. Vatablus.

Deinde Sacræ Literæ fortitudinem bellicam magna laude dignam existimant. Immò laudantur in libris Regum & Paralipomenon fortes Dauid, hoc est Heroes, quos habuit Dauid bellorum & victoriarum socios, eorumq; nomina & præclara facta commemorantur. Siquidem ut S. Ambrosius scribit in fortitudine bellica nõ mediocris honesti ac decori forma est, quod mortem seruituti præferat ac turpitudini, nec absre de ijsdem dicitur ab Apostolo: Fortes facti sunt in bello, castra 1. Reg. cap. 23. 1. Paralip. c. 11. 12. Lib. 1. offi cior. c. 41. Heb. 11.

ſtra verterunt exterorum. Sed Chriſtiana pietas longè ſuperiorem Philoſophica fortitudinem bellicam etiam ſtatuit, cum eam ad vnam Dei gloriam eiuſq; nomen amplificandum dirigit, quod in Scriptura dicitur prælia ri bella Domini, hoc eſt propter Dominum. Propterea Dauid cum dixiſſet: Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum, ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo. addit: Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea; hoc eſt intentio mea, uel ut alij aiunt: O vultus mei quærite Dominum. Quod idem ab fortiſſimo Iuda Machabæo ſuis militibus prædicatũ eſt, cum hortatur illos ante pugnam, ut ante oculos habeant contumeliã, quæ Loco Sancto ab hoſtibus iniuſtè eſſet illata. Id autem eſt fortitudinem Chriſtianã tanto antecellere Philoſophicam, quantum præſtat Dei cultus & honor ipſi honeſto, ac honeſti bono.

1. Reg. 18.
Pſal. 26.
2. Mach. 8

Maiorem item campũ fortitudini bellicæ dat Chriſtiana religio, quàm fortè Philoſophia; nec enim ſi rem ſuo pondere examinemus, fortitudo bellica in anguſtias vnius publici belli compellenda eſt. Eſt, aut eſſe poteſt vnicuiq; ſuum bellum, imminet Chriſtiano cuilibet ac pio viro ſuum ab fidei Chriſtianæ & virtutis hoſte periculum, in acie nobis ſtandum eſt, etſi gladio nõ petendus hoſtis, ſuſtinendus certè eius impetus, diſcrimen capitis ſubeundum, pro fide, proq; virtute, cum res poſtulat, uita ſanguiſq; fundendus. Ad beſtias pugnaui Epheſi ait Apoſtolus. Ter virgis cæſus ſũ, ſemel lapidatus ſum, à Iudæis quinquies vna minus quadragenas accepi, & de Romano Imperatore Chriſtianos perſequente loquens, liberatus ſum ait de ore Leonis.

1. Cor. 15.
2. Tim. 4.

Et

Et ego. stigmata Domini in corpore meo porto, id est vulnera quæ excepi in antedictis conflictibus pro Christo, ut meritò tandem concludat: bonum certamen certaui. & discipulum monet, ut certet bonum certamen fidei, sed quid moror? cum Christus ipse nostræ militiæ Imperator & antesignanus apertè pronũciet: Ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos, & Iudæis prædicit: & ex illis occidetis. An non hæc fortitudo bellica est, cum quis vitæ discrimen adit, cruciatus, cruces, probra quælibet sustinet, mortem oppetit Christi fidei ac religionis causa? Certè S. Ambrosius cum de bellica fortitudine disseruisset, statim addit: Quid autem de martyrum dicam passionibus? non minorem de superbo Rege Antiocho Machabæi pueri reuexerunt triumphum, quàm parentes proprij, si quidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit inuicta septẽ puerorum cohors regijs cincta legionibus, defecerunt supplicia, cesserunt tortores, non defecerunt martyres. Quid de matre loquar, quæ spectabat læta filiorum, quot funera tot trophea? Quid de S. Agne, quæ in duarũ maximarum rerum posita periculo, castitatis, & salutis, castitatem protexit, salutem cum immortalitate commutauit? Non prætereamus Sanctum Laurentium, qui cum videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Hæc illi. S. Thomas autem huius rei hanc rationem adfert: pertinet ait, ad fortitudinem, firmitatem animi præbere contra pericula mortis, non solum quæ imminent in bello communi, sed etiam quę imminent in particulari impugnatione, quæ communi nomine bellum dici

Gal. 6.
2. Tim. 4.
1. Tim. 6.
Luc. 10.
Matth. 23.
Lib. 1. off. cap. 41.
2. 2. q. 123. art. 5.

potest.

Ad primũ potest, & post. Martyres sustinent personales impugnationes propter summum bonum, quod est Deus. Et ideo eorum fortitudo præcipuè commendatur, nec est extra genus fortitudinis, quæ est circa bellica.

Sed adhuc latius patet fortitudo Christiana, munit enim & corroborat hominem aduersus quæcunq; alia vitæ discrimina. Nullum quippe eiusmodi est quod ob Virtutem Deique gloriam non possit incurri. Adfert Ibid. duo S. Thomas. Primum est, cum minimè discedimus ab officio aduersus peste laborantem amicum, cum manifesto aut probabili contagionis periculo. Alterum est, cum ut pium negotium prosequamur, inimus viam latrocinijs, aut nauigationem naufragijs infamem. Ad primũ genus pertinet ministrare peste correptis, quod antiquissimum est in Ecclesia pietatis exemplum simul & fortitudinis, sic enim legimus apud Eusebium Cæsa- Libr. 6. hist. Eccl. c. 16. & 17. rienſem ex Epistola S. Dionysij Episcopi Alexandrini, Valeriani Imperatoris tempore, cum Alexandriæ sæuissima pestis grassaretur, multi Sancti Presbyteri, Diaconi, & alij plurimi morbo laborantibus ministrantes, mortem opetiuere libentissimè. Virtutis ergo ait S. Dionysius, multum laudati, adeo ut hoc mortis genus quod propter incredibilem pietatem, & robustam fidẽ susciebatur, nihil à martyrij splendore abesse videretur. Cui muneri se nostris hisce temporibus voto addixit noua Clericorum religio Infirmis ministrantium. & vidi ego Mediolani anno Domini 1576. eidem mancipatos cum Sanctissimo Cardinale Carolo Borromæo Archiepiscopo plurimos clericorum & religiosorum ordinum homines, maximè verò Cappucinos, & Societatis

tatis Iesu. è quibus duos integerrimos viros ac iam maturos cælo, cælo dedimus, ut speramus P. Georgium Farinam Cunienſem, Subalpinum, & P. Franciſcum Centurionẽ, Genuenſem patricium, homines qui tradiderant animas ſuas pro nomine Domini noſtri Iesu Chriſti, ac ſe illi charitatis officio de Maiorum conſenſu ſpõte deuouerant, quod antè illos exemplum pietatis ediderat Lutetiæ P. Paſchaſius Broetus Gallus, vnus ex primis B. P. N. Ignatij ſocijs, ac ſimiliter peſte conſumptus, & præſtiterunt alibi alij, quos hic locus non eſt cõmemorandi. Ad eandem piam fortitudinem ſpectat leproſorum cura quibuſdam ſanctis viris ac fœminis admodum familiaris, quæ quam Deo grata extiterit, miraculis etiam prodigijſq; ipſe non ſemel teſtatum voluit.

Ad poſterioris generis exempla referuntur nauigationes piorum & religioſorum hominum, qui non aliã ob cauſam, quàm ob unam fidei Chriſti gloriam & animarum ſalutem ad Indos vtroſq;, Sinas, Iaponios uſq; tranſmittunt. Oceano nimirum vniuerſo, nauigatione longiſſima multorum menſium, ne dicam annorum, perpetua ſemper, nihilq; portuoſa, incertis magniſque periculis dubia, ſed certis penè nec niſi grauiſſimis famoſa, maximè ad Bonę Spei promontorium: mari non nunquam prædonum refertiſſimo, horumq; non niſi hęreticorũ, quales fuerunt illi, qui anno Domini 1570. & 1571. cum Luſitanicas naues inuaſiſſent, ac ſuperaſſent in noſtræ Societatis homines primo impetu facto, primum 39. deinde 12. partim in ipſa naui fœdè necarunt, partim per ſummam immanitatem membris amputatis aquis ſuffocarunt, non aliam ob cauſam, quàm

quòd vtipsi clamabant, Euangelicam Romanamq; fidē in Brasiliam importarent. Huius generis sunt nobiles illæ peregrinationes Catholicæ fidei causa susceptæ à multis pijs hominibus doctisq; sacerdotibus ad Infideles, & Turcas, ad Hęreticos, maximè ad Britannos, quorum in horreū Dñi reportatos manipulos litteris inde allatis non solū, sed pleroſq; ēt ex illis illustri martyrio coronatos, rē Christianā plurimū auxisse, intelligimus.

Sed nec hic finis est actionum fortitudinis. Sit antedicta fortitudo publica, ciuilis, politica, aduersus publica mala restat priuata & domestica, cuius est propria, multa magnaq; mala ferre fortiter, ac tolerare. Numerā tur hæc à quibusdam sic, ægritudo, luctus, exilium, egestas, carcer, orbitas, repulsa, infamia, dolores, ex patria, liberis, parentibus, vxoribus, propinquis, amicis, aliaq; similia, quæ omnia fortitudo non solum ut ferantur, præstat, sed etiam vt constanter superentur. S. Ambrosius id in S. Iob considerandum proponit. Quid horum inquit, S. Iob vel in Virtute defuit, vel in Vitio obrepsit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis, pertulit? Quomodo despexit salutis periculum. Nunquid rapinis diuitiæ coaceruatæ, de quibus tanta in opibus affluebāt? Nunquid auaritia, census, aut uoluptatis studia, cupiditatesq; excitauit? Nunquid trium regum iniurioſa contentio, uel seruorum contumelia in iram excussit? Nunquid gloria sicut leuem extulit, qui imprecabatur grauia sibi, si unquam uel non voluntariam celauisset culpam, uel reueritus esset multitudinem plebis, quo minus annunciaret eam in conspectu omnium? Quis igitur tam fortis, quàm S. Iob? Hæc ibi.

Lib. 1. off. cap. 39.

S. Au-

S. Augustinus aliquid amplius subijcit Christianæ fortitudini, non solũ vitę huius mala, sed bona etiam, nempè illecebras terrenæ felicitatis omnes, quæ ita robustæ sunt, ut si Christo credimus, suffocent vi sua Diuini Verbi ac gratię satus in anima: immò ipsũ interiorem hominem. Hoc est enim illud, à solicitudinibus, diuitijs & voluptatibus vitę euntes, suffocantur. Vnde ait: Si non te subuertit ventus interior; Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiceat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ inquam Virtutis est cum felicitate luctari. Magnæ infelicitatis est à felicitate vinci, Disce calcare seculum, loquitur uerò eo loco S. Augustinus de animi firmitate ac robore virtutis. Ser. 13. de Verbis Domini.

Occasiones Exercendæ fortitudinis externæ, notæ sunt & in prospectu: mala scilicet uel præsentia, vel imminentia. Pascebat ait Dauid seruus tuus patris sui gregem, & veniebat uel Leo, vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq; de ore eorum, & illi consurgebant aduersũ me, & apprehendebam mẽtum eorum, & suffocabam, interficiebamq; eos. Nam & Leonem, & Vrsum interfeci ego seruus tuus. Libr. 1. Reg. c. 17.

Similiter de militibus Iudæ Machabæi dicitur, viginti iuuenes ex his qui cum Machabæo erant accensis animis propter blasphemiam viriliter accesserunt ad murum, & feroci animo incedentes ascendebant, Deniq; inquit Salomon: Tempus belli & tempus pacis, & ante: Tempus occidendi, & tempus sanandi, tempus destruendi, & tempus ædificandi, & alibi. Fili conserua tempus, & deuita à malo; pro anima tua ne confundaris dicere uerum. Nec acci- Libr. 2. Machab. cap. 10. Eccl. 3. Eccl. 4.

pias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animã tuam mendacium. Ne reuerearis proximum tuum in casu suo. Nec retineas uerbum in tempore salutis.

Ceterum, occasiones internæ attendẽdæ magis sunt viro, qui sese studet fortiter gerere, aut exercere. Reducuntur autem ad duo capita, alias enim subministrat timor, alias fiducia, siue audacia, siquidem in utriusq; recta moderatione versatur animi fortitudo vniuersa. Sunt qui nihil sibi timendum statuant, & hi temerarij sunt, præcipites, proiecti, stulti, ac si non his malis obnoxij, thrasones certè, militesq; glorioſi, & in quos illud rectè dicitur: Maiors ventosa in lingua pedibusq; fugacibus istis semper erit. Alij sibi pauenda omnia putant, laruas etiã & vmbras, ipsasmet cogitationes & phantasiæ suæ simulachra, similes pueris qui ad leuia quælibet horrescunt, ad ficta etiam terriculamenta Forti viro cognoscenda mala, ponderanda etiam, & si fieri potest quando necessaria non semper sunt, declinanda, at cũ iam uel adsunt, uel impendent, excusso timore fortiter ferenda, & animosè si res exigit, adeunda sunt, honesti causa, multò maximè propter bonum publicum, Deiq; gloriam. Habet autem non exiguam vtilitatem monitum illud Cassiani, quo iubet, vt interdum fingamus animo, itaq; nos comparemus, ac si periculis ipsis iam præsentes essemus, versaremurque in discrimine, ut ea meditatione quasi præludio exercitati, instruamus nosipsos ad omnem tolerantiam perpessionemq; malorũ. Quare timor mali si animum aduertamus, prænuncius est hominem excuscitans ad fortitudinis actum obeundum, magisq; turbarum aut campanarum sonitus. Nec

Virgilius libr. 11. Aeneid.

Collat. 19. cap. 16.

alia

alia ratione comprimitur aut fugatur metus, quàm si adhibita in consilium ratione, mentis robur illico concitetur, constantiaq; confirmetur animus aduersus periculum, quod prospicimus. Quoties igitur timoris mẽtem pupugerit, toties accendi nos Diuinitus existimemus ad fortitudinem amplectendam, dicamusq; cum Dauide: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, & cur timebo in die mala? vinci malis præsertim extremis, solet interdum timor, sed hęc uictoria non tam fortis animi est, quàm desperati, qualis fortassis inerat Sabinis illis mulieribus, de quibus Liuius scripsit victo malis muliebri pauore ausas in tela se volitantia inferre. Fortis ac magni animi sine dubio factum Iudith, quę quanquã expauit initio, Diuinitus tamen cõfirmata, ausa tantum facinus est, quantum ne cogitassent fortissimi quiq; exercitatissimiq; belli Duces. Prudentię & fortitudinis aduersus timorem fuit & illud, quod gestum à Iacob memorant Sacrę Literę. Qui cũ ualdè timeret occursum Esau fratris sui, non concidit tamen animo, sed diuisit populum qui secum erat, greges quoque in duas turmas, dicens, si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma quę reliqua est, saluabitur.

Pſal. 26. Pſal. 48.

Iudith. 13.

Gen. 32.

Audacię propior est fortitudo, à timore longius abest Iccirco facilius audax fortis euadit, quàm meticulosus, quanquam audaces licet initio acres sint, & feruidi, immò pertinaces, & prępcipites, cum tamen res ex sententia non succedit, paulatim deficiunt, ipsisq; meticulosis timidiores etiam sunt; audacibus iccirco medemur duplici ratione: prior est, qua curatur mentis obsti

natio,

natio, ac in propria voluntate obdurario, exemplo præ
3. p. Past. Adm. 19. sertim Domini. De quo S. Gregorius sic. Solerter hi aspiciant, quia filius hominis cui vna cum Patre semper voluntas est, ut exemplum nobis frangendæ nostræ vo
Io. 6. luntatis præbeat, dicit: Non ueni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris. Qui vt adhuc virtutis huius gratiam commendaret, seruaturū se hoc in extremo iudicio perhibet, cum ait: Ego à me ipso non possum facere quicquam, sed sicut audio, iudi
Io. 5. co. Qua itaq; conscientia dedignatur homo, alienæ voluntati acquiescere, quando Dei & hominis filius cum virtutus gloriam venit ostendere, testatur se non à semetipso iudicare? Verùm non aboletur propriæ voluntatis morbus, nisi per recta consilia remedium adferatur mente, quæ voluntati facem præfert, tollaturq; propriū consilium, quod quia tanquam chariſſimam filiam osculatur audax, præcipitat; quæ posterior ratio est sanandi audaces. Sic habet de his hominibus idem S.
3. p. Past. Adm. 16. Gregorius: Præcipites sæpè in malis corruunt, dum bona minimè discernunt. Qui nequaquam quid, quando, vel quomodo quæq; agunt, inspiciunt, sed plerunque acta quia ita non debuerunt agere, cognoscunt. Quibus sub auditoris specie rectè per Salomonem dicitur:
Eccl. 33. Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnite
Prou. 4. bis. Et rursum: Palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. Palpebræ quidem gressus præcedunt, cum operationē nostram recta consilia præueniunt. Hæc S. Gregorius. Occasionem igitur exercendæ fortitudinis non exiguā præbet audacia, si cōsilijs opportunis teneatur ac refrœnetur, maximè uerò vt obstetur initijs in inchoāda re,

qua

qua de agitur, siquidem, quanquam periculum ab audacia imminet forti uiro etiam in progressu, plerunque tamen cum sese produnt impedimenta ac difficultates graues, quod accidit in progressu, deferuescit audacia, & timor exoritur, ut non tam contra audaciam tunc, quàm contra timorem pugnandum sit, sic Aman audacter iubet parari excelsam crucem ad suffigendum in ea Mardochæum, sed cum intuetur, se interim ministrũ constitui à Rege eius honoris, gloriæq; præconem publicum, domum suam lugens reuersus præq; metu ac pudore caput opertus, consilium quærit à consiliarijs, & uel inuitus audit: Nõ poteris ei resistere, sed cades in conspectu eius. Et qui tam audacter insana consilia secutus Roboam populo dura responderat, post serò sapiens, sibiq; suæq; saluti non nisi turpi fuga consuluit. Deniq; qui cor suum obdurat, ait Sapiẽs, corruet in malum. Initium porro capiendi boni consilij est pietatis in Deum studium, eiusq; gloriæ intentio recta, siquidem scribitur à Salomone: Qui inquirunt Dominum animaduertunt omnia.

Esther. 6.

Libr. 3. Reg. c. 12.

Prou. 28.

Ibid.

Primum fortitudinis Indicium est mortificatio passionum omnium, intelligetur id ex ijs quæ scribit S. Gregorius. Alia iustorum, alia est fortitudo reproborũ. Iustorum quippe fortitudo est carnem vincere, propijs voluntatibus contraire, delectationem uitæ præsentis extinguere, huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, ad uersitatis metum in corde superare. Reproborum verò fortitudo est, transitoria sine cessatione diligere, contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore

Libr. 7. Mor. c. 9.

rerum

rerum temporalium nec aduersitate quiescere, ad inanem gloriam, etiam cum vitæ detrimento peruenire, malitiæ augmenta exquirere, bonorum uitam non solum verbis ac moribus, sed etiam gladijs impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare. & post: Quam bene vtranq; fortitudinem Isaias complexus est? Qui confidunt in Domino mutabunt fortitudinem. Qui enim nequaquam sument, sed mutabunt, dixit, profectò patenter innotuit, aliam esse quæ proponitur, & aliam, quæ inchoatur. An non etiam reprobi fortes sunt, qui ad præsentis vitæ concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audenter obijciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus sui libidine nulla vi cti contrarietate resiliunt, permissionibus durescunt, & mala mundi tolerant pro mundo, eiusq; vt ita dixerim, gaudia quærentes, perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur? Vnde bene ex humani generis uoce per Iere miam dicitur: Inebriauit absinthio. Post: At contra vir iustus ad mundi pericula pro mundo toleranda esse debilis, studet, finem suum conspicit, uita præsens quàm sit transitoria attendit, & pro ea exterius labores perpeti renuit, cuius extrinsecus delectationem vicit. Hæc S. Pater.

Is. 40.

Thren. 3.

Alterum Christianę fortitudinis Indicium est coniunctio cum Deo per charitatis amorem. Sic S. Augustinus: Ille verissimè atque certissimè inuictus homo est, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud, quàm ipsum hęrere Deo bonum est. Hic vir quandiu est in hac vita, utitur amico

Lib. de vera Relig. cap. 47.

ad

ad rependendam gratiam, vtitur inimico ad patientiã, vtitur quibus potest ad beneficentiam, vtitur omnibus ad beneuolentiam. Et quanquam temporalia non diligat, ipse rectè vtitur temporalibus, & pro eorum sorte hominibus consulit, si æqualiter non potest omnibus. quare si aliquẽ familiarium suorum promptius, quàm quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eũ habet maiorem fiduciam, & apertiorem temporis ianuam. Tractat enim tempori deditos tantò melius, quãto minus ipse obligatus est tempori. Cum itaq; omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi coniunctioribus prodesse malit, iniustus est. Non ergo iste afligitur morte cuiusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, nouit, nec sibi perire quod Deo non perit. Nec cuiusquam miseria miser est, quia nec cuiusquã iustitia iustus est. Et si aliquando forte huius periculo vel errore, vel dolore commouetur vsq; ad illius auxilium, aut correctionem, aut consolationem, non usque ad suam subuersionem ualere patitur. In omnibus autẽ laboribus futuræ quietis certa expectatione non frangitur, & post. Huic viro in tribulationibus parum est, non contristari, nisi etiam gaudeat, sciens quod tribulatio patientiam operatur. Hæc ibi. Porrò huius fortitudinis adeo magnæ ac prorsus inuictæ non alia radix est atque origo, quam Dei gratia & auxilium quo verè fortis vnicè nititur. Hoc alibi explicat idem Pater. Multos ait, impedit à firmitate præsumptio firmitatis, nemo erit à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum. In Psalmo pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, infirmata est, tu uerò perfeciſti eã. Agnouit se esse

Serm. 13. De Verbis Domini. Psal. 67.

infirmam, vt firma esset nō in te, firmaretur, si non infirmaretur, ut abste in te perficeretur. Vide infirmitatis huius portiunculam. Paulum vide infirmatum qui dixit: Non sum idoneus uocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Quare ergo Apostolus es? Gratia Dei sum id, quod sum. De Petro etiam cum iussus ambulat super aquas addit, præsumpsit de Domino, potuit de Domino. Psalmus loquitur: Si dicebam motus est pes meus. Quare motus? nisi quia meus. Et quid sequitur? misericordia tua Domine adiuuabit me, non virtus mea, sed misericordia tua, vbi est illud: Quis inuocauit, & desertus est ab eo? Vbi & illud: Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit? hæc S. Augustinus. Sed videantur hæc remotiora & communia Indicia fortitudinis.

1. Cor. 15
Matth. 14.
Psal. 39.
Eccl. 2.
Ioel. 2.
Rom. 10.

Tertium Indicium est, Inexpectata & repentina mala constanter ferre. Id ex Philosophia accipiunt, & probant Theologi omnes tanquam proprium spectatę ac solidæ fortitudinis signum, neq; enim in ijs, quæ repentè accidunt locus est consilio, aut deliberationi, nec datur spatium colligendi ac confirmandi animum in improuisis & inopinatis euentibus, in ijs igitur non consternari animo, non dimoueri loco, sed sese fortiter gerere, siue inchoando, siue prosequendo quod inchoaueras, argumentum est animi habitu fortitudinis planè conformati. Fortis uiri est ait S. Ambrosius, non dissimulare, cum aliquid immineat, sed prætendere, & tanquā de specula quadam mentis obuiare cognitione prouida rebus futuris, ne forte dicat postea, ideo in ista incidi, quia non arbitrabar posse euenire, sed id præstat fortis

Libr. 1. off. cap. 38.

tis cum suppetit tempus. Hoc si desit, ut in subitis casibus, non nisi habitu fortitudinis aut peculiari aliqua Dei ope quæ habitum æquet, iuuari potest ad fortiter agendum. Habitus igitur par est in repentinis motibus meditationi & præparationi animi, qua utitur vir fortis cum ex consilio & maturè agit, quales fuerunt pleræq; Sansonis actiones, & aliquæ etiam Iudæ Machabæi.

Quartum Indicium fortis uir nihil dolo agit, nihil fraude, virtutem qua præditus est, præfert palam, sine arrogantia tamen & leuitate, eaq; nititur vna quare tã sæpè Græci illi qui Troiam expugnarunt apud poetam criminis insimulantur, mentia eorum furta traducuntur, ac tenebræ, quarum fiducia ad ea patranda prodibant: nullusq; finis est exagitandi & exprobrandi alui decantati illius equi, quo se condiderant ad vrbis excidium dolosè instruendum, certè Dauid quàm fortitudinẽ à Deo acceperit, ac secutus sit, quàmq; labis omnis ac fraudis purus fuerit, indicat, cum ait: Deus qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam viam meam. Psal. 17.

Sed indicauit facto sæpissimè, præsertim aduersus Saulem, quem cum probè sciret capitis ac gloriæ suæ inimicissimum, essetque in eius potestate eum clam interficiendi, per summum animi candorem ac Heroicã fortitudinem à facinore semper abstinuit, adeo, ut etiam cum semel abscidisset oram clamydis Saulis ad faciendam fidem occasionis, quam habuerat, cum de medio tollendi, propter hoc ipsum pupugerit, ut Scriptura dicit, cor suum, sermonibusq; confregerit viros suos, ne consurgerent in Saul. Et hoc ipsum simulq; cogitationem quæ inciderat in animum occasionis tam oppor- 1. Reg. 24.

tunæ non prætermittendæ eidem Sauli paulo post simpliciter aperuit. Quod quanquam ita est, non iccirco tamen vir fortis prudentiam repudiat, quin asciscit potius, eamque sequitur tanquam ueræ fortitudinis normam nec enim candorem odit prudẽtia, sed informat, & regit, ideo enim illi copulatur à Domino, & Salomone auctore, Sapiens timet, & declinat à malo, & qui patiens est, hoc est fortis, multa gubernatur prudentia.

Prou. 14.

Quintum Indicium Christianę fortitudinis est martirij pro Christo cupiditas, cum enim martyrium actus sit fortitudinis, habitus autem ad Actum stimulet eam facultatem animi, quę sedes eius est, quis dubitet fortitudinis perfectę habitum non concitare voluntatem hominis quam occupat, ad principem nobilissimumque eius actum, quod est martyrium?

De propria Patientiæ Actione, eiusq; Exercitatione. Cap. XII.

PAtientię Actio ualde propria est moderari mœrores, qui extrinsecus adferuntur animo à rebus aduersis. Sic habet S. Thomas. Qui non propterea negat patientiá uersari in cohibenda tristitia illa, quę sponte nonnunquam excitatur in animo ex naturę ad eam propensione, ut melancolicis accidit, siquidem & ipse id alibi significat, & rationi consentaneum est, cum enim tristitia illa ex vitiata in Adamo natura propagata, recti honestiq; fines facilè transiliat, euadatq; immodica; ratione virtutemq; coercentẽ exigit, ut ne excrescat in uitiũ.

1.2.q.136. art.2.ad 1.

Igitur

Igitur propriè patientia aduersus mœrorem omnem pugnat, animumq; firmat, ac munit, non solùm ad minuẽdum, sed ad planè profligandum mœrorem. Omnis amaritudo tollatur à vobis ait Apostolus, de patientia loquens, vt exponit S. Gregorius, & Hebræis scribens aduersus mœrorem disciplinæ Domini monet cogitandum, seriòq; attendendum, ne quis desit gratiæ Dei, & ne qua radix amaritudinis sursum germinãs impediat, ne qua radix ait, ad radicem igitur securim mittendam, & vitium radicitus conullendum suadet. Et hoc quidẽ facile persuadetur, non ita facilè quod persuasum est, re ipsa præstatur. Ephes. 4. 3. p. Past. Adm. 10. Heb 12.

Duabus autem rationibus potissimùm vinci mœrorem S. Chrysostomus est auctor. Pijs cogitationibus & oratione. Sic habet. Conuenit & cum his una immò ante has orationibus, perpetuisq; precationibus has tenebras dispergere, & dissipare. Nam & Beatus Dauid magnus ille uir, atq; mirabilis his medicamentis semper vsus est, hisq; plurimos dolores pressurarum remouit, ac repulit. Nunc quidem orans ac dicens, tribulationes cordis mei dissipatæ sunt, de necessitatibus meis erue me: nunc pijs ac religiosis cogitationibus admotis, inquiens, Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Rursumq; ex cogitationibus huiusmodi ad orationes conuersus: Remitte mihi ut refrigerer, priusq; abeam, & vltra iam non ero. Atq; ab orationibus ad cogitationes. Quid enim ait, mihi est in cælo, & à te quid uolui super terram? Ita & Iob vxori quæ uerba diabolica suggerebat, pijs cogitationibus reluctabatur, illamq; increpans dicebat: In fine lib. 3. de prouid. Psal. 24. Psal. 42. Psal. 38. Psal. 72. Iob. 2.

dicebat: Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala autem quare non ſuſtinebimus? Ad Deum verò precibus vtebatur. Beatus verò Paulus utriſq; his armis eo, s qui in preſſuris ac tentationibus erant, iuuabat, nunc quidē
Heb. 12. dicēs: Si autem extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri, nō filij. Quis enim filius, quem non corripit pater? Nunc-
1. Cor. 10. que orans. Fidelis inquit Deus eſt, qui non patietur vos
2. Theſ. 1. tentari ſupra id, quod poteſtis. Et rurſum: Siquidem iuſtum apud Deum eſt, retribuere retributionem his, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem. Si igitur his armis ipſe quoq; uſus fueris, ac teipſum perfectè undiq; armaueris cogitationibus pijs, mœroris retundes impetum, orationibus verò tam tuis quàm aliorum te veluti uallo fortiſſimo muniens celeriter diſciplinæ iſtius percipies fructus. Hæc S. Chryſoſtomus.

Cum igitur ſeſe obijciunt mœrendi occaſiones, mœroreſq; ipſi uel concitantur, uel ſeſe intrudunt in animum, tunc perſuaſum nobis ſit, adeſſe ſimul occaſiones exercendæ patientiæ, ac contra mœrores ſtrenuè repugnandi. Et quidem de oratione aduerſus mœrorē Deo facienda ſat ſint quæ S. Chryſoſtomus tradit, de cogitationibus aduerſus illum ſuſcipiendis paulo plura à nobis hic dicenda ſunt.

Cogitationes porrò aduerſus mœrorem aliquæ ſunt ueluti generales & communia quaſi remedia aduerſus omnes quas timemus aut accipimus, calamitates: aliæ propriè pugnant contra ſingulas cuiuſq; generis molestias & incommoda, quæ nobis adferuntur. Primi generis ſunt hæ ex S. Chryſoſtomo.

1 Primò. Certum eſt ait, Chriſtianum ſi quando triſtetur,

tur, duas tantum habere mœroris causas, vel cum ipse, vel cum proximus offendit Deum. In fine lib. 3. de prouid. 2.

Secundò. Eos qui superna non terrena sapiunt, non solum ira & concupiscentia, cæterisq; perturbationibus, sed mœrore, etiam abstinere conuenit. Hic enim longe pluribus quam perturbationes illæ, nos incommodis afficit, prorsusq; necesse est, aduersus illum nos fortissimè insurgere, nisi omninò perire uelimus. 2 Lib. 2. de prou. paulo post principio.

Tertiò. Non est ita difficile mœrorem sicut alias perturbationes depellere. Et cuius hoc inquit, difficultatis amantissimè? Nam si concupiscentia esset aliqua, si corporum turpis, atq; insanus amor, si inanis gloriæ pestis, vitium profectò superatu difficillimum, aut aliquid perturbationum huiusmodi, meritò hæreres, & esses de huiusmodi liberatione solicitus. Eos enim qui his capti sunt, non quidem est impossibile, difficillimum tamen ea retia diffugere. Cur id? quia voluptas his cooperatur, atq; illa adiuuat. Ea uerò est, quæ semel captis funes plurimos innectit. Istudq; primum difficultatis est plenissimum, persuadere animo sic irretito, ut planè ac penitus uelit, ac cupiat, hisce nodis liberare, fitq; simillimũ, ueluti si quis scabiem & pruriginem depositurus morbo suo delectetur, ac passione huiusmodi expositus ea liberari quærat. Ceterum ad fugandum mœrorem id parũ non confert, si interim ingratè illum admittamus, nam qui re aliqua grauatur, citò illam abse excutere, & abijcere studebit. 3 Versus finem lib. 3. de prou.

Quartò pessimũ Dæmonis instrumẽtũ męror, & ipso ẽt peior dæmone. Solius ait, dæmonis nõ est cõsiliũ sibi uitã extorquẽdi, sed ẽt mœroris, immò uerò plus męroris 4 Initio 2. libr. de prouid.

ris quàm dæmonis, fortaſſe uerò mœroris ſolius. Quod ex eo profectò conſtat, quod plurimi etiam ab dæmonis infeſtatione liberi, dolore ſolo ac mœrore agitati mortem ſibi ultrò conſciuerunt. Huncigitur ex animo tuo fuga ac penitus elimina, videbis nullam vim reſtare dæmoni, non ſolum ad perſuadendum iſta, uerùm ne ad ſuggerendum quidem; & poſt, non dæmon eſt, qui mœrorem mouet, ſed mœror potius uires Dæmoni adminiſtrat, cogitationesq; malas ſuſcitat. Atteſtatur huic rationi noſtræ beatiſſimus Paulus, qui cum
2. Cor. 2. de lapſis in ſceleris ruinam Corinthijs ſcriberet, non dæmonem aliquem metuere, ſed mœroris magnitudinem timere deprehenditur, ne forte inquiens, abundátiore triſtitia abſorbeatur, qui talis eſt. Ceterum ut cócedamus, dæmonem acrius inſtare, pulſo ex animo mœrore, quid iam erit ex hoc incommodi, vel detrimenti? Quid hic per ſeipſum aut paruum, aut magnum poſſit contra nos? at verò mœror abſente dæmone multa per ſe horrenda efficit, plurimoſq; eorum, qui ſibi vel nexuerunt laqueos, uel conſciuerunt gladios, uel flammis donauerunt, uel alio quouis genere perdidere ſeipſos, ſola doloris ac mœroris vi adita occumbendum impulſos reperiemus. Quod ſi inter eos quiſpiam fortaſſis fuerit arreptus à dæmone, huius quoque perditio non dæmoni, ſed mœroris tyrannidi ac violentiæ merito imputanda erit.

3 Initio lib. 3. deprou. Quintò. Cogitandum cæleſtis regni gaudium. Dic oro, inquit, ſi quis te ad regnum terreſtre & imperium vocaret, atq; antè ingreſſum eius ciuitatis in qua coronandus eſſes, in ſtabulum diuertere neceſſe eſſet, vbi

luti

luti ac fimi plurimum, viatorumq; tumultus esset, & latronũ perturbatio, summaq; pressura & angustia, num ad illa tristia cogitatione conuertereris, an illa omnia, quasi nihil essent, gaudio & spe regni contemneres? Per quàm igitur ineptum & indignum est, terrenis mortalibusq; rebus potiturum, nihil his, quæ interim inciderint contrahi, æterni autem regni spe elatum, & erectũ, atq; ad cælos accersitum, per singula quæ in diuersorio contingunt, tristitia decidere, atq; perturbari, profecto enim hoc diuersorio ac stabulo nihil præsentis vitæ status melior est, idq; cum sancti patres nostri nobis indicare cuperent, hospites ac peregrinos seipsos appellabant, his uerbis nos erudientes & læta seculi præsentis & tristia pari mentis altitudine contemnere, atq; à terra longissimè remotos toto animo cęlestia ambire, atq; ad ea totam transferre cogitationem. His dictis affert exempla sanctorum, nullumq; hactenus extitisse demõstrat, qui varijs, nullisq; afflictationibus animi corporisq; vexatus non fuerit, quas calamitates singillatim percensęt, & sua illa aurea dicendi vbertate latè persequitur toto Secundo libro & Tertio de Prouidentia incipiens ab Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyse, Iosue, Samuele, usq; ad Dauid & Prophetas omnes ueteris testamenti, quorum exemplorum certum est illustriora non inueniri ulla, ex his, quæ illis seculis edita sunt. Commemorat alibi & explicat ut par est, ad mirabilem Iob patientiã animiq; tranquillatem in medijs fluctibus ac tẽpestatibus rerum omnium suarum, proprij etiam capitis. Præsertim in primam Epistolam ad Corinthios. Nec omittit nc ui testamenti exempla Hom. 28.

maximè uerò Apostoli Pauli & quorundam aliorum sui temporis hominum perfectorum.

6 Sextò Deus in memoria semper habendus. Si inquit idem alibi, videmus mente semper Deum, si semper in recordationem eius conuertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia leuiter sustentabimus, omnibus superiores efficiemur. Si enim quisquam dilectum videt, magis autem recordatus illius, erigit animam suam, & mente sublimis efficitur, ut omnia facilè toleret, delicians ex memoria illius, qui in mente habuerit eum, qui nos diligere verè dignatus est, & recordatus fuerit eius; quando poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid, aut periculosum timere? quando pusillanimitate afficiatur? nũquam scilicet, omnia quippe nobis difficilia uidentur, quia Dei memoriam non habemus, sicut oportet habere, iustè quippe nobis dixerit, oblitus es mei, obliuiscar & ego tui, & duplex efficitur malum, & quia nos eius obliuiscimur, & ille nostri. Hæc enim duo mala sunt, alterutris quidem complicata duo tamen sunt. Magnum quidem operatur memoria Dei, magnum autem etiã, cum & nos eius habemus memoriam, hoc quippe facit eligere bona, illud autem impetrare, & ad effectum perducere. Propterea dixit Propheta, recordabor tui de terra Iordanis & Hermonij à monte paruo. Hæc populus in Babylonia constitutus. Et nos igitur (dicamus) tanquam in Babylonia constituti.

Hom. 26. in Ep. ad Heb.

Psal. 41.

7 Septimò. Mœrorem ait idem Deus inseruit naturæ mortalium, non ut ab re & intempestiuè illo in rebus contrarijs utamur, nèque vt nos ipsos perimamus, verùm

Lib. 3. de prou. Versus finem.

verùm ut ex eo maxima emolumenta consequamur. Quoniam uerò modo illa consequemur, si illum intempestiuè assumamus? porrò mœroris tempus non tunc est, cum aliquid aduersi patimur, sed cum male operamur. At uerò nos ordinem peruertimus, temporaq; immutamus, qui cum innumera mala perpetremus, ne breuiter quidem dolore contrahimur, sin verò quippiã à quoquam patiamur mali, protinus concidimus, hæremus, titubamus, liberariq; & cedere ex uita festinamus. Addit postea esse simile medicamento, quod si in tempore adhibeatur, curat ægrotum, si intempestiuè, necat. Nam cum inquit austerum corrodensque medicamentum mœror, atq; vitiorum quæ in nobis sunt quasi purgatio, si admoueatur otioso ac delicato animo, ingentiq; peccatorum pondere oppresso, maxima suscipiente, curisq; presso, ac plurima perpesso, præterquam quod nihil prodesset, maximè nocet, imbecilliorem illum faciens, atq; ad desperandum facilem. Quocirca stantibus & acriter pugnantibus Paulus cum scriberet, dicebat: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Porrò dissolutis ingentemq; habentibus tumorẽ. Et uos inquit inflati estis, & non magis fleuistis? Itaq; is quidem qui peccatorum sagina impinguatur, extenuetur, atq; siccetur hoc medicamento. Qui verò bonæ habitudinis est, atque in decenti statu seipsum seruat Dei gratia, per mœrorem bonam suam valetudinem non corrumpat, adeo est enim ille acer & efficax, ut etiam ope sua indigentibus si plus quàm necesse est immœretur, maximorum malorum causa sit. Quod & Beatus Paulus metuens citò illum, postquam fecerat, quod iussum

Phil. 4.

1. Cor. 5.

2. Cor. 2. sum erat, auferri iussit, causamq; protinus adiecit eam, ne forte inquit, absorbeatur abundantiore tristitia. Hęc de comunibus remedijs quæ parari debent à nobis aduersus męrorem ex cogitationibus item communibus. De alijs autem cogitationibus quæ suscipiendæ sunt aduersus singula malorum genera, quę mœrorem efficiũt in animo, innumera sunt, quæ dici possunt, non solum quia nullus est malorum numerus ac finis, quandiu in hac valle lachrymarum uiuimus, sed etiam quia multis millibus contra multa millia vt est in Euangelio decertandum est, & singulis malorum causis excidendis singulæ quasi curationum falces adhibendæ. Egregiè in hoc argumento versatus sæpè est Seneca, in primis in libro de remedijs fortuitorum ex eo pauca de libro totidemq; eius verbis hic adscribo, pauculis de nostris additis. Morieris, ista hominis natura est, non pœna (intelli ge tu saltem non pœna culpæ voluntate mea commissę.) Morieris, hac conditione intraui, vt exirem. In hęc uerba iuraui, stultum est timere quod uitare non possis.

Luc. 14.

Sed de collaberis. Quid interest vtrum cęsim moriar an punctim.

Peregrè morieris. Vndecunq; ad inferos vna via est. (dic tu ad futuram vitam.) Nulla terra est aliena mortuo. Non est grauior foris quàm domi somnus. Sed iuuenis morieris, optimum est, antequam optes, mori. Hoc unum est, quod ęquè ad iuuenem, quàm ad senem pertinet, non refert quę sit hominis ętas, sed quę sit me

Sap. 4. ta, fortasse alicui malo me subducit fortuna. (& hoc illud est Salomonis, raptus est, ne malitia mutaret intellectum.)

Inse-

Insepultus morieris, facilis iactura sepulchri, cęlo tegitur, qui non habet vrnam. (noster Laynez in naufragij periculo mortem nihil expauisse deprehensus causam rogatus dixit. Quid interest vermiũ ne, an piscium escam fieri?) Ægroto. Venit tempus, cum experimentũ mei capio. Non in mari tantum, aut in prælio vir fortis apparet, exhibetur etiam in lectulo virtus. Ægroto, nõ potest istud toto seculo fieri. Aut ego febrem relinquam, aut ipsa me.

Malè de te loquuntur homines, sed Mali, mouerer si de me boni ista loquerentur. Nunc malis displicere laudabile est.

Exulabis. Erras, cum omnia fecerim, patriam meam transire non possum. In quancunque terram venio, in meam uenio. Patria est, ubicunq; bene est.

Dolor imminet. Si exiguus est, feramus: leuis est patientia, si grauis est, feramus: non leuis est gloria. (dic tu meritum apud Deum.)

Paupertas mihi grauis est. Immò tu paupertati. Non in paupertate vitium est, sed in paupere. Illa expedita est, hilaris, tuta. Pauper sum. Nihil deest auibus, pecora in diem viuũt feris ad alimẽta solitudo sua sufficit. (hoc etiam est Euangelicum.) Accepit ille grandem pecuniã. Luc. 12. absque dubio superbiam accepit. (hoc similiter est ijs consonum quæ de diuitibus scribit Apostolus.) 1. Tim. 6

Non sum potens, Gaude, impotens non eris, iniuriã accipere potero. Gaude, facere non poteris. Multi illum diuitem comitantur. Mel muscæ sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ: Prędam sequitur ista turba, nõ hominem. Pecuniam perdidi, fortasse te illa perdidisset.

set. pecuniam perdidi, sed habuisti, pecuniam perdidi. Sed habebis inde periculi minus. O ter felicem si cum illa auaritiam perdidisti, sed si manet illa apud te, es tamen utrunq; felicior, quod tãto malo materia subducta est, perdidi pecuniam, & illa quàm multos? Eris num in uia expeditior, domi tutior. Non habebis, sed non timebis hæredem.

Oculos perdidi. Habet & nox suas uoluptates. Quàm multis cupiditatibus via incisa est? quàm multis rebus carebis, quas ne uideres, uel emendi erant? Non intelligis partem innocentiæ esse cæcitatem. Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum quam concupiscat, huic mala omnia certè irritamenta sunt vitiorum, ducesq; scelerum.

Amisi liberos, stultus es, qui defleas mortes mortalium. Quid istud aut nouum, aut mirum est? Quàm rara est sine isto casu domus? Et hic tuus fructus est, periere liberi perituri. At liberi mei. Habebant illi cuius essent magis quàm tui, apud te precario morabãtur. (& hoc etiam scripturis sacris est ualde consentaneum, in quibus liberari à parentibus tanquam donum Dei possidentur.)

Naufragium feci, cogita non quid perdideris, sed quod euaseris. Nudus exij, sed existis, omnia perdidi, sed perire potuisti una cum omnibus. In latrones incidi, sed alius in accusatores, alius in fures, alius in fraudatores, plena est insidijs via, noli conqueri quod incideris, gaude, quòd euaseris.

Inimicos graues habeo. Quomodo aduersus feras munimenta conquiris, quomodo aduersus serpentes,

sic

sic aduersus inimicos, quibus illos aut arceas, aut compescas, aut quod optimum est places.

Amicum perdidi, iam enim te habuisse certum est, alium quære, & ibi ubi inuenire possis, quære inter liberales artes, inter honesta & recta officia, quære in laboribus, ad mensam ista res non quæritur.

Amisi vxorem bonam, mors effecit, ut affirmare sine periculo possis, bonam amisi. Inuenies, si nihil quæris nisi bonam.

Deniq; habet hanc clausulam. Mors, exilium, luctus, dolor, non sunt supplicia, sed tributa viuendi.

P. Emanuel Sà Braccarēsis vir magnæ virtutis & doctrinæ in nostra Societate, quique anno Iubilæi 1600. sanctissimè obijt Aronæ, in ditione Mediolanensi, ad orā Verbani lacus, in cōcionibus quas vtilissimas totos quadraginta annos habuit in præcipuis plerisque urbibus Italię, in Iob prælectiones inchoaturus, solitus erat præfari ex illis Apostoli uerbis. Patientia uobis necessaria est. Heb. 10. Audiui ego eū Mediolani anno ni fallor 1578. illam sententiam explicantem, noua sane ratione, quāquam non omninò ex oratoria arte. Fuit oratio eius vnius horæ, Enumeratio perpetua malorum omnium incidentium in humanam vitam, membratim interpolata applicatione patientiæ, quasi appositissimi remedij per importunam repetitionem nominis patientiæ ad singula recensita mala, tanto cum fructu animorum, ut auditor planè persuasus & affectus erga patientiam discederet, ac cogitabundus, taciturnus, prorsusq; compunctus domum reuerteretur. Exempli causa pauca cō memoro, & Paradigma concionis ob oculos pono. Infeli-

feliciter aiebat, nauigasti, patientia, merces perdisti & lucra, patientia, nec succesſit alia terreſtris negotiatio, patientia. Domum reuerſus ægrotaſti, patientia, ex animi ſententia nec medicamenta, nec medicus, patientia. Diu valetudinarius retentus es domi, patiẽtia, motiunculis adhuc tentaris, nec ex morbo recrearis, ut uelles, patientia. Bona tibi tua repetenda lite, atq; iudicio, patientia, multam tibi moleſtiam moramq; adferunt patroni & litigatores, patientia, tibi graue eſt appellari clientem, patientia, exhauſta domus eſt ſumptibus & iacturis, patientia, te mordet cruciatq; paupertas, patientia, iniuria te pungit, patientia, viam tibi munitam cernis ad miſerias, ad famem, obſeptam ad bona, patiẽtia. Tibi obſequendum hominibus contra genium, indulgendum liberis pluſquam uelles, citra culpam tamen, patientia, iniuſta tibi ferenda onera, patientia, operis negotijs ac moleſtijs implicaris, patientia, barbaries, tibi toleranda Dominorum, ciuium, aliorumque multorum, patientia, parum fraternè ac honorificè tractaris à tuis, patientia. Conſiſtere domi tuæ non potes, patientia, exturbaris bonis patrijs, patria, prouincia, patientia. Spectris uexaris, patientia Fodicant te conſcientiæ ſtimuli, patientia, exagitaris ſuſpicionibus, laceraris animo cogitationibus futurorum euentuum, patientia, times ne abripiaris in improuiſas calamitates, patiẽtia. Quę alijs bona, tibi mala uidentur, patientia, pateris motus auerſos à ratione, inimicos tranqullitati uitę, patientia, te inuaſit mœror, te conficit, nec ulla tibi conſolatio dolorem leuat, patientia. Inſignem accepiſti contumeliam, patientia, nec eam à te propulſant qui poſ-

ſunt,

sunt, & fortè debent, patientia, fallunt maximè, qui viros bonos se profitentur, patientia, impediris ne te erigas inopia tua & inscientia, aliorum autem inconstantia, inuidia, insania, patientia. Non te corrigis, non tua emendas vitia, ut par esset, & forsitan cupis, patientia, non progrederis virtutis iter, ut debes, patientia, dummodo non indormias tempori, Deum non colis, nec amas, ut te oportere, ac decere intelligis, patientia, nec plura, nam ex his reliqua. Illud hinc efficitur maximum ac præsentissimum aduersus quæcunq; vel maxima mala remedium esse continuam nunquamq; intermissam animo memoriam ac cogitationem illius Apostolici dicti, Patientia uobis necessaria est.

Ceterum hæc eadem Apostoli sententia propriè auctore S. Chrysostomo dicitur, proponiturq; viris bonis, & quibus nihil antiquius quàm peccata auersari, virtutem sequi, Deoq; charitate coniungi, nec Emanuelis nostri alius sensus erat, tumq; patientiæ cultus magnũ adfert afflictis solatium, quantacunq; in calamitate versentur, sic autem scribit S. Doctor. Patientia uobis necessaria est, ut uoluntatem Dei facientes reportetis repromissionem. Vnum opus habetis tantum, ut perseueretis & expectetis futura, non ut iterum certetis, ad ipsam iam coronam proximi facti estis, certamina cuncta sustinuistis, uincula, tribulationes, substantiæ vestræ direptæ sunt, quid ergo? nisi quia de cetero ad hoc statis, ut coronemini: hoc solum tolerate, aduentum coronæ. O quanta magnitudo exhortationis, & consolationis, ueluti si quis ad athletam hoc diceret, qui cunctos superasset, ac deijceret, & nullum reliquum haberet, qui sibi

Hom. 20. in Ep. ad Hebræos.

concertaret, & deinde futurum, non nisi ut coronarerur, & dilationem ferre non posset, dum arbiter certaminis adueniret, qui coronam daret: ille autem impatienter ferens uellet exire, & fugere, non tolerans sitim, & flammam æstuationis. Hoc igitur & ipse significauit dicens. Adhuc enim & modicum tempus, & qui venturus est, ueniet & non tardabit. Hæc S. Chrysostomus.

Actio & Exercitatio Mansuetudinis.
Caput XIII.

DE Temperantia, Continentia & Castitate nihil hic addimus ad ea, quæ de disciplina perfectionis libris secundo & quarto tradita sunt. De mansuetudine & humilitate quæ à S. Thoma ad Temperantiam reuocantur, pauca subijcimus.

2.2.q.158. ar. 4. Actio Mãsuetudinis est iram moderari Huius actionis vim & potestatem explicat S. Thomas sic: Ira quam mitigat mansuetudo, propter suum impetum maximè impedit animum hominis, ne liberè iudicet ueritatem, & propter hoc mansuetudo maximè facit hominem compotem sui, ac propterea dicitur: Fili in mãsuetudine serua animam tuã. Eccl. 10. Sed & alia ratione id assequitur mansuetudo, ut sit homo cõpos sui, efficit enim ne iracundia inflammatus aduersus ueritatem pugnet; quã ob causam S. Augustinus scribit: Opus est mitescere pietate (quasiq; declarans quid sit mitescere, subiungit) neque contradicere Diuinæ Scripturæ, siue intellectæ, si

Lib. 2. de Doctrina Christiana. cap. 7.

aliqua

aliqua uitia nostra percutit, siue non intellectæ, quasi nos melius sapere, meliusq; percipere possimus: sed cogitare potius, & credere id esse melius, & verius, quod ibi scriptum est, etiam si lateat, quàm id quod per nosmetipsos sapere possumus.

Porrò hęc irę moderatio quæ mansuetudinis est propria, non ita accipitur, ut nullo modo irasci unquam liceat, ira enim aliqua vtilis est interdum, & necessaria, ut scribunt Patres. explicat nobilis Theologus sic: Munus passionis iræ non ministrat voluntati & rationi rectæ in actu consilij, iudicij, præcepti, aut electionis, quoniam quodlibet horum præcedere naturaliter debet irę motum, & iræ turbatio in actibus non confert. Sed ministrat iræ motus actui executioni eius, quod electum, præceptum, iudicatum, consultumq; est, eo quod iuuat ipsam executionem ut pote à natura ad hoc ministeriũ ordinatus, melius enim est, quod secundum naturæ ordinem fit. Et hinc fit, ut hi qui non sunt executiui vindictæ, sed solummodo consiliarij, iudices, seu censores, non egeant ira, & de istis verificatur Stoica sententia, quod debent esse sicut leges, quæ nulla passione commouentur, sed illi qui sunt executiui, vindictæ verbo, ita ut ipsa reprehensio sit castigatio, aut facto, egẽt motu iræ subministrante uoluntati uindictam. Alioquin voluntas remissa est. Hæc ille. 2.2.q.158. in art. 1. Caietan.

Nec desunt in Scripturis Sãctorum exempla. Refero vnum S. Paulum, de quo S. Chrysostomus sic: Si uerò ut Lucas refert, Paulus Ioannem dimisit, quoniam aliqua inter ipsos facta est contentio, noli hoc delictum putare, non enim commoueri malum est, sed irrationa- Homil. 6. de laudib. Paull. Act. 13.

biliter, nulloq; iusto flagitante negotio commoueri.
Iacob. 1. Iracundia inquit, iniusta non iustificabitur, non ergo
Matth. 5. culpatur simplex iracundia, sed iniusta. & rursus: Qui
iratus fuerit fratri suo sine causa, non ergo simpliciter
Psal. 4. iratus. Et Propheta dicit: Irascimini, & nolite peccare.
Quod si omninò huiusmodi vti non oportet affectu,
etiam cum tempus expoſuit, frustra nobis videtur in-
genitus; sed profectò non frustra, quem certè prouidus
nobis Creator inseruit, vt dormientes animas atq; reso-
lutas ab inertia desidiam suscitaret. Quasi enim gladio
aciem, ita menti nostræ iræ acumen impoſuit, ut eo cũ
oportet, utamur. Propterea igitur & Paulus hoc sæpè
est usus affectu, & modestè loquentibus erat melior ira
tus, cum tempore omnia faciens opportuno, pro lucro
& commodo prædicandi. Neq; enim simpliciter leni-
tas semper est bona, sed cum illam tempus eflagitat,
quando uerò id non adest, etiam ista uitiosa est, fitque
inconstantia.

Maximè autem Paulus affectum iræ adhibuit in re-
prensionibus grauium peccatorum, eorum præsertim
quæ in commune aliorum damnum redundabant Lo-
cus est S. Chrysostomi id explicantis etiam Christi Do-
mini exemplo, in principio in Epistolam ad Galatas Cõ
mentariorum eius, quem hic adscribo, quod res hæc
planius ac elegantius quàm Chrysostomi oratione de-
clarari minimè possit. Proœmium ait, est, multa uehemẽ
tia, magnoq; spiritu plenum, nec Proœmium modò, ue-
rum etiam tota ut ita dicam Epistola. Etenim tum placi
dè leniterq; loqui discipulis, cum opus est acrimonia,
non Doctoris, sed corruptoris potius fuerit, & hostis.

Hanc

Hanc ob causam & Dominus cum multa placidè man
suetèq; locutus sit discipulis, nonnunquam tamen &
austeriorem adhibuit orationem, nunc quidem illos
beatos prædicans, & collaudans, nunc rursus increpans
& obiurgans. Itaque cum Petro dixisset: Beatus es Si- Matth. 16.
mon Bar Iona, promisisset q; futurum, ut illius funda-
menta super illius professionem iaceret, haud multò
post dicit eidem: Vade post me Satana, scandalum es Ibid.
mihi. & alibi rursus: Adhuc & uos sine intellectu estis? Matth. 15.
Tantumq; terroris illi iniecit, ut Ioannes dicat, quod vi Io. 4.
dentes eum cum muliere Samaritana colloquentem,
de cibo quidem commouerit; Ceterùm, nemo fuerit
ausus dicere, quid quæris, aut quid loqueris cum ista?
Hęc edoctus Paulus, ac præceptoris sui uestigia ingre-
diens, uariè sermonem ad discipulorum utilitatem at-
temperat: nunc quidem urens ac secans, nunc rursum
minora admouens remedia. Et Corinthijs quidem dice 1. Cor. 4.
bat: Quid, vultis in uirga veniam ad uos? an in charitate
& spiritu lenitatis? Porrò Galatis ita loquitur. O stulti Gal. 3.
Galatę, nec uerò semel duntaxat, sed bis vsus est hac ob
iurgatione. Quin & sub finem Epistolę taxans illos di-
cit: Ne quis mihi faceſſat negotium. Ceterùm his acer- Gal. 6.
bitatem denuò mitigat, cum ait: Filioli mei, quos iterũ Gal. 4.
parturio; alijsq; multis consimilibus uerbis. Ceterum,
hanc Epistolam esse plenam uehementię, cuiuis perspi
cuum est, uel ex ipso statim lectionis ingressu, & post.
Quod igitur erat peccatum, quo sic commotus erat?
profectò magnum erat, quodq; illos omnes abalienabat à Christo, quemadmodum ipse in progressu, sermo
nis declarat dicens: Ecce ego Paulus dico uobis, quod si Gal. 5.

circum-

circumcidamini, Christus nihil uobis profuturus est. Ac rursum: Quicunq; in lege iustificamini, à gratia excidistis. Et post. Proinde cum cernerem totam Galatarum gentem inflammatam, ac periculosum incendium aduersus eorũ Ecclesiã exortũ esse, iamq; domũ labefactã periclitari, ne corrueret, partim ira iusta commotus, partim immenso animi dolore correptus, (nam & hoc declarauit dicens, cupiebam nunc esse apud vos, & mutare vocem meam) scribit Epistolam ad vniuersos. Hæc ibi. Facti porrò irę documenta in Scripturis sunt Moysi pleręq; res gestæ, Phinees, Iosue, Dauidis, Eliæ, Elisæi, Matthatiæ, ac Diui Petri contra Ananiam & Saphiram, aliorumq; multorum, ex quibus intelligitur, administrationis rectæ iracundiam, zelumque extitisse etiam in sanctis perfectisq; hominibus.

Gal. 4.

Vniuersè autem loquendo: Vir ac præsertim præses Euangelicus, humanè mansuetèq; agere cum hominibus debet, potius quàm austerè ac feruidè, nisi boni publici & salutis aliorum ratio ut dicebamus, secus fieri quàm ferè fieri oportet, præscripserit. Si quidem discite à me Dominus ait, quia mitis sum. & S. Petrus non quasi dominantes in cleris. & S. Augustinus, nulla superbia consulunt his, quos filios vocant. Id uerò maximè in corrigendis hominibus contra acriores reprehensiones, aliaq; ad eorum inueteratos morbos depellendos adhibita uehementiora remedia, obduratis. Quos enim ait S. Gregorius cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenia blandimenta compescunt. Quia & plerunq; ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens

Matth. 11.
1. Pet. 5.
Lib. 1. de moribus Eccl. c. 31.
3. p. Past. Adm. 14.

pens aqua reuocauit, & nonnulla vulnera quę curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur, & durus adamas incisionem fieri minimè recepit, sed leni hircorũ sanguine mollescit.

Ad excolendam autem virtutem mansuetudinis nullæ opportuniores, aut magis idoneæ occasiones reperiuntur, quàm iniuriæ. Hę enim dant occasionem mansueto, ut mansuetior euadat, & iracundo, ut abiecta ira, mansuetudinem induat, quæ exercitatio planè Euangelica est, à Christo Domino primùm de cælo deducta, verboq; & exemplo Christianis omnibus apprimè commendata, & in hac suadenda cum partem hanc Christianæ Philosophiæ tractant, toti sunt Patres. Accipiam ex S. Chrysostomo quædam simulque ex scripturis.

Primùm igitur exercetur mansuetudo, cum infertur iniuria, silentio & taciturnitate, siquidem turbatus sum, & non sum locutus. Sæpè numero ait S. Chrysostomus vinci quàm uincere præstantius est, optimus profectò victoriæ modus. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat, qui suffert, & non cominus aggreditur, ille pulcherrimus victor est. Cur rapinam & inuidiam dico, cum etiam qui ad martyrium traditur, cæsus, laceratus, iugulatusq; hoc pacto deniq; superat. Et quidem in bellis ostensio prælij est, si miles occiderit. Hæc apud nos clarissima est victoria, nullibi certè male agentes, & ubiq; mala sufferentes superamus. Illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti. Cumq; oppressam exteriori victoriæ naturam habeat, quod maximę virtutis argumentum est, à Deo es-

Psal. 76. Hom. 85. in 25. cap. Math.

se

se demonstratur, sic scopuli fluctibus cæsi facile ipsos dissoluunt: sic sancti omnes præclaro prœconio coronati prœclara trophœa statuerunt, hanc victoriam laboris expertem consecuti. Non enim luctari te, aut laborare oportet. Deus eas tibi uires concessit, ut non confertione manuum, sed patientia vincas. Non exeas igitur in prœlium, & uicisti: non collucteris, & coronatus es. multò tu prœstantior, & fortior aduersario es. Tu teipsum dedecoras, noli committere, ut ille possit dicere, ui à te in prœlio superatum fuisse: sed fac ut inexpugnabilem hanc uirtutem admireretur, & stupeat, prœdicetque abs te sine prœlio se victum fuisse. Adfert deinde exemplũ Ioseph qui contumelia affectus tacet, & Christi Domini, qui idem dedit in passione sua documentum.

Gen. 39. Matth. 27.

Non sufficit tamen ad mansuetudinem solum silentium, nisi etiam adsit magnus animus, quo exurgens ira comprimatur, extinguaturq;, siquidem animi uirtus est mansuetudo & Dominus indicat, cum ait: Mitis sum & humilis corde, non solum humilis, videlicet, sed etiam mitis corde, & hic est in hac palæstra victoriæ cumulus non exiguus, non solum quia animo suo dominatur mansuetus, sed etiam quia patientia sua & mansuetudine placat iratum & contumeliosum aduersarium. In ira inquit S. Chrysostomus, quia valde contumeliatus alium est, superasse videtur, cum re uera ipse maximè à turpi hac perturbatione victus non parum sibiipsi nocuerit. Qui autem magno animo tulit iniuriam, hic profecto, & quidem cum laude superauit. Ille nanque nec suam quidem ægritudinem compressit, hic etiam alienam extinxit, & ille suo morbo superatus est, hic etiam

Matth. 11.

Ibid.

alienum

alienum curauit: nec solum ipse inflãmatus non est, uerùm etiam ingentem alterius flammã extinxit. Quod si apparentem hanc & non veram victoriam consequi uoluisset, & ipse victus iacuisset, & aduersarium magis incendisset, sic turpiter & miserabiliter quemadmodũ mulierculæ ab ira exagitatę ambo iacent. Nunc verò & huius dedecoris expers est, qui philosophatur, & pręclarum tam sibi, quàm proximo de iracundia trophæum constituit.

Tertiò ad usum mansuetudinis firmiter tenendum ac continuandum facit maximè illa cogitatio, quod nõ tam iniuria nos afficit contumelioſus quàm beneficio. Quanto plura ait idem alibi, illata tibi aduersario incommoda dixeris, tantò re ipsa benefactorem ipsum ostendes, qui causam tibi præbuit, ut tuorum possis peccatorum sordes detergere. Ita quo maiores in te iniurias ille iaculatus est, eo maioris indulgentiæ tibi causa constitutus est. Nam si voluerimus nemo nobis vnquam iniuriari poterit, sed cum inimici sint, præcipua tamen nobis inferunt lucra. Cur de hominibus tantum loquor, cum Diabolus quoq; ipse quo nihil perniciosius, non paruas nobis approbationis causas adferat? Quam rem Iob ille manifestã omnibus fecit. Si ergo Diabolus occasionem coronę præbuit, cur alios inimicos formidas? Perspice igitur quot & quanta lucreris, si æquo animo oppressiones inimicorum tuleris. Primò quod maximũ est, peccatorum remissionem. Deinde patientiam atq; perseuerantiam laudabilem. Tertiò mansuetudinem, & humanitatem. Nam qui nescit aduersus inimicos irasci, multò magis amicis erit commodior. Quartò quia pro-

Hom. 61. in cap. 18. Matth.

Iob. 1. & 2.

Fructus tolerantię iniuriarum.

1

2

3

4

cul ab ira tranquillo ſemper animo uiues. Cui rei quid unquam conferri poterit? Qui enim ira non capitur is iucunditatem animi conſecutus eſt.

Quartò ſed nec hic ſiſtit manſuetudo perfectę, quin æmula charitatis cuius & filia eſt, inimicos & iniuriam inferentes homines amore beneficijſq; proſequitur, et ſi aliter nō poteſt, ſaltem commiſeratione, oratione, & lachrymis. Præterea ait idem: Tecum crebrò uerte, quia Chriſtis ad crucem iturus ipſe quidem gaudebat, de crucifigentibus autem lachrymabatur. Quē ita imitari debemus, ut quo magis perſeuerant perſecutores noſtri, eò largiores lachrymas pro ipſis effundamus. Innumera enim hinc bona nobis, illis aūt non pauca incommoda comparamus. Sed coram inquies omnibus & verbis, & verberibus mę duriter uexauit. Coram igitur omnibus dedecore & infamia ſe notauit, & multorum aduerſus ſeipſum aperuit ora, tibiq; maiores ſubtexuit coronas, & multos præcones patientię, ac magnanimitatis tuæ conſtituit. Sed clam inquies, apud alios mihi detraxit. Et quid hoc eſt? huius enim rei rationem Deus, non illi qui detrahentē audierunt petiturus eſt. Accedit, quod pœnas ſibi multiplicauit, non de delictis ſuis ſolum, ſed etiam de ijs, quæ de te oblocutus eſt, redditurus. Præterea, apud homines tibi detraxit, & apud Deum ſibi detractum eſt. Quod ſi hæc tibi ſatis non ſunt, quia Deo apud homines quos maximè diligebat, Diabolus detraxit, & Vnigenito filio ſimiliter. Nam ſi patremfamilias inquit Beelzebub vocauerūt, quid facient familiaribus eius? Nec obtrectauit ſolum iniquiſſimus ille Dęmon, verùm etiam fides ſibi adhibita eſt, nec minima, ſed ma

Ibid.

Matth. 10.

xima

xima ei crimina intulit, seductorẽ & aduersarium Deo appellans. Sed magnis oppressus sum ærumnis ab eo ais, qui beneficio meo conspicuus est. Ideo maximè tibi gaudendum est, quia Deo, qui tam ad probos quàm improbos solem oriri facit, similis factus es. Quod si arduũ, ac ultra uires tuas imitatio Dei tibi uidetur, quàmuis studioso difficile non sit, tamen quoniam te tuo iudicio excedit, age ad seruorum eius uenias imitationẽ. Imitare Ioseph, qui ad seruitutem usq; fratrum iniuria traditus, beneficio suo spontè ipsos sublcuauit. Imitare Moysen, qui uel post mille iniurias pro populo deprecabatur. Imitare Beatum Paulũ, qui quamuis mille à Iudeis afflictionibus quotidie premeretur, anathema tamẽ esse pro salute ipsorum uolebat. Imitare Stephanum, quidum peteretur lapidibus, ut hoc peccatum lapidantibus remitteretur, orabat. Hæc omnia cogitantes omne iræ incendium restinguamus. Hæc ille. Matth. 26. Io. 9. Gen. 42. & 43. Deut. 9. Rom. 9. Act. 7.

De Actionibus Humilitatis earumque vsu continuo. Cap. XIV.

BOni illius quod arduum appellant Philosophi, duę sũt rationes; una est, qua bonum illud voluntatem hominis sua bonitate ad se allicit, trahitq; altera qua eandem uoluntatem sua difficultate quasi à se auertit. Iccirco inquit S. Thomas, circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus; una quidem, quæ temperet, & refrœnet animum, ne immoderatè tendat in excelsa, & hoc pertinet ad virtutem humilitatis; alia uerò quæ firmet 2.2.q.161. art.1.

animum contra desperationem, & impellat ad prosecutionem magnorum, secundum rationem rectam, quæ magnanimitas est. Igitur de sententia S. Doctoris actio humilitatis est, refrœnare animum, ne immoderatè appetat res magnas, & quæ sint supra vires suas, quod assecutum se Dauid ait, cum scribit: Neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus super me. & cui consentanea est Salomonis sententia. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Alij uertunt: Quæ vires tuas superant, hoc est, ad quæ capienda minus idoneus es. Ait S. Augustinus, qui explicas antedicta Psalmi uerba: Neq; ambulaui in magnis, non fui inquit, superbus, nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus, nec quæsiui aliquid supra vires meas, unde me apud imperitos iactarem, magna res commendatur. Quomodo Simon ille Magus in mirabilibus ingredi uolebat super se, propterea plus illum delectauit potentia Apostolorum, quàm iustitia Christianorum, & post sunt homines quos delectat miraculum facere, & ab eis qui profecerunt in ecclesia miraculum exigunt, & ipsi qui quasi profeciſſe sibi videntur, talia uolunt facere, & putant se ad Deũ non pertinere si non fecerint. (His respondet.) Non es iustus, quia non facis miracula? possis & auri dicere, non es in corpore, quia non vides. Fac inquis & tu, sicut & Petrus fecit. Sed Petrus & mihi fecit, quia in eo corpore sum, in quo Petrus fecit, in illo quod potest possum, à quo diuisus non sum. Quod minus possum, compatitur mihi, & quod plus potest, congaudeo illi; si ergo fratres, vnusquisq; quod potest, iustè egerit, & in eo quod alius plus potest non inuiderit, sed congratu-

Psal. 130.

Eccl. 3.

In Ps. 130.

Act. 8.

latus

latus fuerit, tanquam in uno corpore cum eo constitutus, pertinet ad eum uox ista Psalmi, Domine non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei, neq; in gressus sum in magnis, neq; in mirabilibus super me. Quod enim excessit uires meas, non quęsiui, nec ibi me extendi, nolui ibi magnificari. Hæc S. Augustinus. S. Gregorius verò, quod adtinet ad gratiam miraculorũ, quiddam addit, quod etiam ad illustrandam humilitatis vim facit, quamuis ad actionem eius, quam nunc inquirimus proximè non spectet, cum .n. narrasset quem admodũ Libertinus monachus admota Honorati magistri sui caligula homini vita functo, eum reuocauerit aduitam, ad eum modum quo Helisæus Iordanis fluuij superiecto pallio Heliæ ad Heliæ appellationem portitor fuit, addit, perpendis Petre, quantum in exhibẽdis virtutibus humilitas ualet? Tunc exhibere magistri meritum virtutem potuit, quando magistri nomen ad memoriam reduxit. Quia enim ad humilitatem sub magistro redijt, quod magister fecerat, & ipse fecit. Li. 1. dial. cap. 2. 4. Reg. 2.

Ergo humilitas refugit ea quæ supra vires sunt subijcit præterea hominem Deo, & propter Deũ hominibus, à Deo quippe se habere quicquid habet boni uir humilis intelligit, & sine Deo nihil omnino posse, & nihil esse, magisq; ab eius omnipotente bonitate pendere, quàm à corpore umbram, à sole lucem, ab anima sensum & vitam; nec subijcit solum, sed subijcit magno cum affectu reuerentiæ erga tantum Patrem, vult enim humilis (est autem in voluntate humilitas) se esse quòd est nempe nihil esse se, & esse quod est, quicquid est boni à solo Deo, omnis boni ac pulchri fonte: sicq; affectus

ctus summa cum animi erga Deum reuerentia & submissione se totum illi tanquam rem prorsus ipsius submittit ex animo. Ob eandemq; causam etiam hominibus, quatenus dona Dei in hominibus recognoscit, quibus ipse ut se reputat inferiorem, sic inferior esse vult. utrumq; habent Sacræ Litteræ. Primum quidem de subiectione ad Deum, Humiliamini sub potenti manu Dei. Secundū verò de subiectione pp Deū hominibus; Subiecti estote omni humanæ creaturę propter Deum.

1. Pet. 5.
1. Pet. 2.

Tertiò humilitas ex se quantum potest refugit mundi & hominum laudes, studetq; magna agere quidem, sed coram Deo, ob eiusq; unius gloriam. S. Gregorius in illa verba: Isai patris Dauid, adhuc reliquus est, qui pascit oues, sic ait. Quid est reliquus nisi abiectus? abiectū dico à se, nō à Deo: quia à Deo per superbiam quis abijcitur, à se abiectus est, qui vilis & humilis æstimatur, uel reliquus dicitur, qui in aliorum comparatione esse aliquid non videtur. Abiectus ergo humilis dicitur, quia contemni se uidet, & tolerat, ostēdi nequaquam curat, sed oues pascit, quia cogitationes simplices in contemplatione æternæ hæreditatis nutrit, & post. Meritò paruulus iste dicitur oues pascere, quia electus quisq; humilis est, & sterilis non est, quia quotidiè magna agit, sed de se magna non sentit. Meritò ergo non solum paruulus sed pastor asseritur, quia qui uerè humiles sunt, foris se deijciunt, sed per internā societatē in summis & æternis pascuis immorātur. Nā scriptū est: Deus superbis resistit, humilibus aūt dat gratiā? Quę autem gratia? nisi ut summa videāt, & cognoscāt, cognoscāt, & diligāt, atq; ad ipsa dilecta quasi fortes & pingues currant? Hęc ibi.

Lib. 6. in 1. Reg. c. 3. circa med.

1. Pet. 5.

Quartò

Quartò humilitas ita animum hominis componit, & formar, vt qui ea præditus est, non solum hominum laudes auersetur, sed optet etiam uehementer, se ab hominibus uilem haberi, ad idq; industriam ac neruos intendat ingenij. Verus humilis ait S. Bernardus, uilis vult reputari, non humilis prædicari, gaudet contemptu sui, hoc solo sanè superbus, quod laudes contemnit. At inquis quid faciet humilis vir cum laudatur? primũ si potest, ne laudetur, efficit, si nõ potest inuitus laudationes tolerat, sic habet S. Gregorius. Redemptor noster miraculum faciens & tacere iussit, & tamen taceri nõ potuit, ut videlicet & electi eius, exempla illius sequẽtes, in magnis quę faciunt, latere quidem in uoluntate habeant, sed ut prosint alijs prodãtur inuiti: quatenus & magnæ humilitatis sit, quod sua opera taceri appetunt, & magnæ utilitatis sit, quod sua opera taceri non possunt. Non ergo voluit Dominus, quicquam fieri, & minimè potuit, sed quid uelle eius membra debeant, quidue de eis etiam nolentibus fiat, doctrinæ eius magisterio exemplum dedit. Hæc S. Gregorius.

Serm. 16. in Cant.

Li. 1. dial. cap. 9.

Progressus porro humilitatis ut à Deo est, sic ab eo discitur, & discite ait à me. videtur tamẽ ita posse breuiter comprehendi. Primò cognoscit se homo, verèq; intelligit, quis sit corã Deo & Angelis eius, nimirum quãtis, quã multis peccatis obrutus, quibus miserijs ac malis obnoxius, quàm indignus sit minima etiam dei gratia & miseratione, quàm deniq; animo corporeq; toto planè uilis ac despicatu dignus. Deinde quod se esse intelligit, sibi etiam planè persuadet, nec errore ullo se falli, cum se sibimet obijcit, qualẽ se Diuino hoc lumine illustra-

Matth. 11.

illustratus esse videt, fateturq; libens sibi se fœdissimũ, miserrimum, vilissimum homũcionem esse. Tertiò loco amore ueritatis hoc est Dei inflammatus ex animo cupit haberi ab alijs, qualem seipse cognoscit, ac reputat, idq; prudenter quærit, & agit prout se dat occasio, quæ sine dubio perfectæ humilitatis est Actio. Hunc progressum egregiè describit S. Bernardus in hæc uerba. Est humilitas, quam nobis ueritas parit, & nõ habet calorem: & est humilitas, quã charitas format, & inflammat. Atq; hæc quidem in affectu, illa in cognitione cõsistit. Etenim tu si temetipsum intus ad lumen veritatis, & sine dissimulatione inspicias, & sine palpatione dijudices, non dubito, quin humilieris & tu in oculis tuis, factus uilior tibi ex hac vera cognitione tui, quamuis nec dum fortasse patiaris id esse, in oculis aliorum. Eris igitur humilis, sed de opere interim ueritatis, & minimè adhuc de amoris infusione. Nam si ueritatis ipsius quæ te tibi ueraciter atq; salubriter demonstrauit, sicut splẽdore illuminatus ita affectus amore fuisses; uoluisses procul dubio, quod in te est, eandem de te omnes tenere sententiam, qua ipsam apud te veritatem habere cognoscis. Sane quod in te est, dixerim, quoniam plerunq; non expedit, innotescere omnibus omnia, quæ nos scimus de nobis, atq; ipsa ueritatis charitate & charitatis ueritate vetamur palam fieri velle, quod noceat agnoscenti. Alioquin si priuato amore tui tentus detines pariter intra te iudicium ueritatis inclusum, cui dubium est, minus te ueritatem diligere, cui proprium prę fers, uel commodum, uel honorem? Idem S. Pater cum docuisset, priorem humilitatem necessitatis esse, posteriorem

Serm. 42. in Cant.

riorem volũtatis, addidisset q;, Christũ Dominũ vtpote summũ perfectissimumq; nullo dedecore dignũ fuisse, ideoq; nulla necessitate veritatis, sed sola volũtate charitatis exinaniuisse semetipsum, ac vsq; ad mortem & ignominiã crucis abiecisse, subijcit, tu si iam apud temetipsum humiliatus es necessaria illa humilitate quã scrutans corda & renes ueritas sensibus ingerit animæ vigilantis, adhibe voluntatem, & fac de necessitate uirtutẽ, quoniam nulla est virtus sine conniuentia voluntatis. Sic autem fiet istud, si nolis alter apparere foris, quàm te iuuenis intus. alioquin time, ne de te ipso legas; Quoniam dolosè egit in conspectu eius, ut inueniatur iniquitas eius ad odium. Pondus inquit, & pondus abominatio est apud Deũ. Quid .n. tu te depreciaris in secreto apud teipsum veritatis trutina ponderatus, & foris alterius pretij mentiens maioris te ponderis vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti? Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, ut quem humiliat ueritas, extollat uoluntas: hoc est .n. resistere ueritati, hoc pugnare contra Deum. Verùm est hoc loco breuiter explicãda quęstio illa, quæ nonnunquam viros ẽt valde bonos angit, quatenus homini Christianã perfectionẽ sectanti laborandum sit pro conseruanda, aut non amittenda fama. Et primũ quidẽ vniuersè oĩbus conuenit, ac necesse est, nõ solũ ex virtute viuere, sed etiam cũ aliorum ædificatione, ut sic luceat lux nostra corã hominibus, & quę pacis sunt & ędificationis inuicem custodiamus. S. Bernardus cũ dixisset virtutem esse florẽ campi relatũ in Canticis, bonam verò famã lilium conualliũ, erit quidem inquit, Virtus contenta candore conscientiæ, ubi sequi nõ poterit

Psal. 35.

Prou. 20.

Serm. 71. in cant.

terit odor famæ. Ceterum odor famæ nec excusare poterit vitiũ conscientiæ decoloris. Prouidebit tñ semper (quod in se est) homo virtutis bona nõ tantũ corã Deo, sed etiam corã hominibus, ut uerè sit lilium. Hoc ille.

Quod multò maximè curandũ est ijs, qui negotium publicũ gerunt; aut quibus aliqua animas regendi ac iuuãdi cogitatio cõmissa est. S. Augustinus, nil amplius ait mãdragorico pomo filij Lię figurari intelligo quàm bonã famã, non eam quæ confertur, cum laudant hominẽ pauci iusti atq; sapientes, sed illam populare, qua ẽt maior & clarior notitia cõparatur: nõ ipsa per se expetẽda, sed intẽtioni bonorum, qua generi humano consulũt, per necessaria. Vnde dicit Apostolus, oportet etiam testimonium habere bonũ ac eius, qui foris sunt, qui licet parũ sapiant, reddunt tñ plerunq; labori eorũ per quos sibi consulitur, & splendorẽ laudis, & odorẽ bonę opinionis. S. Chrysostomus addit ad hæc antistiti nõ solũ defendendã famam cũ contaminatur mendacijs, & affictis criminibus, sed longe ante prouidendũ, ne quid cũ tẽpore accidat, quo bona de eo opinio, existimatione lædatur, ẽt si imprudentes alioquin sint & plebeij homines, qui de eo obloquitur. Si .n. inquit. Beatus ille Paulus veritus est ne fortè apud discipulos suspectus esset, quo nomine & alios in pecuniarũ administrationẽ secũ assũpsit, vt ne quis inquit, nos carpat in hac exuperãtia quæ à nobis administratur, quomodo non oĩa à nobis agenda sunt, ut malas à nobis suspiciones amoueamus, quãtumuis licet falsas, iniquas, & ab ea quam habemus opinione alienas? A nullo .n. peccato tãtum absumus, quantũ à furto aberat Paulus. Attamen tantũ ille cũ ab esset,

Lib. 22. cõtra Faustũ cap. 56.
Gen. 29.
1. Tim. 3.
Lib. 6. de sacerd.
1. Cor. 8.

esset,à prauo huiusmodi facinore,nec sic quidem negligendam sibi putauit cõmunem multorum suspicionẽ, etiam si admodum iniquam,atq; insanam,& post. Iccirco radicitus eam auellit,seu ut uerius dicam,prorsus ne exoriri quidẽ eam permisit,quamobrẽ?procuramus.n. inquit, quæ honesta sunt, non modo coram Domino, sed etiam corã hominibus. Tantum certè oportet, imo uerò lõgè maius studium adhibere, ut malas opiniones non solum dum erumpũt,diuellamus,arceamusq;, sed & procul unde erumpere possint prospiciamus, atq; ad eo causas ipsas,è quibus enascantur,longo ante tempore interimamus:non etiam dum coalescant, & in vulgi ore versentur, ac diuulgentur expectemus. Tunc enim haud procliue fuerit eas delere, sed admodum difficile: fortasse ẽt nulla eas arte tum extinguere ualeas,neq; uerò tum res culpa careat,propterea quod hoc ipsum fiat, quo tempore multorum conscientiam iam læseris.Hęc S. Chrysostomus.In eandem sententiã scribens S. Gregorius rei huius clarius hanc rationem adfert. Cum inquit praua æstimatio in quantum sine peccato ualet,ab intuentiũ mente non tergitur cunctis mala credentibus per exemplum culpa propinatur.Vnde & plerunq; contingit, ut qui negligẽter de se mala opinari permittũt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciunt, sed tñ per eos,qui se imitati fuerint,multiplicius delinquũt. Hinc est,quod Paulus immunda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scãdalum sua hac cõmessatione mouẽtibus dicit,uidete,ne forte hęc licẽtia uestra offendiculũ fiat infirmis. Et rursum,& peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem

3. P. Past. Adm. 36.

1. Cor. 8.

Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christũ
Leuit. 19. peccatis Hinc est, quod Moyses cum diceret: Non maledices surdo, protinus adiunxit, nec corã cæco pones offendiculũ. Surdo quippe maledicere, est absenti & nõ audienti derogari. Corã cęco uerò offendiculũ ponere, est discretã quidẽ rem agere, sed tñ ei qui lumen discretionis nõ habet scandali occasionem præbere. Hęc ille.
Libr. 9. Ep. 39. Qui alijs locis auctor est, peccatũ cõmitti ab eo qui ne bonũ quod ualet fieri, negligit ut fiat. Nã cũ placare in sanas mẽtes, atq; ad salutẽ reducere possumus, scãdalizare eas minimè debemus, sunt. n. quædã scandala, quæ omninò despicienda sunt, quædã uerò dum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt. Hæc S. Pater.

Ceterùm ijs sic positis, sunt à Christiano cum inferũtur iniuriæ, contumeliæ etiam & conuitia æquo animo patienterq; toleranda nec multum laborandũ de tuenda existimatione nostra, cũ culpa omninò aliena, ac nulla nostra mordemur, carpimur, laceramur, siue clam, siue palàm, siue mẽdacijs res agatur, siue crimini ac vitio uertatur nobis, quod maximè laudãdũ esset. Hoc est. n.
Ibid. pati propter iustitiam. Si fuerunt ait S. Gregorius, qui malam famã Paulo imponerẽt, qui hunc seductorẽ vocarent, quis rogo nunc Christianus debet indignum ducere, pro Christo iniurias audire? Quantæ autem virtutis præcursor nostri Redẽptoris fuit, nouimus, qui per sacrum eloquium non solum plusquam Propheta, sed etiam Angelus vocatur: & tamẽ sicut mortis eius historia testatur, post mortem à persecutoribus corpus eius incẽsum est, sed quid ista de sãctis hominibus dicimus?

de

de ipso Sancto Sanctorum id est de Deo, qui pro nobis homo factus est, loquamur, qui ante mortem iniuriam, quia Dæmonium haberet audiuit. Post mortem uerò à suis persecutoribus seductor appellatus est. Quanta ergo nos peccatores à lingua & à manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in aduentu æterni iudicis iudicandi sumus, si & ipse tanta tam antè, quàm post mortem pertulit, qui & iudex venit? Hæc ibi.

Verum vir perfectus non solum fert patienter iniurias & probra pro Christo, sed optat ēt percupidè, nec si sine aliorū culpa fieri posset, ijs carere vult, quibus ornatū ne dicā an ornatū cernit Dominum ac parentē suū Christum? Certè de S. Paulo Apostolo scribit S. Chrysostomus, ad confusionē & iniurias, quas ob prędicādi studium sustinebat, magis quàm ad bonorū oblectamenta properabat, & post, perfrui charitate Christi hoc illi uita, hoc mundus, hoc angelus, hoc pręsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera: præter hæc verò nihil in tristiū parte ponebat. Horum .n. qui hic habentur nihil asperū, nihil ēt suaue reputabat, sed despiciebat vniuersa, quę cernimus, ut solet herba iā putrefacta contemni, mortē verò & cruciamenta, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorū, dummodo pp Christū aliquid sustineret. Tūc .n. tunc & amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catena magis, quàm diademate coronatus. Hæc S. Chrysostomus, qui de Christo Domino tātę huius humillitatis duce & magistro scribit, lætus & absq; ulla suspicione formidinis moriturus ibat, & nostra peccata in illa cruce portabat, de eo sanè Apostolus. Etenim Christus

Homil. 2. de laudib. Pauli.

Serm. 4. in feria 5. passionis.

non

Rom. 15. non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia im-
2. Cor. 12. properantium tibi ceciderunt super me. Et de se; Placeo
mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessita
tibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo.

Occasiones porrò humilitatis exercendę quis nume
ret? breuiter, aut peccatores, aut probabiliter saltē conij
cis, ac opinaris te Dei gratia donatū esse. Si peccator es,
nullā aliā humilitatis occasionē quęras, quàm hocipsū,
Luc. 18. esse peccatorem: ac publicano similis teipsum intuens
Luc. 15. nec oculos ad cælū tollas: aut uelut alter prodigus filius
ad te reuersus, dicas patri misericordiarum: Pater pec-
caui in cælum & corā te, iā nō sum dignus vocari filius
1. Cor. 4. tuus. Sin autē pia cōiectura te Dei amicum per gratiā
eius arbitraris; quid habes, quod non accepisti? & si acce
pisti, quid gloriaris, quasi nō acceperis? hac de re pręcla-
Ser. 2. de Verbis Apostoli. rè Patres. S. Augustinus inprimis, ex quo hæc. Primùm
uocatio ad fidem occasio humilitatis est maxima. Prædi
cato Christo crucifixo, audiunt duo, unus contemnit,
alter ascendit. Qui contemnit, imputet sibi, qui
ascendit, non arroget sibi, audiuit enim à ueraci ma-
Io. 6. gistro: Nemo uenit ad me, nisi datum fuerit ei à Pa-
tre. Gaudent quia datum est, gratias agat danti cor-
de humili, nō arroganti, ne quod humilis meruit, super-
bus amittat. Deinde pergere in virtute occasio est hu-
Philip. 2. militatis. Nā ait idē, ēt qui iam in ipsa uia iusti ambulāt,
si sibi eā tribuerint, & viribus suis, pereunt de illa, ideo
humilitatē docēs nos Sancta Scriptura per Apostolum
dicit, cū timore & tremore vestrā ipsorum salutē opera
mini, & ne sibi aliquid inde darent, quia dixit: Operami
ni, continuò subiunxit, Deus .n. est, qui operatur in uo-

bis

bis & uelle & operari pro bona uoluntate. Quod si dicas habeo liberum arbitrium, quis me ab ista uia separabit? Si legas diligenter inuenies, quendam in sua quadã abundantia, quã tñ acceperat, extollere se cępisse, Domiñ aũt misericordẽ, ut doceret humilitatẽ, qđ Dei est abstuliſſe, illũ uerò subito inopẽ remansisse, & misericordiã Dei recordatione confosũ dixisse: Ego dixi in abundantia mea, nõ mouebor in ęternũ, sed ego dixi homo, omnis homo mendax. Auertisti faciem tuam à me, & factus sũ conturbatus, oſtẽdisti mihi, quia illud quo abũdabam de tuo erat. Tertiò si recurrant in animum merita nostra, uera .n. merita sunt actiones bonæ hominis in gratia Dei positi, & propter Deum susceptæ. Audi ait Deus quid dicat. Qui coronat te in misericordia & miseratione, & si tua merita pręcesserũt, discute bona merita tua & videbis, quod dona sũt mea. Quartò si te delectat ipsa virtutis actio, caue etiam superbiam. S. Gregorius. Virtus ait, cum uitijs renititur, quadam delectatione eius sibimetipsi animus blanditur, fitq; ut bene agẽtis mens metum suæ circumspectionis abijciat, atq; in sui confidẽtia secura requiescat, &c. Hinc animę superbienti dicitur: Quo pulchrior es, descende, & dormi cũ incircuncisis; ac si apertè diceretur, quia ex uirtutum decore te eleuas, ipsa tua pulchritudine impelleris, ut cadas. & plura ibidem S. Gregorius. Quintò si teipsum alteri compares, ait Apostolus in humilitate superiores inuicem arbitrantes, & honore inuicem præuenientes, & huiusmodi humilitatis occasione præclara est & obseruanda S. Augustini regula: Magis cogitare debetis, quid uobis desit, quàm quid uobis adsit. Quod habes,

Psal. 29.

Psal. 115.

Psal. 102.

In Epilo- pastor. si- ue p. 4.

Ezech. 31.

Philip. 2.

De Verb. Domini Serm. 53.

caue

caue ne perdas, quod nondū habes, supplica, ut habeas. In quātis sis minor, tibi cogitandum est, non in quantis sis maior. Si .n. cogitas quantum præcessisti alterum, time tumorem, si uerò cogitas, quātum tibi deest, adhuc ingemiscis, & cum ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, non præcipitaris, non inflaberis. Denique in nostrimet comparatione cum alijs memoranda continuo est interrogatio mystica illa, tu quis es? nec in ea de excellentia cogitandum, sed de submissione ac depressione. Parum est ait S. Bernardus esse subiectum Deo, nisi sis, & omni humanæ creaturę propter Deum, siue Abbati tanquam præcellēti, siue Prioribus, tanquā ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere & minoribus, sic enim decet nos inquit, omnem implere iustitiā. Vade & tu ad minorē, si uis in iustitia esse perfectus, defer inferiori, minori te inclinato. Hæc ille.

Serm. in Cant. 42.

Matth. 3.

Ad alia alibi commemorata Humilitatis Indicia addatur illud ex S. Gregorio. Vera Humilitas esse cognoscitur, quæ bonum obedientiæ in Maioris imperia consequenda comitatur. Verè itaq; (Helì) esset humilis, si sese ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, obtulisset; sed & fortasse verius esset humilis, si reprehensus nequaquam responderet, sed neglectam correptionem scelestis filijs adhiberet, si uel tunc pastorali zelo insisteret, & flagitiosorum sacerdotum scelera digna vltione vindicaret. Hæc ille. & hæc nos ex illo & ex alijs Sanctis patribus ad vtilitatem meam & aliorum, ad unam Dei Opt. Max. Gloriam.

Li. 2. in 1. Reg. c. 4.

FINIS.

INDEX EARVM RERVM quæ duobus Libris de Virtutis Actionibus continentur.



A

Abnegatio necessaria, & frequentanda; & cur. pag. 18
Abnegatio crucifixio. ibi. militia, bellum, ib. expropriatio 63
Actio ex virtute. pag. 1
Actio bona, fructus virtutis. 3
Tributum. 4
Actio debita virtuti. 4
Actio virtutis tria habet ex Seneca. 7
Actio virtutis qualis. 6
Actio humana. ibid.
Actio nutrit laborem. 5
Actio uirtutis crescit quotidie magis. 6. 8
Actio humana quæ. 6
Actio virtutis feruens. 9
Actio virtutis quomodo mereatur augmentum. ibid.
Actio remissa quomodo exercenda ib.
Actio virtutis frequentanda, interna magis, externa simul. 10
Actio externa internam perficit. 10. 11.
Actio quomodo habitu refertur in Deum. pag. 15
Actio virtutis examinanda, & quomodo. pag. 32
Actio virtutis uera, falsa. pag. 33. seq. pag. 36. seq.
Actio summa præceptionum Christi. 81
Actio virtutis ex Deo. 85. seq.
Actio uide fides, spes, amor, charitas, prudentia religio, &c.
Actionis initium in Deum diligendũ. 16
Actionis nouæ noua intentio. 17
Actionis diuturnæ intentio renouata. 17
Actionis exitu quid agendum. ibid.
Actione trahit Deus. 85
Actiones virtutum frequentandæ, & quomodo. 30. seq.

Actionum numeratio ad fructum spiritus capiendum. 55
Actionum ordo ex Dei voluntate non ex nostra, & vbi potiora præcedunt inde inchoandum ex S. Augustino. 241
Actuosa virtus. 3
Actuatio quid, & cur vitanda. pag. 31. 37 *Prudentia tollitur.* 276. *seq.* 280
Adoptio filiorum Dei maximum donum pag. 198
Adoratio ex religione, quid sit, quotuplex. pag. 323. *seq. Eius occasiones p.* 325. *seq. quomodo ex fide & aliis originibus quinque.* 326. *seqq.*
Adorationis externæ occasio 329. *seqq.*
S. Adriani mira spes. 183. *seq.*
Aduersæ res virtutis occasio. 81. *seqq.*
Ab electis expetitæ tanquam Dei beneficia. *ibid.*
Aduersæ res cur à Deo 176. *Quomodo tolerandæ.* 179. 182
Affectio deprauata fons malarum cogitationum. 75
Affectibus trahit Deus. pag. 85. *Quomodo.* 88. *seq.*
Alphonsi primi Lusitaniæ Regis fides, & pietas. 150
Alphonsi secundi Ferrariæ Ducis dictum ex repentino timore. 160
Amare potius quam amari. 256. *seq.*
Amicitia cum Deo quæ. 209
Amor summus quis. 186. *seq. Non castus quis, gratuitus quis, pag.* 186 *seq.*
Amor Dei mercenarius bonus. 206
Amor gratuitus quibus rationibus conciliatur. *ibid.*
Amor in Deum cum prudentia. 274
Amor in Christum amoris Dei signum. pag. 219. *seq.*
Amor desiderij. 189
Amor proprius Rectori formidandus. pag. 285. *seq.*
Amoris duplex cum Deo coniunctio. 185
Amoris modus. ibid. seq. & 274. *seq.*
Amoris Dei nullus finis. 189
Amoris Dei occasionis. 189. *seqq.*
Amoris testimonium testamentum nouum, & quomodo. 193. *seqq.*
Amoris diuini inditia. 210. *seqq.*
Ex Amore Dei obliuio sui. 216. *seq.*
Anihilatio terminus à quo timoris Dei. pag. 276
Anima ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. 268
Animæ quies indicium præsentiæ spiritus. 279
Angeli præ Dei amore non cogniti à sanctis, & quasi neglecti. 117. *seq.*
Auctoritas diuina fidei robur. 103. *seqq.*
Audacia occasio fortitudinis. 389. *corrigitur fortitudine.* *ibid. seq.*
Audire sapientes inditium prudentiæ, compendium ad eandem. 318. *seq.*
Auditor Christianæ doctrinæ quomodo iuuandus. 123. 126. *seq.*
S. Augustinus quomodo ex creaturis ferebatur in Deum. 61. *seq. & ex eo gradus sex huius ascensionis.* *ibid.*

B

Baptismus quale Dei beneficium. fidei occasio. 132. *seq.* 138
Beneficia Dei amoris diuini occasiones, & notæ. 189. *seqq.*
Beneficia Dei quotidie recolenda, peculiaria etiam. 190. *Quæ sint ibid. quomodo examinanda.* 191
Beneficia Dei, quæ communia, quæ propria, & quomodo amorem excitent. pag. 200. *seqq.*
Beneficia occulta. 201
Beneficia Angelica. 202
Beneficia interna. *ibid. seq.*

Beneficia Dei in inimicos & amicos. pag. 203. *seq.*
Beneficia creaturarum. 193. *seq.*

C

Caroli Card. Borromæi fortitudo & charitas aduersus peste laborantes. 384
Caroli Manni ex Regia stirpe Monachi obedientiæ exemplum. 373
Catechizandi ratio duplex. 121. *seq. Eius nobilitas.* 123. *seq.*
Cautio quæ uirtus. 263
Charitas quid. 185
Charitas quomodo se demittit. 236. *seq. quomodo patienter vrget.* 237. *seq. quomodo condolet.* 239 *quomodo gaudet, etiam in labore inutili, & omittit opera delectabilia & utilia propter proximum.* 240 *seq. quomodo superat fastidium eadem repetendi.* 241. *quomodo matris in morem congruit paruulis. p.* 242. *seq. quomodo leuat nos nostro fastidio, nostri peccati onere.* 243. *quomodo operatur etiam contra spem fructus.* 244. *seq. quomodo se habeat cõtra tentationũ alienarũ molestias. seq. varijs hominibus variè aptet.* 245
Charitas collata martyrio 246. *seq.*
Charitas commiseratur. pag. 257. *seq. condonat crimina. pag.* 258. *seq. est cum prudentia. pag.* 281. *seqq. communia proprijs anteponit.* 315
Charitatis actio proprijssima. 185
Charitatis in proximum actiones. 224
Charitatis actionis explicatio ex Patribus. 225. *seqq.*
Charitatis in proximum actionis diuisio ex S. Augustino in Medicinam & disciplinam, & huius in coercitionem, & instructionem ex eodem. 227. *seq.*
Charitatis occasiones. 228 *seqq.*
Charitate vincuntur difficultates instituendi proximi. 235. *seq.*
Christus Dominus exemplar perfectissimum virtutis, rectæ actionis norma, mensura, rectitudo, disciplina, perpendiculum, lex, ratio regia & animata. pag. 36. *exemplar etiam Angelorum. ibid. seq. charitatis maximè & humilitatis.* 37. 319.
Christus est in rebus omnibus querendus. pag. 66. *& seq. exemplo S.S. Pauli, Bernardi, Francisci. ibid.* 68
Christus amoris nostri norma. 211. *seq.*
Christus imitandus. 166. *seq.*
Christus similis Gallinę cur. 174. *seq.*
Christus vocat ad timorem filiorum. 164.
Christi beneficia ex Basilio. 56
Christi beneficia virtutis occasio. 80. *seq.*
Christi cognitio fidei fructus. 98
Christi amor qualis. 210. *seqq.*
Christi charitatis signa, & magnitudo. pag. 259. *seq.*
Christi vitæ meditatio fidei ductu fit. pag. 136
Christo nil nos magis astringit, quam eius passio. 221
Christo affici diuini amoris inditium maximum. 219. *seq.*
Christo passo affici signum deuotionis. pag. 349
A Christo spei firmitas. 170
S. Chrysostomi deploratio Concionatorum vana sectantium. 299. *seq.*
Circunspectio quæ virtus. 263
S. Clementis Romani firmitas in fide. 152
Clericorum Regularium ministrantium infirmis institutum, tempore pestis quale. 384
Coercitio quid, quæ maiorum, quæ æqualium. 228
Cogitatio quotuplex. 49

Cogitatio secularis vitanda quomodo, à quibus. 51. seq.
Cogitatio de rebus indifferentibus, de bonis. 57. seq.
Cogitationes bonæ ex meditatione. 70
Cogitationes bonę Mundanorum. 50
Cogitationes aduersus mœrorem. 308. seq.
Cogitationum mundanarum quis fructus. 49
Cogitationum malarum duplex origo. pag. 75. genera vndecim. ibid.
Cogitandi bene magister vsus. 69
Commiseratio propria charitatis. 257. seq.
Cōcionatori necessaria prudētia: præsertim in verbis p. 298. seqq. scopus eius, & docendi ratio. 301. seq.
Condonat crimina charitas. 258. seq.
Confessio fidei. 118. seq.
Confessionis sacramentalis audiendę difficultates a confessario superandæ quę, quomodo. 235. seq.
Confitens ne nimium confessario adhęrescat. 247
Conscientia plusquam prudentia Deo placet. 281
Conscientia bona spei inditium. 181. seq.
Conscientia quomodo leuetur. 199
Conscientię stimuli a timore. 163
Continuatio quale beneficium Dei. 192
Consilium Patris spiritualis ad exercitationem virtutis adhibendum, maximè ad examen cogitationum, etiam à perfectis. 70
Consilij donum prudentia Christiana. pag. 269. seq.
Consilia sanant audaciam. 390
Constantia comes prudentiæ. 316. seq.
Constantini magni obseruantia in sacerdotes, lex. 354
Contemptum mundi fides parit. pag. 135. 152. eundem spes. pag. 173. Amor Dei. 222
Correctio Maiorum qualis. pag. 228. seq. æqualium qualis. 229. seqq.
Correctionis omissæ excusationes vanæ. p. 229. seqq. Eius occasiones 231. seqq.
Correctionis modus. ibid.
Corrigere Pastoris est, quomodo. pag. 228. seqq. lenitate potius quam seueritate. pag. 291
Creatio quale beneficium Dei. 191
Creaturæ quid clament. pag. 77. 78. amorem. 193. seq. 316.
Curiositas fidei contraria pag. 104. Eius abdicatio. 147
Custodia mentis deuotionis inditium. 348

D

Decor virtutis in vsu. pag. 86. describitur. 2. seq.
Disperatio quomodo vincenda. 176. seq.
Deuotio quid pag. 324. Eius occasiones. pag. 336. seq. Ratio eam aquirendæ p. 338. seqq. Eius inditia. 348. seqq.
Deus vt quæratur, iubet. 54
Deus auctor doni exercendæ virtutis. pag. 85. seqq.
Deus actione virtutis nominatur. ibid. Quibus auxilijs iuuet ad virtutem. pag. 86. quibus rationibus sit auctor actionis virtutis. ibid. seqq.
Deus magister hominis. pag. 105. neminem excludit a fide. 93
Deus trahit. pag. 85. quomodo. 58. seq.
Deus se nobis accommodat, nos illi vicissim. 114
Deus bonorum summa. pag. 186. nil eo melius. 187
Deus pater amoris, occasio. 199
Dei inueniendi ratio duplex. 54. seqq.
Dei beneficia quos affectus excitēt. 55. seq.
Dei lux emicat in nobis, & latet. Eius inditia. 64. seq.

Dei charitas in iuuanu... mine ad fidem. pag. 110
Dei prouidentia amoris occasio. 192. *seq.*
Dei proprietates & attributa absoluta accēdunt amorē gratuitum. 207. *seqq.*
Dei gratuita amicitia. 209
Dei memoria aduersus mœrorē. 402. *seqq.*
Dei veneratio, & cultus. 96
Difficultates proximum instituendi quot, & quomodo superentur. 235. *seqq.*
Discretio, & cognitio amoris Dei proprietas. pag. 203. *quanti sit momenti.* pag. 273. *seq. quæ pastoris propria.* 283
Disciplina Christiana non est Stoica. 291
Dissentio inuiorum procuranda. 301
Dissimulanda nonnumquam errata subiectorum. 288
Docilitas quæ Virtus. 263
Doctrina fidei quot modis tradatur. pag. 121. *quam nobilis actio sit docere rudes.* p. 123. *seqq. In hoc munere quæ molestiæ exorbendæ.* 126. *seqq.*
S. Dominici orandi ratio. pag. 218. *seq.*
Vigilantia. 312
Durities cordis quæ, & vnde. 114

E

Ecclesia Catholica interpres consilij Dei pag. 106. *Erga Ecclesiam debita quinque.* 107. *seq.*
Ecclesiæ fidei fideicessor. 106. *seq.*
Eleemosina cum fide. 138
Examen conscientiæ pag. 72. *formula eius a B. P. Ignatio. Res est antiqua. quantū valeat ad bonas cogitationes. ibid. seq.*
Expropriatio quid, etiam ex S. Augustino. 63. *seq.*

F

Fama bona, & quomodo pro ea laborandum viro perfecto. 425. *seqq.*
Fictus accedens ad Baptismum aut confessionem quomodo iuuandus. 235. *seq.*
Fidelitas cum prudentia. 281
Fides anchora sacra. 149
Fides in persecutione prædicanda 300
Fides cognitio supernaturalis nobilissima. pag. 91. *seq. Dei donum, fundamentum omnium bonorum, & quorum.* 94 *seq.*
Fides Virgo integerrima. pag. 102. *ab Hæreticis stuprata.* 140
Fidei beneficia. pag. 91. *seqq.* p. 100. *seqq. Occasio.* pag. 93. *seq.* p. 130. *seqq.* pag. 141. *seqq.* 143. 145.
Fidei certitudo auctoritas diuina. 103. *seq.*
Fidei motiua. 111
Fidei effectus. pag. 115. *fidei laudes. ibid. effectuum fidei ordo.* 116
Fidei materia quomodo honores diuitiæ, voluptates. 134
Fidei necessitas. 138. *seq.*
Fidei ex beneficijs qui fructus. pag. 100. *seqq.* 104. *seq.*
Fidei indicia. 147
Fidei robur ex Romana Cathedra. pag. 155. *& seq.*
Ex fide adoratio. 326. *seq.*
Fortitudo quę Heroica antiquis. pag. 380. *Quæ Patribus.* p. 381. *Quæ Christianis.* 382
Fortitudo bellica etiam in priuato bello aut congressione pro fide ac virtute. pag. 382. *Aduersus pestē laborantes & alia pericula suscepta pro salute proximi.* pag. 384. *Exempla etiam nostrorum hominum, ib. seq. aduersus vitæ illecebras magna fortitudo.* 387
Fortitudo donum Dei. pag. 394. *maximè elucet in repentinis malis.* ibid.
Fortitudo inimica fraudis. 395
Fortitudinis occasiones. p 387. *seqq. Inditia.* 390. *seq.*
P. Franciscus Borgia secularis quomodo

ex

ex creaturis in Deũ exurgeret. 57. seq.
S. Franciscus quã totus in Christo pag. 68.
Eius orandi ratio. pag. 218. seq. Paupertas. pag. 223. Zelus animarum p. 248. de concionibus sententia. pag. 300. Obseruantia in sacerdotis. 355.
B. Francisci Xauerij, Martyrij cupiditas. pag. 294. salutis animarum studium, & regula eius. 314

G

Gaudet fortis in tribulatione. 393
Gaudium cælestis regni contra mœrorem. pag. 400
Gaudium lucri lenit dolorem damni. 243
Gaudium spiritus fructus spei. 180. seq.
Gradus altior cur non deficiat. 5
Gradus sex Deum opere attingendi & cognoscendi S. Augustino qui 61. seq.
Per Gradus sex pronunciare S. Gregorio quid. 8
S. Gregorij diuitiæ, cur paupertati heremitarum prælatæ. pag. 222. seq. eius prudentia, & fortitudo. 283. seq.

H

Habitus finis est actio. 2
Habitus est id quo agimus. ibid.
Habitus operans virtus. pag. 3
Habitus voluntatis iuuans ad fidem quis. pag. 110
Hæreticis ne syllaba quidem concedenda in rebus fidei. 102
Hæretici auersandi. ibid. seq.
Hæretici quomodo dignoscantur. 141
Homo se quisq; consideret ut Deum amet, & quomodo. 190. seq.
Hominum status multi pag. 49. seq. Idiotis bonis quid conueniat, Idiotis item ingenioſis, hominibus religioſis, mundanis. ibid. seq. Episcopis, Pastoribus, Regularibus, Coniugatis. 52. & 53.
Honoris partes quæ. 333. seq.
Humilitas se prudentiæ committit. pag. 302. seq. p. 316. Eius actio p. 419. seqq 424 subijcit Deo, & hominibus. 41[illegible] Refugit laudes. p. 422. seq. gaudet contemptu. p. 423. Eius progressus ibid. seq. occasiones. p. 324. seq. 430. seqq.

I

Ieiunium obedientia minus 375
IESVS omnia bona. 197
B. Ignatius Loyola quomodo ex creaturis ferretur in Deum. p. 60. seq. Eius animarum zelus. p. 255. prudentia. pag. 288. Vigilantia. pag. 312. obedientia. 375
Imitatio. S. S. pag 37. seq. non difficilis gnauis p. 319. seq. Exempla. ibid.
Impetus spiritus & carnis qui. 47
Impij diuidendi. 301
Industria ad uirtutem necessaria. 89
Infernus peccato præferendus quomodo. pag. 166
Inimici virtutis occasio. 83
Iniuriæ occasio mansuetudinis, & quomodo. pag. 415. seq. Earum auctor beneficium confert. pag. 417. Quid cogitandum dum inferuntur. p. 418. ferendæ iniuriæ. p. 418. Optandæ etiam. 429
Institutio fidei ad quos pertineat. p. 120. seq. Quæ sit lac paruulorũ. pag. 121. quot eius genera, ibid. quàm nobilis actio. pag. 123. seqq. 234. seqq.
Institutio per confessiones & catechismũ quas difficultates habet, quàm vtilis actio charitatis. p. 235. seqq. finis eius & scopus. 246
Intelligentia quæ virtus. 263
Intentio oculus. p. 12. Quis actus sit, quid

Sancto

Sancto Augustino, S. Bernardo, quæ eius genera. ibid. & pag 13.
Intentio proficientium & perfectorum qualis, p. 14. Quatenus frequentanda. 15.
Intentio habitualis magis meritoria. ibi.
Intentio noua in nouis actionibus. 17
Intentio renouãda in actione diuturna. ibi.
Intentio boni in virtutis actione præcipua. 35
Intentio deprauata fons malarum cogitationum. 75
Intentionis frequentatæ utilitas. 17
S. Ioannis Chrysostomi charitas in proximum. 254
S. Ioannis Gualberti exemplum charitatis. 261
Ira quę bona, & cui parti virtutis seruiat. 411. seq.
Iræ moderatio ex mansuetudine. ibid.
Iusiurendum cum Reuerentia. 329

L

Latria. p. 96. quid sit. quibus debetur. pag. 324. seq.
Laus propria an liceat. p. 310. 425. quomodo fugienda. 422
Lętitia cordis potius quam tristitia deuotionis signum, & cur. 349
Lectio sacra, eius vsus, vtilitas. 75. seq.
Linguę custodia ex prudentia. 317
Literarum gentilium tractatio qualis, & quam vtilis p 341. seqq. quo referenda pag. 343. seqq.
Loquendum de nobis quatenus. 305. seq.
Lux diuina emicat, & latet. p. 64. Eius inditia. ibid. seq.

M

Maiores à nobis quanti fieri uelit Deus. p. 351. Vide correctio
Homo, Pastor, Obedientia, Obseruantia.
Mansuetudo, & eius actio p. 410. Quo modo versatur circa iram p. 411. propriæ Pastoris. pag. 414. seq. Eius occasio ex iniurijs. 415. seq.
Mansuetudo est animi virtus non solo contenta silentio. pag. 416. seq. charitatis æmula. 410
S. Marinę mira spes, & patientia. 182
S. Martini fidei exercitatio. 154. seq.
Martyrij cupiditas in Sanctis. pag. 294. ad id stimulat fortitudo. pag. 396. ex martyriorum nuncijs allatis qui fructus. 180
Martyrium fides. pag. 153. Ex ea mœror, lætitia. ibid. seq.
Martyrum spes. pag. 183. Amor. pag. 217. 221.
Meditatio rerum diuinarum ad cogitationes bonas quid faciat. pag. 70. quibus de rebus instituendæ ibid. seq. Quotuplex, quę deuotionem instruat. 340
Meditatio vitę Christi. 136
Memoria quę virtus. 263
Meritum ex remissis etiam actionibus. pag. 9.
Meritum postulat, vt actio referatur in Deum, & quomodo. 15
Meriti radix charitas. ibid.
Meritoria magis actualis intentio. 16
Milites ad deuotionem etiam informantur. 348
Miracula postponenda scientiæ Diuinę. pag. 271
Miraculorum fides. 147
Misericordia opera cum fide 138
Mœror quomodo vincitur. pag. 397. seq. quam malus, Dæmone peior Chrysostomo, pag. 399. seqq. quando salutaris. pag. 402. seqq.
Mores quantopere iuuent fidem. 108. seq.
Mortificatio necessaria, & frequentanda. pag.

pag.18.Cur.pag.19.Eius inditium. 20
Mortificatio quando præcepta.pag. 21. Eius occasio arripienda ibid.
Mortificatio virtutis cognoscendæ ratio. pag. 34. Quę perfecta.pag.172. Inditium deuotionis. pag. 348. Fortitudinis. 391. seq.
Mortificas,si non consentis. 21
Motio Dei quæ bona producat. pag. 112. Quomodo moueat Deus voluntate. ibid.
Mundanus timor cur malus. 157
Mundani initiati mysterijs perfectionis. pag.51. Vt possint ex creaturis insurgere in Deum. 58
Mundanorum cogitationes indifferētes in bonas conuertendę. pag. 49.
Mundanis monita quę danda. 50.seq.

N

Nataliæ sanctę spes. 183
Nobilium, & diuitum virtus clarior. 79.80
Notę amoris diuina beneficia. 189. seqq.

O

Obedientia cum fide. pag.138. fidei insigne pag.148. erga Deū quę, & eius actio. pag. 361. erga homines quę,& eius actio. 362.seq.
Obedientia charitatis quę pag.371.maior ieiunio. 375
Obedientia in iucundis quomodo, in molestis quomodo. 368.seq.
Obedientia non segnior propter inordinatum animum præcipientis. 367
Obedientiæ præcipuę proprietates duæ. pag. 364.seq.
Obedientiæ comes vtilitas, Deus Patronus. 368.seq.
Obedientię occasiones, ibid. Inditia. pag. 371. seqq.
Ab Obedientia Maiorum vita Deus, vt pendeant ipsa etiam eius impera. pag. 363.seq.
Obliuio sui ex amore Dei. 216.seq.
Obseruantia cum prudentia pag.295.seq. quę virtus.pag.350.eius actio.ibid.seq.
Occasio quasi initium virtutis. 77.seq.
Occasio virtutis quomodo sit quęlibet res creata. ibid.seq.
Occasio maximum momentum ad virtutem. 85
Occasionem peccati arcet Deus. 87
Occasiones fidei. 130.seqq.
Occasiones timoris Dei. 160.seq.
Occasiones spei. 176.seqq.
Occasiones amoris Dei. 189.seqq.
Occasiones quattuor amandi Deum propter se. 206.seq.
Occasiones charitatis in proximum. pag. 228. seqq.
Occasiones fraternę correctionis. 231
Occasiones prudentiæ. 273.seqq.
Occasiones adorationis.p.325.seqq.vide etiam Deuotio,Obedientia, Obseruantia, Simplicitas, Fortitudo, Mansuetudo, Humilitas, Patientia.
Occupationibus in medijs quomodo te colligas. 53
Oculi quas occasiones præbeant Deum amandi 194.seq.
Oratio mœrorem dissipat. p.397.quomodo frequentanda. 22
Oratio perpetua, crebra, quæ Patribus. pag. 24.seq.
Oratio perpetua contemplatio est. 26
Oratio crebra vitę actuosę. ibid.
Oratio statis horis. pag. 29. Prudentia dirigitur. pag. 277. Virtutis cognoscendę ratio. 34
Oratio ex fide.p.97.ex spe.p.176.ex amore Dei. 218.seq.

Orationis præceptum est Theologis. 23
Orationis proferendę ratio & causa. pag. 27. seq.
Orationis iaculatricis comparandę ratio. pag. 29
Orationis mutua vis. 54
Orationes S.S. 171. seq.
Orationibus certandum pro adeptione uirtutis. 89

P

PAtientia ex spe. 172. 184. Proprietas amoris Dei. 213. 215
Patientiæ actio. p. 396. seq. aduersus mœrorem ibid. seqq. Occasiones eius ibid. 404. Vsus ibid. 407
S. Paulus magnus vir in Christo. 186. seq. 214. seq. 219. seq.
Paulus totus in Christo. 67. 98. seq.
Paulus quàm cupidus salutis animarum. 248. seqq. Quomodo se habuerit in legis ceremonijs. p. 302. De se quomodo loqueretur. 205. seqq.
Pauli charitatis explicatio mira ex S. Chrysostomo. 249. seqq. 256. prudentia. 283. 303. studium placendi. 285. præcepta diuersa. 289. Obedientia. 365. Regula 314. Ira & seueritas cum mansuetudine & charitate. 411. seqq.
S. Paphnutij spes. 182
Pastor Christianus prudens. 281. seqq. in humilitate præsertim. 282. quatenus amari se possit optare. 285. quomodo sibi hominum amorem conciliet. 286. fugiat onerosa negotia. p. 287. seq. quatenus curat terrena. p. 295. corrigit & quomodo. 288. seqq.
Pastoris duo præcipua munera. 293
Pastoris munus potius leniter agere, quàm iustè irasci. 414. seq. 291
Pastori propriè vigilandū. 293. 309. seq.
Pauperes non contemnendi. 133. seq. fides id efficit, ibid. & p. 179
Pax ex prudentia. 317
Pax interior ex præsentia spiritus. 279
Peccandi occasiones arcet Deus. 87. peccatum iniuria fidei. 118. Inferno deterius. 116
Peccati fuga timoris Dei fructus. 159
Peccati recognitio colendi Deum occasio. pag. 328. seq.
Perfectorum & proficientium intentio. p. 14. cogitationes. p. 51. orandi modus pag. 25
Peste laborantibus subuenit fortitudo & charitas. 384
Peste consumpti propter charitatis officium ex Soc. Iesu qui. ibid. & seq.
S. Petri prudentia. 283. humilitas. pag. 302. seq.
Placere hominibus quatenus liceat. 285
Philosophia quam sine fide imbecillis. p. 155. seq.
Principia, seu motiua fidei. 111
Principes sunt timori. 163
Professio fidei. 139. seq.
Profectus nouam intentionem postulat in nouis actionibus bonis. 17
Profectum retardat Deus interdum, ex S. Gregorio, & cur. 46
Proficienti ratio profectus habenda. p. 16. actio perneccssaria mortificatio. p. 18. Eius cogitationes quales. 52. seq.
Proficere etiam paulatim virtus est. pag. 184. seq.
Proprietates actionis studiosę. 6. seq.
Prouidentia Dei amorem excitat. p. 192. Eius explicatio. 202
Prouidentia quę virtus sit in homine. 263
Prouidentia lucerna virtutum. 40. Quotuplex. 269. Christiana nobilior moralis, & cur. 269. seqq. Mensura æquans actiones. 273. seq. Designat tempora

amandi Deum. 276. orationem diligit. 277. quomodo se habeat cum internis motionis spiritus. 279. seq.
Prudentia pastoralis quæ. 281. seqq. regit obseruantiam subiectorum. p. 295. seq. Humilitatem. 302. Temperantiam, ieiunia, corporis vexationes. 307. seqq. Conciones. 298. seq.
Prudentia ingeniosa. 312. non obliuione amittitur sed corruptione appetitus. pag. 315
Prudentia plurima S. Gregorio superbia. pag. 316
Prudentiæ actio præcipua. 262. seq. Comites. p. 263. procreatio & prooccasio, & progressus. 264. consiliarij. 269. Occasiones. p. 273. Mensura ex alijs virtutibus. 315
Psallendum qua reuerentia. 337. seq.
Psalmi centesimi decimi quinti paraphrasis. pag. 326. seq.
Psalmorum vsus, vtilitas. 71. seq.
Puritas cordis effectus fidei. 116 seq.
Pueri ad actum fidei inducendi, & quo modo. 139

Q

Quies animæ inditium præsentiæ spiritus. 279

R

Ratio quæ virtus. 263
Reflexio nimia, uitiosa, & uitanda. pag. 31. 69.
Religio quæ virtus. pag. 321. seqq. Eius actio. ibid.
Reuelationes postponendę fidei. 149. seq.
Prudentia dirigenda. 271. seq.
Romana cathedra adeunda. 156. in quibus maximè. ibid.
Rosa quomodo mundi contemptum excitet ex S. Basilio. 57. seq.

S

Sacramentorum usus cum reuerentia. 330
Sacerdotes quanti fieri velit Deus. p. 351. seq. Exempla obseruantiæ à regibus. 354. eorum defensio aduersus laicos. 356. seqq. ijsdem quam sanctè viuendum. 360
Sacrificium missæ quanta reuerentia spectandum. 330. seqq.
Sacrificium quotuplex. 332. seq.
Sanctorum virorum virtutes imitandæ, præsertim noui testamenti. 37. seq.
Sanctorum fides. 153. seq. fiducia unde. 171.
Sanctorum imitatio non difficilis uolentibus. 319. seq.
Sapientia religione prior. 97
Scriptores profani vtiliter legũtur, lecti à Sanctis, quomodo. 341. seqq. 344. seqq.
Securitas aĩæ, est præsentia spiritus. 279.
Scientiæ donum quid. 120
Silentium laudabile cum iniuria afficeris. pag. 415
Simplicitas virtus. adiumenta eius, proprietates. 375. seq. Inditia. 378. seqq.
Simulatio inuidię filia. 378. inimica fortitudinis. 395
Solertia quæ virtus. 263.
Sollicitudo rectè ambulandi coram Deo ex Dei timore. p. 160. Inditium prudentiæ. 309 seq.
Somni tempus, non pugnæ tempus. eo vitijs etiam resistimus. Meditamur suo modo, & qua ex causa. 20
Somni pernicies quotuplex. 310
Somnia postponenda scientiæ diuinæ. 271
Spes ouo comparata in Euangelio p. 173 seq. aurea catina. 175

Spei

Spei actio. 168. seqq. firmitas. 170. Inditia. 179. seqq.
Spiritus it, & redit, prout vult, semper vtiliter. pag. 278. præsentiæ eius inditia duo. 279. Diuini & Diabolici differentia. 279. seq.
Studiositas iuuat ad fidem. 110. quid exigat à nobis. 112. seq.
Studij profani utilitas. 341. seqq.
Studij sacri fructus. 113
Suauitas spiritualis bona seductilis. pag. 211. Proprietas amoris Dei optabilis cum abest. ibid. seq. Postponitur patientiæ propter Deum. 214
Subiecti non querant quę Maiorum sunt. 295. seq. quomodo se gerant cum eorum culpę patent. ibid.
S. Symphorosę spes. 183

T

Teodosil in Sacerdotes obseruantia. pag. 354. seq.
Tẽperantia Prudẽtia regenda. 307. seqq.
Tempestates, tonitrua, fulgura, timorem Dei excitant. 161. seq.
Tentatio contra fidem quomodo superãda. pag. 140. 155.
Tentatio desperationis quomodo vincitur. pag. 136. seq.
Tentatio Diaboli est occupare quem superare non potest. 31
Tẽtationis tẽpore quid agendũ, si ad est periculũ peccati. 21. Quomodo ad sit Deus iustis. 204. seq. Timentibus Deum. 166
Tentationes à mundanis cauendæ. 50
Testamenta duo Dei testimonia nouum amoris, uetus timoris. 195
Timiditas occasio fortitudinis, & quomodo. 383
Timor Dei seruilis effectus fidei. 116. 157
Timor Dei uirtutis effectus donũ Dei. ib.
Timor castus. 165
Timor mundanus malus. 257
Timoris gradus ibid. Effectus. 159. Occasiones. 160. seq. Inditia. 164 seq.
Trahit Deus. 85 quomodo. 88. seq.
Tribulationes cur immittat Deus. p. 176. quomodo sustinendę. 179. 182.

V

Veritatis amori nihil præferendum. pag. 285. seq.
Vgõnis Linconiensis Episcopi fides. 151
Vigilia somnum diligit. 21
Vigilantia maximè propria præsidis animarum. 293. Inditium prudentiæ. pag. 309. seq.
Vigilandum ad spiritus aduentum. 278.
Vinci interdum præstantius quam uincere. 415
Virtus rectissima affectio animi. p. 187. in actione consistit p. 1. nil magis regium virtute. 2. fons bonæ actionis. ib. Infructuosa esse non potest. 4
Virtus otiosa lyra tacens. ibid. plumbea lancea. 5
Virtus cur habitus actuosus. 3. 4. crescit. p. 8. etiam Theologica. p. 6. signum electionis. 8
Virtus peregrina, & quomodo. p. 9. etiam in somnis exercetur. 20
Virtus uera Christo conformis sanctorum imitatrix. 36. 37
Virtus quomodo actibus acquiratur. pag. 86 seq.
Virtus communis, Heroica. 90
Virtus omnis foras spectat. 120
Virtutis officia duo. 2
Virtutis actiones frequentandæ. 30
Virtutis in itinere duo considerandæ. 32
Virtutis officium maximum se uincere. pag. 34

Virtutis principia & fontes. 42. 48. 77. p. 85. *seq. Conceptio, partus.* 44
Virtutis actio ex Deo. 85. *seq.*
Virtutis Christi charitas, humilitas. 47
Virtutes verè à falsis quomodo dignoscantur. p. 33. *seq.* 36. *seq.*
Virtutes ementitę in Ecclesia damnatæ. pag. 39
Virtutes cum prudentia iunguntur. p. 40. *simul colligatæ.* 41
Virtutes quomodo mensura prudentiæ. pag. 315
Virtutis augescunt modicum modico apposito. 70
Vita æterna quantum amanda, quanti ualeat. 175. *seq.*
Vitia multa. Vno extincto insurgit alterum. 19
Vitia minuuntur, & extinguuntur. p. 20. *non expugnantur somno, quamuis impugnentur.* ibid.
Virtutis occasio vitia. 83. *seq.*
Vitia non dissimulanda pastori. pag. 228. 309. *seq.*
Vitia minuta acrius insequenda. 311
Unitas bonorum procuranda 301
Voluntas bona ad virtutem necessaria. p. 42. *seq. quanti æstimetur à Deo.* 43. *quomodo concipit & parit virtutem.* p. 44. *Donum Dei.* 45. *quomodo.* 88. *intermittenda nunquam.* p. 46. *feruescat, & quomodo.* ibid.
Voluntas Dei quærenda semper. 160. 168
Voluntatis bonæ inditia. 47. *seq.*
Voluntatem ut iuuet Deus ad fidei ascensum. 110. *seqq.*
Votum cum reuerentia. 329. *seq.*
Vsus bene cogitandi quantum ualeat. 69
Vsus Sacramentorum cum reuerentia. pag. 330

Z

ZElus salutis animarum inditium charitatis. p. 248. *quomodo ingeniosus & prudens.* 312. *& seqq.*

FINIS.

In Erratis prior numerus paginam alter lineam paginæ indicat, prioris verba erroris, alia correctionis sunt.

Fratribus lege Patribus pag. 1. linea 8. In margine 5. 2. De uita Moysis reponatur lin. 10. & quod est lin. 10. lib. de similibus reponatur lin. 2. Actiones; ex sese lege Actiones ex sese 15. 5. Deum non consentis. Dum non consentis 20. 9. Vitales; deliciæ; Vitales deliciæ; 28. 2. Peramanentes. peramantes. 49. 8. Lauadbili laudabili ibid. linea vltima. primat. premat. 52. 18. Vobis, nobis. 53. 25. Eum hominibus, cum hominibus 55. 2. Discendit, descendit 67. 27. Obstilli obstitisti 73. 4. Inuidiosæ, impiæ, inuidiosæ, impiæ, & 76. 1. Diuosq;; ex Diuosq; ex ibid. quopiam. similiter -- quopiam similiter. 93. 29. Cum honorem--- eum honorem 96. 23. Vel abscondit -- Dei abscondit 98. 28. Diuitatis Ciuitatis 103. 19. patre -- pater. 105. 11. Appetens, appetens 117. 15. portecibus, porticibus 124. 15. ita aut -- ita ut 124. 18. lauarctum -- lauacrum 132. 10. fidei. ergo fidei ergo ibid. lin. 25. sponsione sponsionem. 133. 11. Et hæc sunt --. Ante alia & hæc sunt --: ante alia 133. 16. & 17. Religiorum] Religiosorum 135. 12. audiui,t -- audiuit 136. 12. Petri Petri 156. 4. liniamus leniamus 179. 9. tantis amor tantus amor 191. 12. Sicut hac. sicut lac. ibid. lin. 25. produit. producit 193. 2. Cęlum? Cęli? 194. 9. Assummam Assumam 196. 24. Omnia omni 208. 12. vt amat. vt amet. 209. 12. inquam. vmquam 210. 3. temporem. teporem. 211. 2. veti bilem seductibilem, 211. 22. quiquam, quicquam. 212. 28. es sublimis. & sublimis. 215. 5. prloabitur. prolabitur. 216. 14. Diuinissimum. Diuinissimum? 221. 6. xempla exempla, 222. 22. Petreme. Petre me. 226. 6. discipliua. disciplina. 229. 7. Leuitas lenitas. ibid. quod hoc. quo hoc 230. lin. penultima. & vnum. & vnde 231. 18. minimè. maximè. 232. 8. fiere. fieri. 252. linea penultima. instituto. Vocationis. Instituto uocationis. 234. 13. præclaræ præclarè 235. 12. letandum lætandum. 239. 2. ne tamen. me tamen 239. 11. qui à quia. 241. 3. lutis. luteris. 245. 13. accidius. auidius. 247. 6. mixum. mirum. 249. 18. quid à quid ad. 251. 7. homiliet humiliet. 251. 16. Velleni. Vellem. 254. 11. Implere. Implete pag. ead. 20. Apostolicus Apostolicis. 255. 7. ur. vt 264. 13. Porro nec. Porro hæc pag. ead. lin. 24. Salomon qui sapiens. Salomon, qui sapiens 265. 6. visiones excitat. visiones. excitat. 266. 14. discernunt, qui nequaquam. discernunt. qui nequaquam. 267. 18. nequaq; nequaquam. 268. 8. inconstantiam. inconstantiæ 268. lin. vltima maturæ. maturè. 268. 1. morali moralis 272. 13. æqualites æqualitates 273. 25. gratuito gratuito 274. linea vltima. denignari denigrare 276. 16. obstinationem obstinationem 284. 17. coripere corripere 285. lin. penult. & vltima. præferant præferrent 286. 22. infudatur infundatur 292. 17. hæc illi hæc ibi 300. 27. potius quæ potius quam 302. 3. virtutibs virtutibus. 318. 10. mani Marci. 321. 2. glorificabum glorificabunt. 324. 1. beati beatis 325. 15. prophezia propheta. 326. 8. Dei Dauid-Dei. Dauid 327. 17. igne ignè 331. 20. huc illi hæc ille 332. 1. Ethicis Ethnicis 333. 18. sole soli 334. 27. infirmantur informãtur 335. 12. prçficere profi cere 338. 4. Saninas sarcinas 344. 10. Quotidiç quotidie 347. 22. fontè fortè 349 14. Omittuntur illud Omittuntur. Illud 354. lin. penult. Verbisis verbis si 356. lin. vltima. vt suam vt sciam 357. 18. ipses ipse 359. 21. artem autem 361. 26. amari amare 360. 2. minit minuit 369. 8. aliquit aliquid 369. 13. sic eum sic cum 370. 14. voluntate voluptate 370. 26. perpecta perspecta 371. 4. secnudum secundum 373. 6. exprobare exprobrare 374. 16. aggrediatur: maxime aggrediatur, maximè 380. 20. Com cum ibid. lin. 24. domini domine 381. 6. meo mea ibid. lin. 7. magisq; magis quam. 388. lin. ult. turbarum turbarum ibid. Virtutis virtutis 390. 12. mentia mentita. 395. 12. Eo, s. eos 398. 3. immœretur immoretur 403. lin. ante penult. emendi eruendi 406. 10. liberari liberi ibid. lin. 21. exisiis exisii ibid. 24. cõmouerit commouerint 413. 12. recepit recipit 415. 4. perfectæ perfecta 418. 4. Christis Christus ibid. 9. es. ait es ait 420. lin. 10. & 11. Helisęus Helisæi 421. 13. fluuij fluuius ibid. 14. ac eius ab eis 406. 14. qui quæ 426. 20. humillitatis humilitatis 426. 27. confossum confessum 431. linea 7.

REGISTRVM

a ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ,
A a B b C c D d E e F f G g H h I i K k L l
M m N n O o P p Q q R r S ſ T t V u
X x Y y Z z,
A aa B bb C cc D dd E ee F ff G gg H hh
I ii K kk.

Omnes ſunt Duerniones.



BIBLIOTECA
UNIVERSITARIA
DE
GRANADA

VENETIIS,
Apud Io: Baptiſtam Ciottum.
M. DC III.